


37
41 B
6




BIBLIOTHECA
JURIS ORIENTALIS
CANONICI ET CIVILIS.

BIBLIOTHECA
JURIS ORIENTALIS
CANONICI ET CIVILIS

AUCTORE

JOSEPHO SIMONIO ASSEMANO
UTRIUSQUE SIGNATURÆ REFERENDARIO
BIBLIOTHECÆ VATICANÆ PRÆFECTO
SS. BASILICÆ S. PETRI DE URBE
CANONICO
SANCTÆ ROMANÆ ET UNIVERSALIS INQUISITIONIS
CONSULTORE
ET SACRÆ POENITENTIARIÆ APOSTOLICÆ
SIGILLATORE



LIBER QUINTUS

APPENDIX AD CODICEM
JURIS CANONICI ET CIVILIS ECCLESIÆ GRÆCÆ.

PARS TERTIA.



ROMÆ, MDCCLXVI.
EX TYPOGRAPHIA FRANCISCI BIZZARRINI KOMAREK
PROVISORIS LIBRORUM BIBLIOTHECÆ VATICANÆ.

SUPERIORUM PERMISSU.



EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO

PRINCIPI

FLAVIO CHISIO

S. R. E.

ÇARDINALI AMPLISSIMO.

JOSEPH SIMONIUS ASSEMANUS

PERPETUAM FELICITATEM.



I pro maximo immortalique munificentiæ ſtudio, quo abunde meum ex ſorore nepotem Stephanum Evodium Archiepiſcopum Apamenum, EMINENTISSIME PRINCEPS, cu-

cumulaſti, aliqua Tibi viciſſim, pro mea virili parte, grati animi ſignificatio dari poſſet; id è re eſſe exiſtimavi, ut Quintus iſte meus Bibliothecæ Juris Orientalis Canonici & Civilis Tomus, Tuo non niſi nomini inſcriptus, in lucem prodiret. Et Is quidem, edito Librorum typis impreſſorum ampliſſimæ Bibliothecæ Tuæ Chiſianæ Catalogo, publicum ſingularis ſuæ erga Te obſervantiæ teſtimonium præbuerat, & adhuc operam ſtudiumque ſuum recenſendis præſtantiſſimis ejuſdem Chiſianæ Bibliothecæ manuſcriptis Codicibus, quo ſuam pro acceptis beneficiis tuis gratam voluntatem magis magiſque pateſaceret, diligentiſſime impendit. Ego vero & hanc habeo cum ipſo communem, & aliam mihi propriam cauſam eſſe arbitror, cur iſtud qualecumque eſt operis Tibi potiſſimum nuncupare decreverim. Licet enim ægre ferat innata Tibi animi moderatio, non eſt tamen impetratura a me, ut a prædicandis Virtutum Tua-

rum

rum laudibus abſtineam; præſertim quum eas ita egregiis factis illuſtres reddideris, ut prædicatione mea debilitari potius, quàm ornari poſſe videantur.

Patere igitur, PRINCEPS EMINENTISSIME, ut aliis quidem Scriptoribus ſummam Chiſiani generis nobilitatem, ampliſſimæque Familiæ decora commemoranda relinquens, ea tantum attingam, quæ ſunt Tibi peculiaria ac propria. Quamquam enim ob ſingularem modeſtiam abditiſſimo ſeceſſu virtutes tuas occulere ſtudeas; perſpiciunt tamen non Tui ſolum, ſed ceteri omnes qui Te norunt, qualem, quamque exactam geras eorum, quæ Tibi ſunt commiſſa, munium curam; quo zelo inflammatus omnia Divini cultus officia perficias; quanto judicio ac prudentia de negotiis publicis deliberes; quanta gravitate ſententiam dicas; qua liberalitate ac munificentia Eccleſiaſticos, domeſticoſque proventus, tum in ſacrarum Ædium ornamenta, tum in egentium ſubſidia,

pro-

profundas; qua denique cura, optimarum ſcientiam diſciplinarum cum ſtudio de omnibus bene merendi adjungas. Verum hæc, quamvis paucula & longe meritis Tuis inferiora, ſuſpicor, haud ſatis æquis oculis Te eſſe lecturum: unum tamen reticere non poſſum, neque vero Tu jure prohibere poſſes, EMINENTISSIME PRINCEPS, ne, quod veriſſimum eſt, pronunciem: nimirum FABII Te CHISII, qui ad Summi Pontificatus apicem evectus, ALEXANDRI VII. nomen ſibi impoſuit, veſtigiis preſſe inhærentem, vivam virtutum ejus imaginem referre.

Sciunt, qui res Illius præclare geſtas literis commendatas recolunt, quam Is magnificentiam adhibuerit, exſtructis operibus & ædificiis, tum ſacris, tum profanis: quàm ſedulus Eccleſiaſticæ diſciplinæ cuſtos, munera viris, non viros muneribus honeſtare contenderit: quo fuerit ardore Catholicæ religionis cuſtodiendæ propagandæque: qua in bo-

bonas literas propenſione: quo in literatos viros amore. Itaque, ne aſſentationi dare videar, quæ in omnium ore & ſcriptis de ALEXANDRI SEPTIMI laudibus verſantur, hæc pauca è multis, AMPLISSIME CARDINALIS, ſeligere me permittas, quæ ad privatas meas, ut ita dicam, rationes ſpectant: ad Sacroſanctam nempe Baſilicam Principis Apoſtolorum, in qua ego jam emeritus, inter Canonicos multis ab hinc annis ſum cooptatus: ad Bibliothecam Vaticanam, cui Primarius Cuſtos præſum: ad Orientalium denique gentilium meorum commoda utilitatemque.

Atque, ut ordine procedam, a Templo Vaticano incipio. Hujus Templi Aream maximam quadruplici immanium col mnarum ordine ſeptam, & in Amphitheatri formam ſplendidiſſime redactam, ipſius Templi auguſtam frontem longius latiuſque oſtentantem, quis non miretur, eamque cum ſeptem illis decantatis Orbis miraculis non eſſe

numerandam censeat ? Quid vero dicam de veneranda Sancti Petri Cathedra, a duobus Græcæ, totidemque Latinæ Ecclesiæ Doctoribus sustentata ex aere, in apside ejusdem Basilicæ constituta, opere scilicet molis & sumtuum magnitudine mirando ? Quid de Scalis, quæ a Porticu Sancti Petri ad Aulam Regiam ducunt, angustis antea & obscuris, tantique Templi & Palatii Vaticani dignitati parum consonis, incredibili artificio amplificatis atque illustratis, & ad summam magnificentiam eleganti amq; perductis ? Non unica tamen fuerunt opera, quibus effusam ALEXANDER SEPTIMUS beneficentiam in eadem Basilica emicare voluit. Primam Is solemnem, ut ajunt, Beatificationem Servi Dei, nunc Sancti Francisci Salesii, in Basilica Vaticana fecit, aliasque hujusmodi in posterum ibidem celebrandas decrevit, ut luculentissimus auctor est Benedictus XIV. Pontifex Maximus, qui illud ALEXANDRI SEPTIMI decretum laudat,

dat, confirmat, amplificatque, in hæc verba (1): *Hac nostra perpetuo valitura Constitutione veterem consuetudinem, ac venerandum Prædecessorum nostrorum institutum, Decretumque Alexandri Prædecessoris prædicti, ac integrum ejus tenorem Apostolica auctoritate approbantes ... decernimus, præcipimus, & constituimus, ut in posterum, & perpetuis inde futuris temporibus, omnes & singulæ Venerabilium Servorum & Ancillarum Dei Beatificationes, ac Beatorum Canonizationes, in Urbe nostra prædicta celebrandæ, non in aliis, quam in Basilica Principis Apostolorum de Urbe prædicta, privative quoad reliquas Basilicas Ecclesiasque ejusdem Urbis, celebrari omnino debeant*. Addidit & alia amplissima ALEXANDER SEPTIMUS suæ in eandem Basilicam Vaticanam munificentiæ argumenta: quæ laudatus Pontifex Benedictus XIV. probat, confirmatque (2) his verbis: *Cumque recolendæ memoriæ Prædecessor noster Alexander Papa*

(1) In opere de Servor. Dei Beatificatione, & Beator. Canonizatione Lib. 1. cap. 36. §. 2. Edita insuper Constitutione, Bullar. Tom. 1. pag. 93 & Bullar. Basil. Vatic. Tom. 2. p. 310.

(2) In sua Constitutione, quæ incipit = Ad honorandam memoriam Beatissimi Principis Apostolorum = Bullar. Vat. Tom. 2. pag. 312.

Papa Septimus die 27. *Septembris anni* 1659. *ad divini cultus augmentum & ſacrarum ſupellectilium in eadem Vaticana Baſilica conſervationem, providum Decretum ediderit, a nobis alias in opere de Servorum Dei Beatificatione & Beatorum Canonizatione Tomo I. relatum, & in præfatis Apoſtolicis Literis* : Ad ſepulcra Apoſtolorum : *denuo confirmatum, quo certam contributionem, quingentorum ſcilicet auri in auro in cujuslibet Servi Dei Beatificatione, & mille ſcutorum auri ſimilium in cujuſcumque Beati Canonizatione, ab hujuſmodi Cauſarum Poſtulatoribus, favore Sacrarii ejuſdem Baſilicæ perſolvi mandavit, in conficiendis, & conſervandis ſacris ſupellectilibus prædictis, & non aliter, omnino erogandum; nos hujuſmodi Decreti Chirographum, ejuſque integrum tenorem, præſentibus pro plene, & de verbo ad verbum inſertum habentes, denuo auctoritate noſtra approbamus & confirmamus.*

A Ba-

A Basilica ad Bibliothecam Vaticanam progredior. Idem Pontifex ALEXANDER SEPTIMUS antiqua omnis generis omniumque linguarum manuscripta Bibliothecæ Urbinatis Volumina, repenso cedentibus beneficio, ad dexterum Palatinæ latus, Vaticanæ adjunxit; primumque Syriacæ, Arabicæ, aliarumque Orientalium Linguarum Scriptorem atque Interpretem instituit: ut Codicum scilicet Orientalibus linguis exaratorum Catalogum describeret, quosque Christianæ Reipublicæ magis proficuos judicasset, Latine versos in lucem emitteret: cæteri enim sex priores erant ejusdem Bibliothecæ Scriptores, duo nempe Latini, duo Græci, totidem Hebraici, ab aliis Pontificibus instituti. Haud satis tamen, Bibliothecæ Vaticanæ decori, atque incremento consultum duxit ALEXANDER, nisi FLAVIUM CHISIUM, MARII fratris sui filium, Virum insigni doctrina præditum, vitæque ac morum integritate aliisque virtutum

tutum donis ornatum, in amplissimum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium ordinem a se cooptatum, ejusdem Bibliothecæ Protectorem constitueret; primarium vero & majorem Custodem Leonem Allatium præficeret, virum incredibili eruditione, magnis illis veteris Græciæ Scriptoribus comparandum, & de Sancta Romana Ecclesia editis quamplurimis Voluminibus præclare meritum, Lucæ Holstenii Successorem, Viri itidem in omni eruditionis genere sæculi sui facile principis, quem idem Pontifex Christinæ Svecorum Reginæ, abdicato Regno Catholicam fidem amplexæ, a finibus usque Germaniæ ad Urbem venienti, uti feminæ literis quoque ingenioque clarissimæ, Prælatum doctissimum obvium ire præceperat. Horum autem, Holstenii scilicet & Allatii, aliorumque literatorum Virorum consuetudine ALEXANDER utebatur pomeridianis horis, de re literaria sermones conferens, quæcumque se ma-

teria

teria offerret; frequentius tamen argumentum erat hiſtoria ſacra, & vetus atque exacta Eccleſiæ, morumque diſciplina, quam inſtaurare magnopere cupiebat, proſcriptis damnatiſque (1) nonnullis recentiorum Auctorum Propoſitionibus, quæ ab illa abhorrebant.

(1) Conſtit. 28. 162. 167. Tom. 1. Bullar. pag. 238. 405. 409.

Tandem ad Orientales meos devenio. Curam longe exactiſſimam ALEXANDER intendit, ut Pontificii Syrorum Maronitarum Collegii, quod Gregorius XIII. fundaverat, Alumni, pietate, eruditione, & ſolidis doctrinis inſtructi, natale ſolum repetentes, amplificandæ fidei, & animarum bono perpetuam navarent operam. Quumque accepiſſet, ad divina Officia publice privatimque perſolvenda, in toto Patriarchatu Antiocheno non alios Eccleſiaſticos, niſi manuſcriptos libros extare, ut Orthodoxi illius Cleri commoditati proſpiceret, duo ingentia Volumina, quibus Pars Hiemalis (ut ajunt) & Æſtiva Officii Syriaci continetur, ty-

typis mandari jussit ; præfixa ad eundem Pontificem a Fausto Näirono, Patriarchæ & Nationis Maronitarum Agente, Latina & Arabica Epistola nuncupatoria, qua, totius Nationis nomine, pro accepto singulari beneficio, non privatum & obscurum, sed publicum ac perenne extare voluit grati animi monumentum. Nulla insuper dubii erga beneficentissimum Pontificem obsequii argumenta desiderari passus nuper electus Antiochenus Maronitarum Patriarcha Georgius, Jacobum Hesronitam Patriarchalis Ecclesiæ Archipresbyterum, peculiaribus literis instructum, suum totiusque Nationis Oratorem, Romam ablegavit, tum ut consuetam Apostolicæ Sedi præstaret obedientiam, tum, ut collatam sibi ab Archiepiscopis & Episcopis Patriarchæ dignitatem confirmari postularet ; simulque exponeret, quot labores & incommoda a teterrimis Christiani nominis hostibus propter Catholicam fidem anteactis temporibus

per-

pertulerint, & in præſens invictis animis ſuſtinerent; &, quod præcipuum in tanto negotio ſibi finem conſtituit, ampliora Catholicæ religioni ejuſque aſſeclis ab eodem Pontifice commoda exoraret. Legatum amantiſſime excepit ALEXANDER: Patriarcham Georgium in Conſiſtorio laudatum confirmatumque, Pallio Pontificio honeſtavit: in pignus præterea Pontificiæ caritatis, Veſtes Patriarchales ad celebrationem ſolemnis Sacrificii neceſſarias, per eundem oratorem Jacobum deferendas, miſit: addidit & Apoſtolicas humaniſſimas literas, quibus non modo acerrimos eidem Patriarchæ ipſique ſubjectis populis adjecit ſtimulos, ut, quæ immanes, religionis cauſa, inferebantur, vexationes fortiter alacriterque pro Chriſti nomine tolerarent; ſed etiam ad augenda hominibus ſolida virtute præſtantibus incitamenta, commemoratis majorum ſuorum meritis, hoc illos Elogio ornavit, ut *veluti roſas eſſe* diceret, *inter Orienta-*

lium Infidelium, hæreticorum, & schismaticorum spinas, gratia Dei florentes.

Paribus ALEXANDER beneficiis reliquos Orientis populos Christianos affecit: Græcos, inquam, Melchitas, Syros Jacobitas, Chaldæos Nestorianos, Armenos, Coptos Ægyptios. Nec frustratus voto est. Nam, ut complures ex illis ejurato schismate, abdicataque hæresi, Catholicam religionem amplexarentur, per literas, perque Apostolicis expeditionibus & ministeriis addictos Religiosos Viros obtinuit. Suprema vero vigilantiæ cura transgressus in Indiam, naviter in hac etiam Orbis parte remotissima ad divinæ gloriæ excubavit incrementa. Christianis enim in Malabaria degentibus Chaldæis, qui ab hæresi Nestoriana ad orthodoxam fidem conversi, ab anno Christi 1599., Alexio Archiepiscopo Goano curante, Episcopum Latinum acceperant, eoque tandem rejecto, Thomam sibi, indigenam Malabarem Chaldæum, Antisti-

tem

tem præfecerant, ut illud ſchiſma comprimeretur, opem ferre ſedulo ſategit. Itaque Joſephum a S. Maria, Carmelitam Diſcalceatum, Hierapolis Epiſcopum conſecratum, ad Malabariam ablegavit, qui, expulſo incubatore Thoma, alterum orthodoxum ejus gentis Præſulem, Apoſtolica fultus auctoritate, inſtituit. Unde in hodiernum uſque diem, poſt exortum illud ſchiſma, Carmelitis Patribus in illa Domini Vinea excolenda operam ſuam impendentibus, ex centum & ſeptemdecim Chaldæorum Malabarum Eccleſiis, una ſupra ſeptuaginta exſtat, omni ex parte, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ addicta: ac præterea decem & octo, media ex parte Catholicis, ex altera media ſchiſmaticis Sacerdotibus ſubjectæ: reliquæ octo ſupra viginti ſuperſunt, omni ex parte a Schiſmaticis adminiſtratæ: quemadmodum ex eo libello conſtat, quem a Catholicis Malabariæ populis Summo Pontifici oblatum refert amiciſſimus mihi

 P. Jo-

P. Joannes Facundus Raulin in (1) Appendice ad Synodum Diamperitanam.

Hactenus ALEXANDER, & Gregorii XIII. vestigia premens, & viam utrique Clementi, Nono scilicet, & Undecimo sternens, ad Orientalium populorum salutem procurandam. Scitum est enim, quantum tres hi Pontifices ad Ecclesiarum Orientis commoda contulerint. Et Gregorius quidem (uti ex Annalium ipsius libro attingam potius, quàm referam) tria & viginti Collegia in diversis Orbis partibus exstruxit, & annuo reditu locupletavit, ex quibus Romæ Collegium Græcorum, & Collegium Maronitarum. Idem Hieremiam Græcorum Patriarcham Constantinopolitanum, Latinæ Ecclesiæ conciliare studuit; Michaêlem, & Sergium Maronitarum; Simonem Denham Chaldæorum Nestorianorum; Davidem Syrorum Jacobitarum: Gabrielem Coptorum, Patriarchas a se confirmatos, Pallio donavit: missis etiam in Palæstinam, Sy-

(1) Differt. v. de Indorum Orientalium Diœcesi, pag. 448.

Syriam , Meſopotamiam , Armeniam , Ægyptum , Æthiopiam , & Indiam Legationibus .

Clemens vero Nonus , ALEXANDRI SEPTIMI non modo in Pontificia dignitate Succeſſor , ſed etiam Virtutum omnium æmulator , quantum in dicendo valuerit , & quo elegantiæ genere uſus ſit , ſcriptæ ab ipſo , dum adhuc utriuſque (ut ajunt) Signaturæ Referendarius eſſet , & Sacræ Pęnitentiariæ Sigillator , ad Principes Pontificio nomine Epiſtolæ teſtantur . Quare , tum propter alias egregias animi dotes , tum etiam propter ſingularem ejus eruditionem , ab eodem ALEXANDRO in his quoque maximo , liberaliter & magno in honore eſt habitus , ita ut illum , ſtatim ac ALEXANDER Pontifex renunciatus fuit , Secretarium Status , & paulo poſt in Cardinalium numerum cooptarit . Suum viciſſim gratum animum erga eundem ALEXANDRUM Clemens patefecit , dum Populum Romanum pri-



primis Pontificatus diebus ingenti gaudio perfudit, laxata liberaliter annona, & ſublato vectigali, quod, ſuperiorum temporum injuria, rei frumentariæ impoſitum, grave inviſumque plebi erat: quod factum per ſe illuſtre, longe illuſtrius fecit animi magnitudo, qua edictum conſcribi juſſit, nulla facta ſui mentione, ſed tota re ALEXANDRI SEPTIMI providentiæ tributa, qui pecuniam in id magna ex parte reliquiſſet. Idem præſtitit in ſumptuoſiſſimo periſtromate, quo interiores Vaticani Templi parietes in ſolemnioribus ſacris veſtiri ſolent, quod ab ALEXANDRO inceptum, ipſe ad totius Templi ambitum perduxit, ſtellis montibuſque contextum Chiſiæ gentis. Et hæc quidem pauca de multis grati in Deceſſorem ſuum animi indicia fuere. Reliqua de induſtria prætermitto a Clemente Nono Romæ foriſque præclare geſta, quum non ſint hujus loci, & accuratiorem ſtylum deſiderent. Non tamen prætereun-

eunda mihi ſunt, quæ ad rem noſtram faciunt. Ut Clemens Chriſtianos Orientis populos a duriſſimo Turcarum jugo eximeret, nihil intentatum reliquit: operamque diligentem impendit, ut ad ſacrum adverſus Othomanicam tyrannidem foedus Chriſtianos omnes Europæ Principes excitaret: aggreſſus eſt etiam per Orientalium regionum & linguarum peritos cohortari Perſarum, aliarumque in Aſia Turcico imperio finitimarum gentium Reges, ut implicatum Europæ bellis communem hoſtem valido pro ſe quiſque conatu adorirentur. Quo vero ſuam Pontificiam charitatem etiam ad ſpiritualem Orientalium utilitatem derivaret, ab erroribus, quibus eorum nonnulli detinebantur, ad Catholicam veritatem illos traducere, ſtrenue curavit: idque feliciter conſequutus eſt. Teſtis eſt Jacobus Patriarcha Majoris Armeniæ, quem, Primatum quidem Romani Pontificis agnoſcentem, ſed errores ab ipſis Armenis
in

in Sacro Concilio Florentino damnatos, de Aqua præſertim in Sacrificio Miſſæ Vino non immiſcenda, & perverſum Eutychetis quoad Verbi incarnationem dogma, retinentem, Clemens per literas & per Joannem Meſopotamiæ Archiepiſcopum graviter increpuit, & inter paternæ charitatis monita, Apoſtolicæ Sedis indignatione, niſi reſipiſceret, denunciata, ad ſanam Romanæ Eccleſiæ doctrinam amplectendam pertraxit.

Clementem Nonum Undecimus ſequitur. Huic acceptum referunt univerſæ Orientalium Eccleſiæ, quod illas vigilantiſſimus Paſtor validis adjumentis fulcire, opibuſque vallare ſtuduerit: Syri, inquam, Maronitæ, Jacobitæ, Chaldæi, Græci, Armeni, Ægyptii, Æthiopes. Et Syrorum quidem Maronitarum duos Antiochenos Patriarchas. Gabrielem & Jacobum, Pallio Pontificio ornavit: binos etiam Aſſyriæ Patriarchas, Joſephos, confirma-

mavit. Syris Mesopotamiæ Episcopis, ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ gremium confugientibus, domicilii locum, quo se se in Urbe reciperent, annuosque reditus constituit. Armenorum usui addictas domos, vetustate labantes, refecit. Joannem Alexandrinum Coptorum Patriarcham literis Paternæ benevolentiæ testibus ab eo, quod vetus retinebat, schismate revocare contendit. Expeditionem in Æthiopiam ad Christianos illos Reges misit, qui Evangelicos ministros Pontificiis commendatos literis, omnibus honoris significationibus excepere. Samueli Græcorum Alexandrino Patriarchæ detestatis erroribus orthodoxam veritatem professo, dignitatis confirmationem & Pallium impertiit. Idem ipsum Cyrillus Græcorum Melchitarum Antiochenus Patriarcha a Clemente Pontifice consequutus est.

Hæc autem & alia Gregorii & Clementis Noni & Undecimi præclare ge-

ſta, omnium oculis ita ſunt expoſita, ut longiorem me eſſe non oporteat. Ego vero, Eminentissime Princeps, idcirco ſtrictim enarranda ſuſcepi, quod optime intelligerem, quidquid laudis Catholicus Orbis tribus hiſce Pontificibus, Gregorio, & utrique Clementi rependeret, ad ampliſſimam Familiam Tuam Chisiam redundare, quæ arctiſsimo cum illis Affinitatis nexu eſt conjuncta. Porro alienum a propoſito eſſet, Boncompagnæ, Rospiliosiæ & Albanæ Stirpis originem hic repetere, de quarum veteri nobilitate atque ſplendore plura & gravia ab hiſtoricis laudata monumenta ſuppetunt. At brevitati ſtudens, omiſſis ceteris, nonnulla dumtaxat, quæ Chisios propius attingunt, delibabo. Ac primum quidem ſtatim ſeſe oculis noſtris objicit nobiliſſima Princeps, Tuique amantiſſima Mater Maria Eleonora Rospiliosia, nec non chariſſima ejus filia, germana Soror Tua præſtantiſſima Laura per conju-

jugium translata in Excellentiſſimam Familiam de' Boncompagnis : utraque vitæ probitate morumque comitate ſpectatiſſima : quarum prima quidem Clementem Nonum , altera vero Gregorium Tertiumdecimum, clariſſimo Chisiorum Stemmati adjungit. Nec minus jucundam gratamque Clementis Undecimi recordationem nobis exhibet virtutum omnium ſplendore cumulatiſsimi germani Fratris Tui Augustini dulciſſima Conjux Julia , Albano genere prognata, paribus virtutum ornamentis inſignita Princeps . Habemus itaque quatuor ſanctiſsimos Pontifices, eximia doctrina atque pietate commendatos, ad ſummam generis nobilitatem, & ad communia ampliſsimarum nobiliſsimarumque Familiarum decora, ſtudium de omnibus bene merendi adjungentes, Gregorium , Alexandrum , utrumque Clementem , mirabili quodam vinculo in unam Stirpem Chisiam coaluiſſe . Atqui novum uberioremque clariſsimo ge-

 neri

neri ſplendorem augent, Vir numeris omnibus abſolutus, & propria, ac ſuorum virtute conſpicuus Princeps æternæ memoriæ AUGUSTUS Pater tuus, AUGUSTINUS, germanus Frater, ejuſque lectiſsimi Filii, SIGISMUNDUS, & FRANCISCUS, omni laudum genere ſpectatiſsimi: qui domeſticis Majorum exemplis inhærentes, veterum (1) CHISIORUM, AUGUSTINI, utriuſque FLAVII, MARII, SIGISMUNDI, FABII, AUGUSTI, præclaras animi dotes, & egregia facta inſtaurant.

(1) De his, aliiſque Chiſiis Heroibus vide Epiſtolam Bartholdi Nihuſii ad Auguſtinum Auguſti filium, Coloniæ 1653.

Verum, ne horum Principum, ac Tuam, CARDINALIS AMPLISSIME, modeſtiam offendam, plura de Tuis, CHISIORUMQUE laudibus dicere ſuperſedeo. Reliquum eſt, ut eo tandem revertar, unde CHISIORUM tuorum, Tuarumque Virtutum admiratio me longius abduxerat, Opus iſtud, quod in addictiſsimi animi mei argumentum Tibi, EMINENTISSIME PRINCEPS, nuncupandum offero, ea benignitate accipe, qua Te
eſſe

esse erga omnes humanitate constat; meque, meosque summopere Tibi obstrictos, Tuam in clientelam ut recipere, perpetuoque patrocinio tueri pergas, etiam atque etiam peto: dum Deum Optimum Maximum precari non desino, ut Te, Tuamque amplissimam CHISIAM Familiam, de Orientalibus populis optime meritam, sospitem semper servet, atque incolumem tueatur.



IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

Dom. Jordani Archiep. Nicomediæ Vicesg.

APPROBATIO.

IN quinto Bibliothecæ Juris Canonici & Civilis Ecclesiæ Orientalis Volumine, ab Illmo & Rmo Domino Josepho Assemani conscripto, quod mandante Rmo Sac. Palatii Apostolici Magistro expendendum suscepi, nihil, quod Catholicæ fidei, & morali disciplinæ adversetur, deprehendi. Quinimo, ut in quatuor prioribus libris publica luce jam donatis Clarissimus Auctor recta ratione, multiplicique eruditione Jus Orientale ex remotiori antiquitate ad Sextam usque Oecumenicam Synodum sapienter collegit, postremas hasce etiam feliciter concinnavit pari eruditione lucubrationes; quibus ea complexus est, quæ in eadem Synodo, & post Imperatorem Constantinum Pogonatum in Oriente evenerunt, restitutis iis, quæ vel temporum injuria aut amissa, aut corrupta, vel falsa aliorum opinione perplexa jacebant. Quare dignissimum censeo hoc quoque volumen, ut quam citius in rei literariæ bonum publicis typis evulgetur.

Datum ex Ædibus nostris postridie Nonas Junii 1766.

F. X. de Zelada Sac. Rotæ Auditor, & Sac. Pænitentiariæ Canonista.

APPRO-

APPROBATIO.

IN Libro Quinto Juris Græco Romani nihil,quod Fidei, morumque regulis adversetur, deprehendi, quinimo ad orientalium Ecclesiarum disciplinam funditus percipiendam, quæ fere tota in Trullanis Canonibus continetur, Clarissimi Auctoris lucubrationes aditum in hoc Volumine amplissimum aperiunt: unde maximam illi gratiam habendam duco ob uberrimum fructum, quem sacræ antiquitatis cultores, & Ecclesiæ Græcæ alumni sunt inde consecuturi. Ex ædibus Sac. Congreg. de Propaganda Fide XIV. Kal. Martias MDCCLXVI.

M. Marefuscus a Secretis S. C. de Propaganda Fide.

APPRO-

APPROBATIO.

Mandante Rm̃o Patre Thoma Augustino Ricchinio S. P. A. Magistro, ea, qua licuit, diligentia volupe legi *Librum Quintum Bibliothecæ Juris Canonici & Civilis Ecclesiæ Orientalis*, authore Illm̃o, & Rm̃o Domino Josepho Simonio Assemano, nihilque in tam laborioso opere contra Catholicam Fidem, Christianosque mores inveni: Quinimo miratus sum eruditionem uberem, ac sapientiam multam doctissimi Præsulis in asserendis explicandisque Primæ Sedis Judiciis. Utilissimum igitur existimo, si Liber publica luce donetur, qua, & dignitate argumenti, & celebritate Authoris de Apostolica Sede tot tantisque titulis optime meriti, dignissimum censeo. Ex ædibus meis VI. Id. Aprilis MDCCLXVI.

Stephanus Borgia Sacræ Congregationis Indulgentiarum Secretarius.



IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.



BIBLIOTHECA
JURIS CANONICI ET CIVILIS ECCLESIÆ ORIENTALIS
LIBER QUINTUS.
Appendix ad Codicem Juris Canonici & Civilis Ecclesiæ Græcæ.
PARS TERTIA.



POSTQUAM in Secunda Appendicis Parte declaratum est, quænam fuerit origo, & quæ progressio hæreseos Monothelitarum, usque ad Sextam Œcumenicam Synodum; restat, ut reliqua expendamus, quæ tum in ipsa Synodo, tum post Constantini Pogonati, Christianissimi Imperatoris, tempora in Oriente ac potissimum in Constantinopolitanæ Ecclesia contigere, donec exorta ibidem altera Iconomachorum hæresis, motarum olim de Christi Domini Operationibus ac Voluntatibus quæstionum memoriam fere obliteravit.

CAPUT I.

Animadversiones in Acta Sextæ Synodi.

I.
Acta Sextæ Synodi non esse interpolata, neque mutilata.

QUÆ exstant manuscripta, typisque impressa Sextæ Œcumenicæ Synodi tum Græca, tum Latina Acta, (præter unam illam Additionem, quæ a recentiore Librario Act. XVIII. & ultima post (1) ea verba: *Sedi Sanctæ Christi Dei nostri Resurrectionis, idest Hierosolymorum obtinente locum ejusdem honorabilissimæ Sedis Theodoro Deo amabili Presbytero, per Georgium Presbyterum Monachum Sebastenum*; obtrusa est hunc in modum; ὅςις μετέπειτα καὶ Πατριάρχης Ἀντιοχείας ἐγένετο. *Qui postea Patriarcha Antiochiæ fuit*) non fuisse interpolata a Theodoro Patriarcha Constantinopolitano, sed integra ad nos devenisse, evidentius invictiusque convincunt argumenta, quæ Natalis Alexander *in differt. II. sæculi septimi*, Christianus Lupus *in differt. de Sexta Synodo ad Act. XVIII.* Combefisius *in hist. Monothelitarum differt. Apologetica Sextæ Synodi*, Garnerius *in Appendice ad Notas Capitis 2. Diurni Romanorum Pontificum*, aliique producunt, quam quæ Eminentissimus Baronius cum nonnullis recentioribus protulit ad ostendendum, Acta Synodalia falsata a Theodoro Patriarcha Constantinopolitano, qui in Romanam Ecclesiam odio implacabili ductus, pro suo eraso, nomen Honorii Papæ inter damnatos, & a Synodo anathematizatos inscripserit.

Duo argumenta profert Severinus Binius, ut conficiat, Acta quæ Græce & Latine habemus, si non falsata, saltem mutilata esse a memorato Theodoro. Primum ex Anastasio Bibliothecario petitur, a quo in Vita Agathonis Papæ plura narrari ait quæ in Actis Synodalibus desiderantur, & nonnulla etiam quæ diebus mensibusque diversis gesta sint, ac in Actionibus Synodalibus notentur. Alterum argumentum ex ipsis Actis Synodali-

(1) Tom. VII. Concil. edit. Venet. pag. 1110.

dalibus desu.nitur, in quibus desunt Acta, quæ in electione Theophanis Patriarchæ Antiocheni contigere. Anastasius, inquit, in Vita S. Agathonis Papæ descibens Actorum Synodalium compendium, in eo brevi compendio plura enarrat, quæ in ipsa Synodo desiderantur; contra vero desunt complura, quæ in extantibus Actis Synodalibus scripta reperiuntur. Sex tantum Actiones habitas esse refert Anastasius: decem & octo apud Acta inveniuntur. Ille Synodum ante Paschale tempus absolutam fuisse scribit: Actiones vero illæ, in quibus Honorius dicitur esse condemnatus, cæteræque sequentes, mense Augusto & Septembri celebratæ reperiuntur. Ait Anastasius, die 13. Februarii, (anni 681.) intromissa fuisse coram Synodo, Sanctorum Patrum dicta, Joannis nempe Constantinopolitani, Cyrilli, Athanasii, Basilii, Gregorii, Dionysii, Hilarii, Ambrosii, Augustini, & Leonis, duas naturales Voluntates & Operationes in Christo dicentium: Post hanc Actionem, subjungit Anastasius, *die* (1) *sequente*, hoc est, 14. *Februarii*; iterum conventum esse, eoque conventu, relectas Sancti Agathonis Papæ & Synodi Patrum 125. Epistolas: relectumque Tomum a Macario conscriptum, & ejus manu subscriptum una cum subscriptione Theodori Expatriarchæ: interrogatumque Macarium, ut susciperet Synodicam Papæ, renuisse: interrogatum etiam Georgium Patriarcham Constantinopolitanum, si eam fidem amplectitur quam docet Sedes Apostolica: respondisse, accepta licentia in scripto, quæ opportuna essent, se postea responsurum. Addit Anastasius, die Dominico, 17. *Februarii*, conventu intra oraculum S. Petri in Palatio facto, astante Senatu & Legatis Apostolicæ Sedis, Georgium Patriarcham professum fuisse in scriptis duas naturas, duas voluntates, duasque operationes in Christo Domino se credere & prædicare: die vero 25. *Februarii*, residente Synodo, unacum Imperatore & Legatis Sedis Apostolicæ, jussum fuisse Macarium adesse: & da-

(1) Verba Anastasii sunt hæc: *Sequenti die in eodem Secretario residente Synodo una cum Principe, Synodica Sanctissimi Agathonis Papæ relecta est &c.*

& data ab Imperatore licentia, ut se in partem quam quisque vellet, divideret; Georgium quidem Patriarcham cum suis in parte Orthodoxorum stetisse: Macarium vero cum suis in parte altera hæreticorum: & relecta Georgii Patriarchæ professione, commonitum Macarium, quid sentiret vel crederet; respondisse, se in eadem perfidia, quam ante proposuerat, perdurare, & nullatenus orthodoxæ fidei acquiescere. Tum vero Sanctam Synodum una cum Imperatore jussisse, ejus Orarium auferri a collo ejus, & exsilientem Basilium Cretensis Ecclesiæ Episcopum, abstulisse Macarii Orarium; eoque extra Synodum projecto, Stephanum quoque ipsius discipulum cervicibus a Sancta Synodo per Clericos Romanos expulsum fuisse; eaque hora tantas telas aranearum nigerrimas in medio populi cecidisse, ut omnes mirarentur, ac dicerent, quod sordes hæresum expulsæ sunt: & Deo auxiliante unitas fuisse Sanctas Dei Ecclesias. In locum vero Macarii ordinatum fuisse *Theophanem* Abbatem Monasterii Siciliensis, quod appellatur Bajas, Patriarcham Antiochenum; Macarium autem cum suis amatoribus, idest, Stephano, Anastasio Expresbyteris, & Leontio Exdiacono, Polychronio, Epiphanio Expresbyteris, in exilium in Romanam directos fuisse Civitatem. Ab iis itaque Anastasii verbis: *Sequente die in eodem Secretario residente Synodo, una cum Principe, Synodica Sanctissimi Agathonis relecta est*, (inquit Severinus Binius) usque ad illum locum, *Macarius vero cum suis amatoribus &c.* quum hæc in Actis Synodalibus desiderentur, credanturque data opera a Theodoro Constantinopolitano Episcopo ablata, ne inde hæreticus esse probaretur, certissimo argumento constat, Acta hujus Concilii hoc loco mutilata esse: quæ alibi eorundem hæreticorum corruptela vitiata & depravata fuerunt. Addit idem Binius in not. ad Act. XII. (ubi Epistolæ Sergii ad Cyrum & Honorium, & Honorii ad Sergium, nec non Menæ ad Vigilium, & Vigilii ad Menam, lectæ & cum ipsis originalibus in Patriarchio contentis collatæ fuerunt;) omnibus Patribus simul con-

consentientibus, rursum a Sancta Synodo declamatum fuisse in Macarium tamquam indignum, qui amplius ad consessum Synodi admittatur. Post hæc (inquit idem Binius) Syriæ Episcopi ac Clerici, unanimi voto, in locum Macarii alium orthodoxum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum subrogari petiverunt. Sed dilata sunt hæc omnia in sequentem Actionem: in qua quum desiderentur Acta, quæ in Electione Theophanis Antiocheni Episcopi in locum Macarii subrogati contigerunt, certissimo argumento ostenditur, Acta hujus Concilii non tantum additione scriptorum commentitiorum, verum etiam mutilatione & obtruncatione rerum gestarum, vitiata, corrupta, ac depravata etiamnum extare. Ex eo enim quod Theophanes in singulis sequentibus Actionibus titulo Antiocheni Episcopi nominatus reperitur, constat Theophanem Actione XIII. in locum Macarii suffectum fuisse, adeoque sine dubio depravata & mutilata esse Acta Concilii, quibus hujusmodi res gestæ desiderantur. Hactenus Severinus Binius.

Levissima tamen hæc esse mihi videntur quam ut conficiant, vel depravata (uti contendit Binius) vel interpolata Sextæ Synodi Acta, quæ ad nos Græce & Latine devenerunt. Nam Primo, respondetur, negando, quicquam eorum, quæ Anastasius Bibliothecarius in ea Synodo fuisse gesta scribit, in Synodalibus Actis desiderari. Dicta siquidem SS. Patrum, quæ Anastasius die 13. Febr. lecta fuisse scribit, eadem quoque die, Act. VIII. in Synodo recitantur. Item, quod ait Anastasius, *die 14. Febr.* lectas fuisse Synodicas Agathonis Papæ & Concilii Romani; id habetur Act. IV. habita *die 14. Novembris*. Quod ait, lectum fuisse eodem *die 14. Febr.* Tomum a Macario conscriptum, & Macarii ipsius atque Theodori Constantinopolitani subscriptione firmatum, is Tomus, Codicillus (1) nuncupatus, lectus fuit Act. IX. & X.

(1) Aut dicendum est, eum Tomum non alium esse, quam Librum illum complectentem Epistolas Sergii ad Cyrum & Honorium, Epistolam Honorii ad Sergium, & Sermonem Mennæ ad Vigilium: de quo Libro Act. 14. dicitur: *Quando facta est quæstio inter Theodorum Cp. & Macarium tulerunt paria librorum quæ dicuntur Vigilii &c.*

& x. habitis die 8. & 18. Martii, etsi de subscriptione Theodori Constantinopolitani siletur. Quod ait, eodem *die* 14. *Febr.* interrogatum Macarium, ut susciperet Synodicas Papæ, renuisse; interrogatum vero eadem de re Georgium Constantinopolitanum petiisse ut in sequenti daretur sibi facultas respondendi: id habetur Act. VII. *die* 13. *Febr.* in qua Georgius & Macarius dixerunt: *in subsequenti dabimus responsum*. Quod ait, *die* 17. *Febr.* Georgium Constantinopolitanum Patriarcham professum fuisse fidem orthodoxam, id Act. VIII. *die* 7. *Martii* factum dicitur. Quod ait, *die* 25. *Febr.* Georgium quidem in parte orthodoxorum sedisse; Macarium vero in parte hærrticorum; ideoque Orario spoliatum, extra Synodum projectum fuisse, unacum Stephano ipsius discipulo; id de Macario legitur Act. VIII. facta *die* 7. *Martii*; de Stephano autem Act. IX. *die* 8. *Martii*. Quod subjungit ad eandem *diem* 17. *Februar.* de Theophanis Patriarchæ electione, deque relegato in Romanam Urbem Macario cum sociis; electio quidem novi Patriarchæ in locum depositi Macarii, ab Episcopis & Clericis Antiochenæ Ecclesiæ postulata est Act. XII. *die* 22. *Martii*: permissa autem fuit ab Imperatore Act. XIII. *die* 28. *Martii* (1) his verbis: *De petitione vero quæ facta est a Rmis Episcopis & religiosissimis Clericis, subjacentibus Sedi Antiochenæ civitatis, suggessimus à Deo instructis auribus fortissimi & a Deo muniti nostri Imperatoris. Et jussit ejus Serenitas, decretum solitum consequentiam fieri a Rmis Episcopis & Clericis suprascriptæ Sedis, & hoc offerri ejus mansuetudini fortissimæ*. Omnia igitur & singula quæ sunt ab Anastasio de rebus in Sexta Synodo gestis narrata, disertim habentur in Actis Synodalibus, nec vel unum eorum in illis desideratur. Discrimen tantummodo est inter Anastasii narrationem & inter Acta Synodalia, quoad dies & menses. Verum in his emendanda potius Anastasii narratio ex Actis Synodalibus, quam dicendum cum Binio, Acta Synodalia esse corrupta aut interpolata. Nam idem ipse Binius Anastasium emen-

(1) Tom. VII. Conc. p. 979.

emendat, ubi ait de Legatis Agathonis Papæ ad Sextam Synodum missis: *Ingredientes die* 10. *Novembris*. Verba Binii (1) accipe: *Circa ingressum Legatorum in urbem Constantinopolitanam, in tempore Anastasius aberrat. Quum enim Constantinus Imperator post adventum Legatorum in urbem, Sacram illam (de qua supra dixi) ad Georgium Constantinopolitanum scripserit* IV. *Idus Septembris, necessum est affirmare, quod vel circa finem Augusti, vel sub initium Septembris, utraque Legatio in urbem venerit. Adde quod œcumenicum ipsum Concilium sub præsidio Legatorum Sedis Apostolicæ jam præsentium, septima Novembris inchoatum fuisse legatur. Quamobrem verum esse non potest quod de tempore adventus eorundem Legatorum legitur apud depravatum Codicem Anastasii; emendari potest, si pro* 10. *Novembris, legatur* 10. *Septembris*. Sicuti igitur hac in parte Binius non dubitat, Anastasii locum esse emendandum, ita & in aliis, præsertim quum idem Anastasius brevi compendio usus, de rerum gestarum ordine non sit sollicitus. Quod vero idem Binius (2) de electione Theophanis Patriarchæ ait: *Quum desiderentur Acta, quæ in electione Theophanis Antiocheni Episcopi in locum Macarii subrogati contigerunt, certissimo argumento ostenditur, Acta hujus Concilii non tantum additione scriptorum commentitiorum, verum etiam mutilatione & obtruncatione rerum gestarum, vitiata, corrupta, ac depravata etiamnum exstare*; respondetur, hujusmodi argumentum nullius esse momenti, ex eo convincitur, quod in iisdem Synodi Actis & petita, & permissa legitur Theophanis ordinatio, quemadmodum supra dictum est. Quum autem Patriarchæ Antiocheni ordinatio non ad Synodum pertineat, sed ad Episcopos & Clericos Antiochenæ Ecclesiæ qui illam extra Synodum permittente Imperatore peregerunt; idcirco in Synodo non oportuit illam describi; sicuti neque in Actis Synodi Constantinopolitanæ primæ descripta fuit ordinatio Nectarii Patriarchæ Cp. neque in Actis Synodi Latrocinalis sub Dioscoro narrata fuit ordinatio Anatolii

(1) Tom. cit. p. 592. (2) Tom. cit. p. 1425.

tolii item Patriarchæ Constantinopolitani, tametsi utraque, dum Patres in Synodo consisterent, celebrata sit.

II. Tempus celebratæ Sextæ Synodi.

Tempus celebratæ Sextæ Synodi, in Actis quidem ejusdem a die VII. Novembris anni 680. seu a VII. Idus Novembris, Indictione IX. anno XXVII. Imperii Constantini Augusti, post ejus Consulatum XIII. usque ad 16. Septembris, anni 681. Indictione X. seu ad XVI. Kalendas Octobris, & annum Imperii Constantini XXVIII. post Consulatum ejus XIII. definitur. Sic enim habetur tam in Latinis Act. 16. 17. & 18. quam in Græcis Act. 16. & 18. Nam Actio XVII. in Græcis desideratur. Quum autem Actio XVI. habita sit *die 9. Augusti Ind. ix.* & Actio XVII. (Lat. XVIII.) *die 16. Septembris, Ind. x.* (utraque anno Chr. 681. *Post Consulatum xiii.*) perspicuum fit, id, quod apud Pagium dicitur: *Hic annus 681. ista formula notatus: xxviii. Constantini Aug. Post Consulatum ejus xiii.* id, inquam, intelligendum esse, non ante, sed *post diem xvi. Septembris* numerari *Post Consulatum Constantini xiii.* nam usque ad dictum diem 16., currebat annus *Post Consulatum xiii.* uti ex Actionibus XVI. & XVII. seu XVIII. patet: ac proinde verum est quod Anastasius in Vitaliano Papa scribit, Constantem Imperatorem, Constantini patrem, in Sicilia interfectum fuisse *xv. die mensis Julii* (1) *per xi. Indictionem*, seu, uti Pagius autumat, *post diem primum Septembris Indictione xii.* (hoc est anno Chr. 668.) verum est etiam, quod Constantinus, post Constantis patris mortem, non *annum primum post Consulatum suum* numerare cœpisse, nisi post *diem xvi. Septembris, Indict. xii.* Sive enim Constans cæsus sit *die 15. Julii*, sive ante 16. *Septembris*, non potuit fama cædis ejus Constantinopolim pervenire, nisi post diem 16. *Septembris*, ejusdem anni 668. Quamobrem usque ad eam diem, idest, usque ad *diem 16. Septembris* in Actis Sextæ Synodi recte numeratur annus *post Consulatum Constantini XIII.* atque eandem ob causam eodem

(1) Scio, alia Anastasii exemplaria, loco *Indict. XI* habere per *Indictionem XII.* Codex nempe Blanchinianus, Regius, Thuaneus, Mazarinus. Adeoque cæsus sit, oportet, Constans anno Chr 669. uti Mansius contendit in not. ad ann. 668., Repugnant tamen Acta Sextæ Synodi, quæ post Consulatum Constantini numerant post 16. Sept. anni 668.

eodem anno Christi 681. unacum anno *post Consulatum Constantini xiii.* etiam annus Imperii Heraclii ac Tiberii ejus fratrum in eadem Act. XVIII. hac formula adnotatur: *Et post Consulatum ejus a Deo instructæ Serenitatis anno xii. Heraclii autem & Tiberii a Deo conservandorum ejus fratrum anno xxiii. sextadecima die mensis Septembris, Indictione decima:* Nam Constantinus Imperator fratres suos & Collegas Heraclium & Tiberium, in suspicionem rerum novandarum adductos, eodem anno 681. post diem 16. Septembris ab Imperio removit, quum usque ad dictam diem uterque cum ipso in Synodi Actionibus nominatus reperiatur, & postea utriusque nomen taceatur: Ita Baronius ad an. 681. num. XLII. & Pagius num. XIII. Confirmatur ex Theophane, qui anno Incarn. secundum Alexandr. 673. (Kalendis Septemb. anni Chr. 681. inchoato) ait: *Hoc anno Constantinus fratres suos Heraclium & Tiberium ab Imperii dignitate removit, solusque cum Justiniano filio imperavit.* Hinc quum in fine Synodi a Patribus dictæ sint laudes & acclamationes, solius Constantini nomen reperitur. In edicto quoque ad finem Synodi posito, nullius fratrum nomen habetur, sed ipsius tantummodo Constantini; sicut etiam in datis ab eodem Constantino ad Leonem Papam, & ad Synodum Romanam Epistolis.

III. Eutychii, Nili, & Auctoris Libelli Synodici circa Sextam Synodum allucinationes.

Eutychius Alexandrinus in Annalibus Arabicis Sextam Synodum coactam inepte fingit, non anno Christi 680. & 681. sed anno Chr. 664. vel 665., sive anno Chaliphatus Maviæ quarto, quem ridicule conjungit cum anno Secundo Patriarchatus Georgii, cujus annum primum copulat cum anno secundo Chaliphatus Maviæ; Annum insuper quartum Maviæ perperam conjungit cum anno XIII. Constantini. Atqui annus primus Maviæ congruit anno Hegiræ 41. (die 7. Maji anni Chr. 661. inchoato) Annus autem XIII. Constantini incidit in annum Chr. 680. & absolvitur anno 681. uti superius est demonstratum.

In eundem fere cum Eutychio errorem impingit Nilus Rhodiorum Metropolita, dum (1) Sextam Synodum

(1) Tom. VII. Conc. p. 1427.

dum habitam scribit *Anno Mundi* 6179. [sive 6174.] *Christi vero* 719. Nam annus Mundi 6179. secundum Constantinopolitanos convenit anno Christi 671. Annus vero Mundi 6174. convenit anno Christi 666. nullatenus conjungitur cum anno Christi 719. Præterquam quod Anno Christi 719. neque Agatho Romanus Pontifex in vivis erat, neque Georgius Patriarcha Constantinopolitanus, neque Theophanes Patriarcha Antiochenus, neque Constantinus Imperator; sed Leo Isaurus Constantinopoli imperabat, & Germanus Byzantinam Sedem tenebat, & Romanæ præerat Gregorius Secundus, & Antiochena Sedes Præsule carebat : quum tamen idem Nilus de eadem Synodo hæc dixerit : *Sancta & œcumenica Sexta Synodus habita est imperante Constantino Pogonato, congregata a CLXX. Sanctis Patribus, cui praerant Agatho Romæ, Georgius Constantinopolis, Petrus Monachus Alexandrini Legatus, Theophanes Antiochiæ Episcopus.* Acta demum ejusdem Synodi annum XIII. Constantini & Indict. IX. & X. disertim exhibent; quæ temporis notæ nonnisi annum Chr. 680. & 681. & annum Mundi 6188. & 6187. designant.

Auctor Libelli (1) Synodici, errat gravissime, non in anno quidem celebratæ Synodi, quam tacitus præterit, sed in nomine Imperatoris, sub quo illam coactam scribit. Sic enim de Synodo Romana sub Agathone Papa præfatur. *Agathon vero beatissimus Papa Romanus, qui Martino* (2) *in solio successerat, Sanctam congregavit Synodum, & Sergium, Cyrum, Petrum, Paulum, & Pyrrhum anathemate notavit.* καὶ τρανώσας τὰς δύο θελήσεις καὶ ἐνεργείας Χριςοῦ Ἰησοῦ τοῦ θεοῦ ἡμῶν, ὅρον πρὸς λέοντα τὸν Βασιλέα ὑὸν τοῦ Κωνςαντίνου τοῦ Πωγονάτου, πατέρα δὲ Ἰουςινιανοῦ τοῦ ῥηνοτμήτου ἐξέπεμψε. *Quumque duas in Christo Jesu Deo nostro voluntates & operationes declarasset, definitionem fidei ad Leonem Imperatoris Constantini Pogonati filium, & patrem Justiniani Rhinotmeti emisit.* Deinde pergit enarrans Sextam Synodum, his verbis. *Quam:*

(1) Tom. VII. Conc. pag. 1423. & pag. 607.
(2) Post Eugenium, Vitalianum, Adeodatum, & Donum.

Quam quum Christi amans Imperator Leo acceptsset, sacram & œcumenicam Sextam Constantinopoli Synodum jussit congregari : & mox, postquam damnatos in Synodo, *Theodorum Pharanitanum, Honorium Romanum, Cyrum Alexandrinum* : *Sergium, Pyrrhum, Paulum, & Petrum Constantinopolitanos*, recensuisset, addit : *Theodorum item Ægyptium, Macarium Antiochenum, Stephanum discipulum ejus, & Polychronium senem delirum*. Intrusum per summam oscitantiam nomen *Leonis Imperatoris*, filii Constantini Pogonati, & patris Justiniani Rhinotmeti, qui nullus fuit. Intrusum etiam nomen *Theodori Ægyptii*, cujus etiam in Sexta Synodo, tamquam a Theodoro Pharanitano diversi, nulla mentio: Georgius denique Patriarcha Constantinopolitanus dicitur, *qui Petro successerat*, quum is Theodoro post Petrum successisset.

IV. Apergius Pergensis Episcopus inter hæreticos in Sexta Synodo damnatus.

Actione XVI. in Sexta (1) Synodo acclamatum est, *multos annos Constantino* novo Marciano, Constantino novo Theodosio, Constantino novo Justiniano: *Agathoni* Papæ Romano : *Georgio* Patriarchæ Constantinopolitano : *Theophani* Patriarchæ Antiocheno : orthodoxo *Concilio* : orthodoxo *Senatui*: Item *anathema* dictum, *Theodoro* hæretico Pharanitano : *Cyro* hæretico: *Sergio* hæretico : *Honorio* hæretico : *Pyrrho* hæretico : *Paulo* hæretico: *Petro* hæretico: *Macario* hæretico: *Stephano* hæretico: *Polychronio* hæretico: Ἀπεργίῳ τῷ πέργης ἐπισκοπήσαντι, *Apergio, qui Perges Episcopus fuerat*. Hujus *Apergii* nulla alia in eodem Concilio aut apud historicos mentio reperitur. Fuerit itaque Monothelita insignis, quemadmodum Quienus notat in Oriente Christ. Tom. I. pag. 1015. & Joannem antecessisse autumat, orthodoxum Perges Episcopum, qui Actionibus Sextæ Synodi subscriptus legitur.

V. Numerus Episcoporum Sextæ Synodi.

In ultima Actione Synodi, *centum sexaginta sex* Episcopi per se, vel per suos Legatos subscripsisse reperiuntur. Theophanes & Cedrenus in Annalibus, *ducentos octoginta novem* Episcopos in Sexta Synodo convenisse

(1) Tom. VII. Conc. pag. 1043.

nisse scribunt. Consentit numerus qui habetur Actione 3. in Septima Synodo. Photius in Libello de Synodis, Theodorus Balsamon & Zonaras de Sexta Synodo, centum septuaginta Episcopos numerant: verba Balsamonis hæc sunt: *Sexta Synodus in hac urbium Regina, imperante Constantino Pogonato, Justiniani patre, Heraclii vero nepote, quum centum & septuaginta Sancti Patres convenissent, &c.* Ita & Zonaras. Vide Synodicon Beveregii Tom. I. p. 150. & 151. Quare Severinus Binius in not. ad VI. Synodum, nescio, unde hauserit, Theodorum Balsamonem ponere *Episcopos CLXXI*. Zonaræ, & Balsamoni consentiunt Nilus, & Anonymus Græcus, qui *Episcoporum CLXX.* numerum ponunt. Paulus Diaconus de gestis Longobard. lib. 6. cap. 4. Beda lib. de VI. ætatibus, Regino lib. I. Ado Viennensis, & Freculphus in Chron. solum *CL. Episcopos* interfuisse scribunt. Eutychius Alexandrinus in Annalibus Arabicis numerum Episcoporum sic definit.

وجمع قسطنطين مايـة وثمانية وستين اسقف. وكان جملتهم مايـتان واثنين وتسعين رجلا. فاسقطوا الثلاثـة الشمامسة المرسلين من قبل اغابيوس بطرك رومية. فبقي مايتان وتسعة وثمانين. وكذلك يذكرون الديـتيخه *Congregavitque Constantinus centum sexaginta octo Episcopos. Erat autem numerus eorum, ducenti nonaginta duo: sed subductis tribus Diaconis, quos Agapius* (ita Agathonem vocat) *Romæ Patriarcha miserat, remanent ducenti octoginta novem Episcopi. Atque ita in Diptychis memoratur.* Nimirum (uti Christ. Lupus cap. 6. circa finem observat) variis Actionibus adfuisse possit numerus varius, quomodo factum est & in Synodo Tridentina. Theophanes & Cedrenus forsan computant & illos Episcopos, qui postmodum in suis Sedibus residentes, Synodo subscripsere. Etenim hac via etiam Sanctus Athanasius multiplicavit Episcopos Synodi Sardicensis. Sed hic non prætermittenda observatio Eminetissimi Card. Norisii in dissert. IV. de Epochis Syro-Macedonum cap. I. pag. 313. (quam & Pagius refert ad ann. 681. num. V.)

Lab-

Labbeum scilicet Tom. II. Concil. edit. Reg. Paris. pag. 54. & seq. post eas subscriptiones, quæ vulgo apponuntur Synodo Nicænæ primæ, asserere se exhibere *nomina quorundam Patrum magnæ illius Nicænæ Synodi ex charta Niliaca, quam ferunt fuisse antiquissimam apud Joannem Sambucum*; quum tamen Tom. VI. Concil. pag. 1060. editionis ipsiusmet Labbei, legantur omnia ea Episcoporum nomina, quæ in illa Niliaca Charta memorantur, & urbes in quibus sederunt recte describuntur, quæ in eadem Charta Ægyptiaca erratis characteribus exarantur.

VI. Nulli Canones in Sexta Synodo conditi.

Græci Patres, qui paucis post Sextam Synodum annis, in Trullano Concilio sub Justiniano Imp., Constantini filio, congregati sunt, in sermone Acclamatorio ad eundem Justinianum sic ajunt. *Quoniam Sanctæ & universales duæ Synodi, in hac imperante & Dei observatrice civitate congregatæ, una quidem temporibus divæ recordationis Justiniani, altera vero sub piæ mem. Imperatore Constantino, Tuæ mansuetudinis patre, ad paterne declarandum fidei mysterium, sacros Canones nequaquam conscripserunt, sicut reliquæ quatuor Sanctæ universales Synodi*. Ita communiter Græci Trullanam Synodum habitam scribunt, quæ *omissos in Quinta, & Sexta Synodo Canones* ederet. Balsamon de Sexta Synodo in fine: *Sed hæc quoque Synodus Canones non edidit*. Zonaras de eadem: *Sed ne hujus quidem Synodi Canones ulli usquam editi sunt*. Idem de Trullana: *Atque hæc quidem Synodus, Sextæ appellationem ipsa quoque retinuit, tum quia nihil in ea de rebus ad fidei dogmata pertinentibus, ex quo proprio nomine Synodus censenda fuerit, quæsitum est; tum quia Sextæ Superioris lacunas, quod ad Canonum editionem attinet, illa explevit*. Certe apud Græcos nulli exstant Canones, qui Sextæ Synodo adscribantur. Nulli etiam Latini Canones post genuina Sextæ Synodi Acta descripti reperiuntur. Surius tamen ex quodam Latino Codice Monasterii S. Bavonis in Flandria repertos *Canones Novem* sub nomine *Concilii Sexti Occumenici* edidit, & ex eodem

Surio

Surio prodiere iidem Canones Tom. VII. Concil. Labb. edit. Venet. p. 1411. Verum quum idem Surius illos ipsos novem Canones pro genuinis non habuerit, hanc Admonitionem de iis apposuit : *Hi novem sequentes Canones falso adscribuntur Sextæ Synodo : sed quia pii cum primis esse videantur, noluimus curiosum Lectorem eorum cognitione fraudare : itaque suo illos loco reliquimus ex vetusto Codice Monasterii Sancti Bavonis urbis Gandavensis Flandriæ desumptos. Erat autem Codex ille ad instar Decreti Gratiani distinctus quinque partialibus libris, quorum singuli tractabant singulas materias. Itaque Capitula quæ subjunguntur, desumpta sunt ex ejusdem Libro quarto, capite quinquagesimo sexto*. Titulus eorundem Capitulorum. *Sexta in Constantinopoli centum quinquaginta Patrum contra Macarium Antiochenum Episcopum & socios ejus, qui unam voluntatem & operationem in Christo falsa suspicione adstruebant, temporibus Constantini Principis, Agathonis Papæ Romani, Georgii Constantinopolitani, qui condemnata hæresi præfata, scripserunt novem Capitula inferius annexa*. Capitulum I. *Si quis Presbyter inventus fuerit alicui Clerico vel Laico munera dare, aut dedisse, ut Ecclesiam alterius Presbyteri subripiat, sciat se pro hac rapina & sua cupiditate, aut gradum amissurum, aut in carceris ærumna longo tempore pœnitentiam agendo detinendam*. Cætera vide Tom. VII. Concil. Labb. edit. Venet. a pag. 1411. ad 1415.

VII. Theodorus Sedis Hierosolymitanæ Vicarius, non Episcopus fuit, sed Presbyter.

Christianus Lupus in notis ad Act. XVII. & XVIII. Sextæ Synodi, quærit, an Theodorus Ecclesiæ Hierosolymitanæ Vicarius, cujus in Synodo Apocrisiarius fuit Georgius Presbyter & Monachus, fuerit Episcopus incertæ Sedis, An Presbyter laudatæ Ecclesiæ? Etenim idem Lupus supra conjecit, fuisse forsan Dorensem Episcopum; at vero Acta Synodalia affirmant *Presbyterum*; ita etiam vocat ipse Georgius in subscriptione definitæ fidei, sermonis Prosphonetici, & Relationis Synodalis ad Papam Agathonem. Respondet tamen fuisse *Episcopum*. Eo namque tempore (inquit) vacantes Ecclesiæ, (Romana excepta,) non per Capitulum, aut Vicarium Pres-

Presbyterum, ſed per Viſitatorem ſeu interceſſorem Epiſcopum gubernabantur. Ita vocari poſſit Theodorus, quod in prima Palæſtina eſſet ſenior Provincialis. Et ſubdit: *Cur nequeat eſſe mendum? Laudatæ namque ſubſcriptiones etiam Theodorum Melitinæ Epiſcopum, quem certum eſt fuiſſe Secundæ, vocant Metropolitam Primæ Armeniæ.*

Reſpondeo, Acta genuina, Græca & Latina, in omnibus Sextæ Synodi Actionibus, exhibent *Geogium Presbyterum* & *Monachum*, Apocriſiarium ſeu Legatum *Theodori Presbyteri* & *Vicarii* Sedis Hieroſolymitanæ. Atqui in Septem Œcumenicis Synodis nomen *Presbyteri* a Græcis nunquam pro *Epiſcopo* ſumtum reperitur, neque ſi cum *Vicariatu Sedis Patriarchicæ* conjunctum ſit. Sic enim in *Septimæ Synodi* Actionibus ſe ſubſcribunt Joannes ac Thomas, Πρεσβύτεροι, Μοναχοὶ, ϗ Τοποτηρῆται τῶν Ἀποςολικῶν Θρόνων τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως, *Presbyteri, Monachi, & Vicarii Apoſtolicarum Sedium Orientalis Diœceſeos*, Alexandriæ nempe, & Antiochiæ, & Hieroſolymorum. Falſum vero eſt, quod Vacantes Eccleſiæ per Orientem, non niſi per *Epiſcopum gubernabantur*. Nam Eutychio Alexandrino teſte, Eccleſia quidem Alexandrina poſt Petri Monothelitæ obitum, & ante Coſmæ inaugurationem, ſine Patriarcha fuit *ſpatio annorum quinquaginta ſeptem*, & Antiochena Eccleſia poſt Georgii obitum vacavit *per annos quadraginta*: quo temporis ſpatio non quidem per *Epiſcopum* (alioquin is Patriarcha fuiſſet,) ſed per *Presbyterum* utraque Sedes regebatur. Stephanus autem Dorenſis Epiſcopus Hieroſolymitanam gubernavit Eccleſiam uſque ad annum 649. quo Synodus Lateranenſis ſub S. Martino Papa fuit celebrata: Hic enim Sanctus Pontifex vices ſuas non eidem Stephano, ſed Joanni Epiſcopo Philadelphiæ commiſit, non quidem ut ipſe eſſet Epiſcopus Hieroſolymorum aut Antiochiæ: ſed ut in utroque Patriarchatu ordinaret Epiſcopos, Presbyteros, ac Diaconos. Etſi autem in urbe Conſtantinopolitana ordinati ſub titulo tenus Patriarchæ, Antiochiæ quidem *Macedonius*, *Georgius* & *Macarius*, Alexandriæ vero *Petrus*; nullus tamen legi-

legitur institutus *Patriarcha* Hierosolymorum. Quin imo si Cedrenum audimus, ad annum Constantini Pogonati XIII. quo Sexta Synodus habita est, quum de Constantinopolitana Ecclesia gubernata per Georgium, deque Antiochena per Theophanem in locum Macarii substitutum sermo præcessisset, subjungitur: *Gubernabat tum Alexandrinam Ecclesiam Petrus Monachus: Hierosolymorum nemo; Soliis Patriarcharum sessore tum vacantibus, quod erant a Saracenis occupata*. Idem ipsum legitur ad eundem annum apud Zonaram: *neque enim Alexandria, neque Hierosolyma Patriarcham habebant, a Saracenis occupatæ*: & in Libello Synodico: *Alexandrinæ Ecclesiæ locum tenens Petrus Monachus & Presbyter; propterea quod Patriarchis viduatæ essent ob Agarenorum potentiam, & ipsa, & Hierosolyma*. Huc accedit, quod sicuti Hierosolymorum Τοποτηρητής, *Locum servans*, dicitur *Theodorus Presbyter*, ita etiam Alexandriæ Τοποτηρητής vocatur *Petrus Presbyter*. Quum autem ex dictis certum sit, *Petrum Presbyterum*, non *Episcopum* fuisse Alexandriæ, ita etiam de *Theodoro* sentiendum est. Demum in antiqua Latina Sextæ Synodi editione locum tenentes Alexandrinæ & (1) Hierosolymitanæ Sedis in nonnullis Actionibus sic notantur: *Et Petrus religiosus Presbyter, Monachus, & Legatus Sedis Magnæ Alexandrinæ Civitatis; & Georgius Reverendissimus Presbyter, Monachus, & Apocrisarius, & Theodorus Sanctissimus Legatus Sedis Hierosolymitanæ*: Perinde ac si uterque in Synodo adfuerit, Georgius nempe & Theodorus: quamquam in eadem Latina Versione, Act. IX. X. & XI. sic habetur: *Georgius religiosissimus Presbyter, Monachus, & Apocrisiarius Theodori sanctissimi Legati Sedis Hierosolymitanæ*. Atqui si fuisset Episcopus, nequaquam appellaretur *Theodorus Legatus Sedis Hierosolymitanæ*. Quid? quod in ead. Act. XVIII. & ultima Synodi Sextæ (pag.1054.) adfuere *Jordanus & Polychronius Reverendissimi Presbyteri & Monachi & Apocrisiarii Sanctæ Christi Dei nostri Civitatis Hierosolymorum*. Hi nimirum nomine Civium, Geor-

(1) Tom.VII. Concil. edit. Venet. p.1162. & p.1244. 1245. 1268.

Georgius autem nomine Theodori Vicarii Patriarchalis Sedis.

VIII. Inconstans fuit apud Græcos Armeniarum divisio, & Metropolitanarum dispositio.

Quod vero vir doctissimus Lupus ultimo loco opponit: *cur nequeat esse mendum? Laudatæ namque subscriptiones etiam Theodorum Melitinæ Episcopum, quem certum est fuisse Secundæ, vocant Metropolitam primæ Armeniæ*: hoc, inquam, quod Lupus opponit, nullum habet fundamentum, neque in Græcis, neque in Latinis exemplaribus, in quibus Theodorus ubique *Presbyter*, Τοποτηρητὴς *Ecclesiæ Hierosolymitanæ* appellatur: quemadmodum etiam in omnibus exemplaribus *Theodorus Episcopus Melitinæ Metropolis Primæ Armeniæ*, & *Theodosius Episcopus Sebastiæ Metropolis Secundæ Armeniæ* dicuntur. Vide subscriptiones Actionis ultimæ Tom. VII. Concil. edit. Venet. pag. 1066. & 1078. Scio, a Justiniano Imperatore, novella ipsius XXXI., ex duabus Armeniis, quatuor factas fuisse; Primam, cujus caput *Bazanis* sive *Leontopolis*: Secundam, quæ antea *Prima* dicebatur, cujus Metropolis *Sebaste*: Tertiam quæ prius *Secunda* dicebatur, cujus Metropolis *Melitene*. Quartam, cujus Metropolis *Martyropolis*. Eundem tamen Justinianum in eadem novella cavisse, ne nova illa civili dispositione, Ecclesiasticarum provinciarum ordo mutaretur: *Quo vero ad Sacerdotia spectant* (inquit) *ea, ut sæpe diximus, volumus in pristina manere forma negotio ipso neque circa jus metropoliticum, neque circa ordinationes, nec mutationem vel novitatem suscipiente*. Sic *Sebaste* Metropolis *Primæ Armeniæ*, & *Melitene Secundæ Armeniæ* dicebatur usque ad tempora Justiniani Imperatoris. Verum circa idem tempus mutatio facta reperitur, ut & Sestaste & Melitene *Secundæ Armeniæ* appellari cœptæ sint in subscriptionibus Synodorum. Nam in Sexta, de qua loquimur Synodo, *Theodosius Episcopus Metropolis Sebastenorum, Provinciæ Secundæ Armeniæ*, Θεοδόσιος ἐλέῳ θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Σεβαστέων μητροπόλεως, δευτέρας τῶν Ἀρμενίων ἐπαρχίας: In Quinisextæ Canonibus, Λεόντιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Σεβαστείας τῆς δευτέρας τῶν Ἀρμενίων ἐπαρχίας, *Leontius indignus Episcopus*

scopus Sebastiæ, *Secundæ Armeniorum provinciæ*. Otrejus Melitenæ Episcopus, provinciæ suæ Synodo habita, Leoni Imperatori, quid de impia nece Proterii Alexandrini, deque Sancta Chalcedonensi Synodo sentiret, exposuit cum hac Epigraphe: *Religiosissimo & Christianissimo Imperatori semper Augusto Leoni*, *Otrejus*, *Acacius*, *Joannes*, *Adelphius*, *Hormisdas*, *Longinus*, *Armeniæ Secundæ Episcopi*, *in Domino salutem*. In Quinta Synodo anno 553. sedebat *Joannes Cucusenorum*, *vices gerens Palladii religiosissimi Episcopi Melitenes*, *Metropoleos Secundæ Armeniæ*. Et paulo post, cœptæ sunt dici *Melitene Primæ* & *Sebaste Secundæ* Armeniæ. In Sexta Synodo, ut supra dictum est, *Theodorus Episcopus Melitenensium Metropoleos Primæ Armeniæ*. In eadem Synodo, *Theodosius Episcopus Metropoleos Sebastenorum*, *provinciæ Secundæ Armeniæ*. Id fortasse primo institutum fuit sub Justiniano, quemadmodum perspicuum fit ex *dispositione Patriarcharum*, *Metropolitarum*, & *Archiepiscoporum*, facta sub Epiphanio Patriarcha Constantinopolitano, a nobis edita Tom. 2. hujus operis a pag. 304. ubi num. 11. *In Eparchia Armeniæ Secundæ est Sebastiæ Metropolita*: & num. 13. *In Eparchia Armeniæ primæ*, *est Melitenes Metropolita*. Adeo inconstans fuit apud Græcos *Armeniarum* divisio, & Metropolitarum dispositio.

CAPUT II.

Georgius, *& Theodorus Patriarchæ Constantinopolitani.*

I. Georgius Patriarcha Constantinopolitanus in Menæis Græcorum colitur.

THeophanes in Chronographia, dum agit de tempore editorum Trullanorum Canonum, accuratum Patriarcharum Constantinopolitanorum Catalogum tradit a Georgio, sub quo Sexta Œcumenica Synodus celebrata fuit, usque ad Joannem Leconamantæ filium, qui Antonio defuncto circa ann. Chr. 832. successit. Itaque de Georgio ac Theodoro sic (1) scribit: Πατριαρχοῦντος ἐν τῇ

(1) Edit. Paris. p. 301. & Venet. p. 240.

τῇ ἁγίᾳ οἰκουμενικῇ συνόδῳ Κωνσταντινουπόλεως Γεωργίου ἔτος ἄγοντος τῆς πατριαρχίας γ'. καὶ μετὰ τὴν σύνοδον πατριαρχήσαντος ἄλλα ἔτη γ'. μετὰ δὲ τοῦτον Θεοδώρου ἔτη γ'. *Patriarcham agente in Sancta Oecumenica Synodo Georgio, cujus Patriarchatus annus tertius numerabatur: cuique post Synodum alii tres in Patriarchatu exacti sunt. Post hunc vero Theodorus annos tres*. Ex hoc Theophanis textu infertur, Georgium anno Christi 678. Cathedram Constantinopolitanam ascendisse, quum tempore Sextæ Synodi Œcumenicæ, quæ anno Chr. 680. mense Novembri celebrari cœpit, tertium Episcopatus sui annum numeraret: adeoque corruptos esse illos Patriarcharum Catalogos, qui duos tantum, aut tres annos Georgio assignant: Theophani autem ferme consentire Nicephorum Callistum, qui in suo Catalogo apud Bandurum, sex ei annos ac tres menses adscribit. Denique ex his sequitur, Georgium obiisse, sive, ut loco citato scribit Nicephorus Callistus, Sede sua pulsum (1) fuisse, anno Chr. 683. quo Cathedram Constantinopolitanam occupavit Theodorus. Græci Georgium Ecclesiasticis suis Fastis inseruerunt. In primis Typicum S. Sabæ ad diem VI. Aprilis sic habet: τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γεωργίου Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, *Sancti Patris nostri Georgii Archiepiscopi Constantinopoleos*. Menæa excusa die 18. Augusti, Τῇ αὐτῇ ἡμέρα μνήμη τῶν ἐν ἁγίοις πατέρων ἡμῶν πατριαρχῶν Κωνσταντινουπόλεως Ἰωάννου, καὶ Γεωργίου: *Eadem die memoria Sanctorum Patrum nostrorum Patriarcharum Constantinopoleos* (2) *Joannis & Georgii*. Subnectuntur duo versus ad Georgium spectantes.

Ὁ Γεώργιος, ὡς κελεύεις Χριστέ μου,
Ἔφασκε θνήσκων, ἔρχομαι κληθεὶς ἄνω.

(1) Cur pulsus sit Theodorus, nemo veterum exponit. Si vere pulsus est, existimaverim, aut id contigisse eo quod Theodorus resipiscens, Sedem suam repetere contenderit: aut seditione Constantinopolitanæ plebis mota, qua, si Georgius, Agathonis Papæ Legatis assentiendo, Sedem Constantinopolitanam deprimere visus sit: vidimus enim, etsi Imperator totis viribus obstiterit, ne Vitaliani nomen Diptychis expungeretur, ob excitatos tamen Cleri populique tumultus coactum fuisse id permittere.

(2) Est Joannes Patriarcha Constantinopolitanus, qui Constantinum antecessit, ac Thomæ juniori successit. At Bollandiani ad 18. Aug. contendunt, eum esse Joannem Cappadocem, qui Timotheo successerit anno 518.

Morte imminente, Georgius dixit: Peto
Sedes supernas, Christe, quum primum vocas:

Supplementum ad Menæa ex manuscripto Synaxario Sirmondi apud (1) Bollandianos: Τελεῖται δὲ ἡ αὐτῶν σύναξις ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ: *Celebratur autem solemnitas ipsorum in Sanctissima magna Ecclesia*. Atqui anno Chr. 683. quo Nicephorus hunc Georgium e Sede pulsum dicit, adhuc imperabat Constantinus Pogonatus, qui Georgium tamquam orthodoxum, orthodoxus ipse, colebat. A vero proinde abhorret, eo pulso in Sedem fuisse restitutum Theodorum.

II. Theodorus Georgii decessor, & successor, in Menæis quoque Græcorum tanquam Sanctus colitur.

Defuncto igitur Georgio, Theodorus Sedem Constantinopolitanam rursus occupavit, quum omnem hæreseos Monotheliticæ suspicionem a se amolitus fuisset. Etsi enim antea Macario hæretico consenserit, quemadmodum & Georgius ipsius successor; at pertinax non fuit, sed Georgium imitatus, resipuit: quamobrem defuncto mox successit: Synodus vero Sexta neminem proscripsit, nisi aut in hæresi defunctum, aut pertinacem. Neque vero Imperator, quem Constantino Magno Synodus parem dixit, restitui in Sedem Theodorum passus fuisset, nisi eandem fidem professus esset cum ipso, qui tam pius, tamque ardenter Catholicus erat, ut ipsiusmet parentis Constantis Typum, avique Heraclii Ecthesim proscripserit. Hinc impressa Græcorum Menæa ad diem 27. Decemb., Catalogo Sanctorum hunc ipsum Theodorum ita inscribunt: τῇ αὐτῇ ἡμέρα, τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Θεοδώρου Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως: *Eodem die, memoria Sancti Patris nostri Theodori Archiepiscopi Constantinopoleos*. Deinde sequitur (2) breve ipsius Elogium, quod sic Latine Guilielmus Cuperus Soc. Jesu interpretatur. *Ille in hac ipsa urbe* (Constantinopolitana) *habuit nativitatem, & educationem. Factus est autem propter singularem pietatem Sacerdos Sanctissimæ & magnæ Ecclesiæ, dein Syncellus & Vasorum Custos. Patriarcha autem Constantinopolitano defuncto, coactus est a toto Senatu, & ipso Impe-*

(1) In Histor. Chronologica Patriarcharum Constanntinop. edit. Venet. p. 629.
(2) Vide apud Bollandianos in hist. Chronol. Patriarchar. Cpnor. p. 631. edit. Venet.

Imperatore, *magisque a sacra Synodo gubernacula Ecclesiæ suscipere. Quum vero eam duobus annis ac tribus mensibus bene gubernasset, ad Dominum emigravit. Memoriam ejus magna Ecclesia celebrat die Dominica.* In Menologio Basiliano, fit ejusdem Theodori Archiepiscopi Constantinopolitani Commemoratio ad diem 28. Decembris, in hæc verba. *Hic Constantinopoli natus & educatus, primum ob suam probitatem Presbyter, Syncellus, & Scevophylax fuit Sanctissimæ magnæ Ecclesiæ, atque in summo honore habitus ab Imperatoribus, Patriarcha, Senatu, universaque Synodo: prudens enim erat, sapiens, eleemosynarius, compatiens, & omnia, quæ Deo placent, in seipso circumferens. Quamobrem defuncto Constantino Patriarcha, suffragiis Imperatoris, Senatus, & Episcoporum, totiusque populi, ordinatur Throni Constantinopolitani Patriarcha. Quumque gregem suum optime gubernasset, Sanctamque Ecclesiam orthodoxe, religioseque annis duobus ac mensibus tribus rexisset, migravit ad Dominum.* Maximus Cytherorum Episcopus eadem Græcobarbare ex Menæis recitat. *Sed ea auctoritas* (inquit Cuperus) *nobis hactenus non sufficit, ut hunc Præsulem Sanctis adscribamus. Quare successores nostri ad diem* XXVII. *Decembris dispiciant, an aliunde certiora veræ conversionis & sanctitatis testimonia erui possint. Certe suspicari non poterunt, in Menæis hic de alio Theodoro agi, quum non nisi unicum Antistitem Constantinopolitanum istius nominis inveniamus, ut ex horum Patriarcharum serie apparet.* Addere poterat, *quum in Menologio Basiliano* (quod circa annum Christi 980. exaratum est:) *hic Theodorus dicatur Constantino Patriarchæ Constantinopolitano successisse.* Verum hoc ipsum, quod de Theodoro narratur, suspectam reddit ipsius sanctitatem: nam *annis duobus*, ac *mensibus tribus*, quibus post Constantinum Sedem Constantinopolitanam rexit, impius fuit Monothelita, non Sanctus: Macarii enim Antiocheni fidei subscripsit, & unacum illo apud Constantinum Imperatorem egit, ut Vitalianus Papa e Diptychis expungeretur, quemadmodum de ipso testatur idem

idem Constantinus Imperator in Epist. ad Donum Papam. Quid? quod alibi observatum a nobis est, Georgium ipsum Patriarcham, Theodori ejusdem successorem, simulque decessorem, tametsi ab hæresi Monothelitica resipiscens, Orthodoxam fidem in Sexta Synodo professus sit, omnem tamen lapidem movisse, ut & hæreticorum Patriarcharum Sergii, Pyrrhi, Pauli, ac Petri nomina inter hæreticos anathematizatos disertim non inscriberentur, & illos etiam, qui memoratis hæreticis successerunt, Thomam scilicet, Joannem, & Constantinum, in numero Orthodoxorum Patrum ponerentur. Non mirum itaque, in Menæis Constantinopolitanis inserta fuisse (jussu, vel permissu sequiorum Constantinopoleos Patriarchar.) inter Sanctos nomina Thomæ, Joannis, Constantini, Theodori ac Georgii. Mirum tamen, quod de Theodoro Patriarchalem Sedem post Constantinum annis duobus ac mensibus tribus occupante in Menologio Basiliano legitur Elogium, quum is toto eo tempore hæreticus fuerit; siletur autem tam in dicto Menologio, quam in Menæis impressis de ejusdem Theodori legitimo Patriarchatu, quem sive verus, sive simulatus orthodoxus post Georgii obitum vel expulsionem, aliis tribus annis gessit. Hæc discutienda a doctissimis Bollandianis velim, quum ad diem 27. imo 28. Decembris venerint.

III. Eutychii allucinatio circa tempora Patriarchatus Georgii ac Theodori.

In Arabicis Eutychii Annalibus, subsistere nequeunt Georgii, & Theodori Patriarchatus tempora. Eutychius enim ait de Chaliphatu *Maviæ filii* Abisophiani loquens, qui anno Hegiræ 41. (Christ. 661.) inchoatus est: في سنتين من ولايته صير جرجيوس بطريرك على القسطنطينيه اقام عشر سنين ومات. *Anno Chaliphatus ejus secundo* (idest Chr. 663.) *factus est Georgius Patriarcha Constantinopoleos: quumque decem annos sedisset, mortuus est*. Et infra de eodem Mavia Chalipha. ومات جرجيوس بطريرك القسطنطينيه وكان له بطرك عشر سنين

سنين . وفي اثني عشر سنه من خلافة معاويه صير توملس
بطرك على القسطنطينيه اقام عشر سنين ومات وفي نسخه
عشرون سنه *Georgius autem Constantinopoleos Patriarcha decessit, quum annos decem Patriarchatus egisset. Anno vero Chaliphatus Maviæ duodecimo* (Chr. 673.) *factus est Thomas Patriarcha Constantinopoleos, quumque annos decem, aut secundum aliud exemplar, viginti sedisset, mortem obiit*. Adeoque vel anno Chr. 683. vel 693. Præterquam quod pro Theodoro nomen *Thomæ* perperam usurpatur; idem Eutychius paulo antea, inter *Quintam Synodum* Patrum (ut inquit) *centum* ac *sexaginta quatuor*, sub Justiniano habitam, & inter Sextam illam Synodum Patrum 289. sub Constantino Imp. & Georgio Patriarcha celebratam, fluxisse ait ماية سنة *Centum annos*: ac proinde quum quinta illa anno 553. congregata fuerit, Sextam hanc ex mente Eutychii coactam fuisse necesse est anno Christi 653. quod est mendum manifestum. Addit ibidem, *à tempore Agathonis Papæ* (quem Agapium perperam appellat) *à Syris & Ægyptiis usque ad suam ætatem cœpisse nomen Agathonis Papæ Romani in diptycha referri*.

CAPUT III.

Theophanes, & Georgius Patriarchæ Antiocheni.

I. *Theophanes Macario dejecto, Antiochenus Patriarcha.*

EXauctorato in Sexta Synodo Œcumenica Macario, Episcopi & Clerici Antiochenæ Ecclesiæ Act. XII. postularunt alterum sibi Patriarcham ad Pontificalem Sedem Antiochiæ provenire. Quumque id Act. XIII. die 28. mensis Martii anni 681. impetrassent, *Theophanes* in Macarii locum substitutus fuit, qui proinde tamquam Antiochenus Patriarcha ab Act. XIV. habita die 5. Aprilis ejusdem anni, usque ad Act. XVIII. inter Patres numeratur, eique Act. XVI. sic acclamatur, *Theophani Patriarchæ Antiochiæ multos annos*: idemque Act. XVIII. sic seipsum

ſeipſum ſubſcribit: *Theophanes miſericordia Dei Epiſcopus Theopoleos, ideſt, Antiochiæ definiens ſubſcripſi*. Quot annos huic Synodo ſuperſtes fuerit, non convenit inter Scriptores. Pagius ad annum Chr. 685. ejus obitum ponit, in hæc verba: *Theophanes Antiochenus Epiſcopus hoc anno mortuus eſt, ut recte Baronius ex Synodo Secunda Nicæna oſtendit: ea enim habet, Benedictum Secundum* (Romanum Pontificem) *Macarium a Sexta Synodo damnatum Antiochenis præficere cogitaſſe, ſi is ad meliorem mentem perduceretur, qui nihilominus in prava ſua ſententia perſtitit. Quare quum Benedictus die 7. menſis Maji hujus anni (685.) vivere deſierit, hoc, vel ſuperiori anno Theophanes vita functus fuit*. Adeoque ab anno 681. ad 684. vel 685. ſederit tribus, vel quatuor annis, non quinque, uti Baronius ait, Nicephorum ei attribuere. Nicephorus quippe in utroque Anaſtaſio Epiſcopis Antiochenis Catalogum Epiſcoporum illius Patriarchatus abſolvit; id itaque ab aliquo alio Auctore & quidem recentiori, deſumtum.

II. Error Eutychii circa Theophanem.

Eduardi Bernardi Index, *annos duodecim* Theophani attribuit, ſeu illum ab anno 681. ad 693. ſediſſe ait: quod a vero abhorret. Eutychius in Annalibus Theophanem in Sexta Synodo conſtitutum Patriarcham Antiochenum his verbis ſcribit. وكان ريس هذا الجمع السادس جرجيوس بطريرك القسطنطينية وتاوفانس بطرك انطاكية لانه في ذلك الجمع صير بطرك لان مقاريوس الذى قبله لعن في هذا الجمع فاما لاسكندرية وبيت المقدس فلم يكن فيها في ذلك الوقت بطريرك وكان الكرسيين خاليين *Prgerat* (1) *huic Synodo Sextæ Georgius Patriarcha Conſtantinopoleos, ac Theophanes Patriarcha Antiochiæ: hic enim in eadem Synodo factus fuit Patriarcha, eo quod Macarius ejus deceſsor in ea ipſa Synodo anathematizatus*

(1) Græca fide Eutychius, præſidentiam Synodi Sextæ attribuit Patriarchis Byzantii & Antiochiæ, quum Acta Græca, & Latina ei Synodo ante Patriarchas Orientales præfuiſſe dicant Legatos Agathonis Papæ.

tus esset. Alexandriæ vero & Hierosolymis nullus tunc temporis præerat Patriarcha, sed utraque Sedes vacabat. Subjungit Eutychius in Chaliphatu Abdalmalechi filii Meruani (inchoatus est mense Ramadano anni Hegiræ 65. hoc est, anno Chr. 685. mense Majo:) enarrans obitum Theophanis (qui à librario perperam *Thomas* dicitur) & Georgii inaugurationem. ومات توملس بطرك انطاكيه وله عشرين سنه. وفي اول خلافته صير جرجي بطرك علي انطاكيه اقام اربعه وعشرون سنه ومات. *Mortuus est Thomas Antiochiæ Patriarcha, quum annos XX. sedisset. Anno autem Chaliphatus ejus primo factus est Antiochiæ Patriarcha Georgius, qui quum annos xxiv. egisset, decessit.* Sed isthæc Eutychii Chronotaxis stare nequit, eidemque ipsi Eutychio repugnat. Nam si Theophanes anno 681. in Sexta Synodo [uti fatetur Eutychius] Antiochiæ Patriarcha constitutus est, annosque viginti in Patriarchatu egit, obiisse illum oportet an. Chr. 701. Quomodo igitur Georgius eidem Theophani, Thomæ perperam appellato, succedere potuit anno Chaliphatus Abdalmalechi primo, hoc est Chr. 685.? Itaque dicendum est, in numero annorum Patriarchatus Theophanis errorem irrepsisse, & pro *annis xx.*, reponendum esse *annos* ad summum *quatuor*.

III. Post Theophanem neque Alexander, neque Constantinus Antiochenæ Ecclesiæ præfuit.

Scio, Anastasium Bibliothecarium in Historia ad annum divinæ Incarn. 678. idest Epochæ vulgaris 686. *Alexandrum* quemdam Theophani Patriarchæ Antiocheno successorem asserere, his verbis; *Theodorus autem Constantinopolitanus annis tribus: & Alexander Antiochenus habentur Antistites.* Scio etiam, apud Bollandianos in Hist. Chronolog. Patriarcharum Antiochenorum num. LXVI. eundem dici *Alexandrum* Anastasii, ac *Thomam* Eutychii: adeoque inter Theophanem & Georgium, hunc Thomam seu Alexandrum tamquam diversum ab utroque Patriarcham poni. verba Bollandianorum hæc sunt. *Nihil hic me moratur nominum Alexandri ac Thomæ diversitas, quum & binominis esse potuerit Alexander, & Eutychius non raro nomina mirum quantum immutet.*

Nec movent etiam anni xx. quos Thomæ suo adscribit Eutychius; eo enim compulsus esse potuit per errorem illum, quo Synodum Sextam, in qua creatum Episcopum sciebat Theophanem, collocandam putarat anno Mauiæ quarto, Christi 664. Quum igitur perspectum forsitan haberet initium Georgii, qui Thomæ juxta ipsum statim successit, sciretque non diuturnum fuisse Patriarchatum Theophanis, videtur annos Macario detractos transtulisse in Thomam, cujus forte tempora minus noverat. Ut ut est, in eo cum Anastasio consonat, quod uterque anno Chr. 686. Patriarcham agnoscit Theophani suffectum, sive Thomam illum vocare libet, sive Alexandrum, certo à Georgio deinde consequuto diversum. Hæc Bollandiani. Atqui ex ipso Eutychii textu nosse poterant, non hominem fuisse Thomam a Theophane diversum, sed librarii oscitantiæ adscribendnm, quod pro Theophane Thomam scripserit. Eutychius enim tam initium, quam obitum uniuscujusque Patriarchæ exprimere solitus, quomodo de Theophanis obitu siluisset, aut quomodo Thomæ initium prætermisisset, si Thomas a Theophane diversus fuisset? Infinita sunt in Arabicis exemplaribus nomina hujusmodi à librariis corrupta, & præsertim Græca, & Latina, quæ Arabicis elementis vix recte exprimi possunt, uti *Theophanes*, *Agatho*, *Pyrrus*, *Honorius*, & similia.

Quemadmodum autem in Anastasii historia intrusum fuisse *Alexandri* nomen post Theophanis obitum, agnoscunt Orientales Scriptores omnes, nec non Ricciolius Chronologiæ reform. Tom. 3. Par. 1. Catal. 11. & Gualterius in Tabulis Chronographicis sæculo septimo: ita & *Constantinum* quemdam in locum Theophanis subrogatum, asserit quidem Baronius ex male intellecto Anastasii loco; recte tamen negant Bollandiani. Verba Baronii ad annum 686. num. 5. accipe. *Quod rursum ad Cononis* (Papæ) *res gestas pertinet, illud perperam factum ab eo Anastasius tradit, quod, quum morte Theophanis vacaret Ecclesia Antiochena Pastore, quorumdam Ecclesiasticorum persuasione, inconsulto Romanæ Ecclesiæ Clero, ordinarit Constantinum, Diaconum*

Eccle-

Ecclesiæ Syracusanæ, Rectorem tunc Patrimonii Romanæ Ecclesiæ in Sicilia, eique Pallium ex more concesserit. Ex his Baronii verbis nonnulli recentiores deduxere, Constantinum, quum esset Diaconus & Rector patrimonii Romanæ Ecclesiæ in Sicilia, consecratum esse à Conone Romano Pontifice Patriarcham Antiochenum in locum defuncti Theophanis. Huic errori ansam præbuit corruptus Anastasii textus: quem si legas, ut est à Fabroto ad tres Codices manuscriptos emendatus, patebit, ibi de Antiochia ejusque Patriarchatu nullam fieri mentionem. Textus igitur Anastasii correctus hic est. *Hujus* (Cononis) *temporibus, pietas Imperialis relevavit per sacram jussionem ducenta annonæ capita, quæ Patrimonii custodes Brutiis & Lucaniæ annue persolvebant. Itemque & aliam jussionem direxit, ut restituatur familia suprascripti Patrimonii, & Siciliæ, quæ in pignore à militia detinebatur. Hic* (Conon) *ultra consuetudinem, absque consensu Cleri, & immissione malorum hominum in Autipathia Ecclesiasticorum* (antea corrupte legebatur in Antiochia) *Constantinum diaconum Ecclesiæ Syracusanæ, in Patrimonio Siciliæ constituit, hominem perperam, & tergiversutum. Sed & pallio ad caballicandum uti licentiam ei concessit. Et post non multum temporis seditio super eum orta est à civibus, ob Patrimonii lites: qui à judice provinciæ sub arcta custodia retrusus est, pro eo quod in dissensionem judicum inveniretur directus fuisse.* Quis non videt, in hoc Anastasii textu, de Constantini in Patriarcham Antiochenum inauguratione, ne verbum quidem fieri?

IV. Georgius Theophani defuncto successit. Notatur Catalogus Macarii Melchitarum Patriarchæ. Post Georgium vacavit Sedes Antiochena annus XL. idest ab anno Christi 702. ad 742.

Certum itaque esse debet Theophani anno 685. defuncto, non alium successisse, nisi *Georgium*, illum nempe, qui in Sexta Synodo dicitur *Presbyter & Monachus Sebastenus, & Apocrisiarius Theodori Presbyteri, & Vicarii Sedis Hierosolymitanæ*, additurque, *qui postea Antiochiæ Patriarcha fuit*. Idem Georgius in Synodo Trullana, ita subscriptus legitur: Γεώργιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Ἀντιοχείας ὁρίζων ὑπέγραψα, *Georgius minimus Episcopus Antiochiæ, definiens subscripsi*. Macarius Antio-

tiochenus Melchitarum Patriarcha, in Catalogo Patriarcharum Antiochenorum, quem Arabice scripsit *die 16. Junii Anno mundi 7173.* (hoc est, Christi 1665.) cap. XXVII. pro Georgio, *Alexandrum* ponit immediatum Theophanis successorem, inquiens: وبعد ثاوفانس صير الكسندرس الثاني بطريركا على انطاكيه اقام مدة ستة عشر سنه وتوفي وكانت انطاكيه نفسها قد اقامت اربعين سنة بغير بطريرك لان امارة العرب المسلمين لم يادنوا ان يصير بطاركه عليها . وبعد فنا البطاركه مكدونيوس وجرجس وماكاريوس وثاوفانس والكسندرس لم يشرطن بعدهم اخر على انطاكيه في القسطنطينيه من بطاركة انطاكيه.
Post Theophanem factus est Alexander secundus Antiochiæ Patriarcha, qui quum annos xvi. sedisset, decessit. Antiochia autem ipsa absque Patriarcha mansit spatio annorum quadraginta: eo quod Mosulmani Arabum Ameræ non permittebant Patriarchas Antiochiæ præferri. Itaque post decessum Patriarcharum Macedonii, Georgii, Macarii, Theophanis, & Alexandri, nullus alius Antiochiæ Patriarcha constitutus fuit Constantinopoli. Addit, primum fuisse *Stephanum*, quem Isamus Arabum Amera permiserit, Antiochiæ creari Patriarcham. Sed de hoc infra sermo erit. Nunc advertendum, ex neotericis Latinis Scriptoribus à memorato Macario Patriarcha exculptum fuisse nomen *Alexandri*, idque substitutum pro *Georgio*, quem documenta authentica docent vere fuisse post Theophanis mortem in Antiochena Sede collocatum. Quum vero idem Macarius dicat, Alexandrum (verius Georgium) annos XVI. sedisse, sequitur, ejus Patriarchatum ab anno Christi 685. ad 701. durasse. Qua in re cum Bollandianis convenit, quorum verba de *Georgio Antiocheno Patriarcha* num. LXVII. hæc sunt. *Jam quod ad annos Episcopatus ejus attinet, in eo assentior Eutychio, quod eos deducat usque ad vacationem illam diuturnam Sedis Antiochenæ, cujus sub initium seculi octavi auctores fuere Saraceni. Sed quum ea cæperit*

perit anno Chr. 702., *ut scribunt Theophanes*, *Auctor Miscellæ Historiæ*, *Anastasius Bibliothecarius*, *Cedrenus*, *quando ad annum Constantini Copronymi secundum*, *Christi* 742. *asserunt*, *Ecclesiam Antiochenam Pastore per annos* XL. (1) *fuisse viduatam*, *nego Georgium ultra annos* XVI. *quot sunt ab anno Chr.* 686. *usque ad* 702. *Patriarchatum obtinuisse*. Non enim audiendus Eutychius, qui Georgio annos Sedis XXIV. attribuit, neque Eduardus Bernardus qui annos ei XXI. adscribit.

Anastasius Bibliothecarius Præfat. in Septimam Synodum ad Jo. VIII. Papam, de Synodo Trullana loquens, deque Episcopis Orientalibus, qui dicuntur ei Synodo interfuisse, editosque in illa Canones admisisse: *Ergo Regulas* (inquit) *quas Græci a Sexta Synodo perhibent editas*, *ita in hac* (Septima) *Synodo principalis Sedes admittit*, *ut nullatenus ex his illæ recipiantur*, *quæ prioribus Canonibus*, *vel decretis Sanctorum Sedis hujus Pontificum*, *aut certe bonis moribus inveniuntur adversæ*: *quamvis omnes hactenus ex toto maneant apud Latinos incognitæ*, *quia nec interpretatæ*: *Sed nec in ceterarum Patriarchalium Sedium*, *licet Græca utantur lingua*, *reperiantur Archivis*: *nimirum quia nulla earum*, *quum ederentur*, *aut promulgans*, *aut consentiens*, *aut saltem præsens*, *inventa est*, *quamquam easdem Patres*, *illas Græci promulgasse perhibeant*, *qui in Sexta Synodo sunt inventi*: *sed hoc nullis probare certis possunt indiciis*. Disertim affirmat Anastasius, trium Patriarchalium Orientis Sedium Antistites ne per Legatos quidem Synodo Trullanæ interfuisse. *Sub barbaro enim* (ut inquit Lupus in dissert. de Synodo Trullana) *&* *infideli Saracenorum jugo omnes cum subditis Ecclesiis tunc captivi gemebant*. *Hinc de Græcis*, *easdem utrique Synodo Episcopos adfuisse asseverantibus*, *recte addit Anastasius*: *Hoc nullis probare possunt certis indiciis*. Quare ex hoc Anastasii testimonio, falsi arguuntur subscriptiones

V. Trium Patriarchalium Orientis Sedium Antistitum nemo in Trullana Synodo interfuit, præter Georgium Antiochenum.

(1) Quinquaginta vacationis annos, perperam habet Laterculus Eduardi Bernardi, quin etiam Eutychii, Vide Quienum Tom. 2. Orient. Christ. p. 744.

nes ad calcem Canonum appositæ, hunc in modum (1): *Paulus indignus Episcopus Constantinopolis novæ Romæ definiens subscripsi. Petrus indignus Episcopus Alexandriæ magnæ civitatis definiens subscripsi. Anastasius humilis Episcopus Sanctæ civitatis Jerusalem definiens subscripsi. Georgius humilis Episcopus Antiochiæ definiens subscripsi*. Nam, præterquam quod neque Photius, neque Zonaras aut Balsamon aut Harmenopulus, vel Auctor Libelli Synodici, in notis ad hanc Trullanam Synodum, ullam mentionem Patriarcharum *Pauli*, *Petri*, *Anastasii*, & *Georgii* faciunt, qui ei Synodo interfuerint, Hierosolymitanus Antiocheno præponitur; quod quum contra Canones sit, in nulla vel particulari vel œcumenica Synodo factum reperitur. Solus Matthæus Blastares in Prooemio sui Nomocanonis de Synodo Trullana scribit: *Principes ejus Synodi celebrantur, Paulus Constantinopoleos, alter Paulus Alexandriæ, Georgius Antiochiæ, Anastasius Hierosolymorum*: Nimirum, Georgium Antiochenum contra manuscripta & impressa ejus Synodi exemplaria, præmittit Anastasio Hierosolymitano, & pro Petro Alexandrino *Paulum* comminiscitur. Huc accedit, quod fictitii Patriarchæ sunt *Petrus* Alexandrinus, & *Anastasius* Hierosolymitanus: in nullis enim Patriarcharum Catalogis reperiuntur, quinimo disertis verbis accurati rerum Ecclesiasticarum Scriptores narrant, Sedem quidem Hierosolymitanam post S. Sophronii Patriarchæ mortem, per Episcopos, vel Presbyteros & Monachos Vicarios administratam fuisse usque ad annum (2) primum Justiniani Rhinotmeti, idest Chr. 705. quo *Joannes* Hierosolymorum Patriarcha, Theophane & Eutychio Alexandrino testibus, creatus fuit; Alexandrinam vero Sedem, per Vicarios etiam Presbyteros rectam fuisse, post *Petri* Monothelitæ decessum, usque ad annum Constantini Copronymi 2. Chr. 742. quo *Cosmas*, *Patriarcha*,

(1) Tom. VII. Conc. edit. Venet. p. 1394.

(2) Vide Quienum in Oriente Christ. Tom. 3. p. 290. ubi post Theodorum Presbyterum, ac Vicarium, ex Theophane ostendit Joannem creatum fuisse Patriarcham Hierosolymitanum anno Justiniani 1. Chr. 705.

cha, Theophane teste, sedebat. Hierosolymis quippe Sedem illam gubernabant Vicario nomine Stephanus Dorensis, Joannes Philadelphiensis, ac Theodorus: Joannes autem Patriarcha fuit ab anno 705. ad ann. 735. aut 745. juxta Eutychium, qui annos Patriarchatus 40. ei attribuit. Similiter Alexandrinam Sedem post Petri Patriarchæ hæretici interitum, Vicario nomine administrabat *Petrus Presbyter*, & *Monachus*, qui anno 681. Sextæ Synodo subscripsit his verbis: *Petrus misericordia Dei Presbyter* (1) *& Vicarius Sedis Alexandrinæ magnæ urbis*. Cosmas autem, post diuturnam Sedis vacationem, primus Patriarchalem dignitatem obtinebat, Theophane teste, anno Constantini Copronymi secundo, divinæ Incarn. 734. (hoc est Chr. 742.) quo anno (inquit Theophanes) *Cosmas Alexandriæ Patriarcha cum ipsa civitate Monothelitarum pravitate à Cyro, qui sub Heraclii vixit temporibus, eam civitatem obtinente, abjurata, & errore cognito, ad orthodoxam Ecclesiam rediit*. Ex quibus concluditur, Petrum & Anastasium, Alexandrinum nempe ac Hierosolymitanum, qui Trullanæ Synodo subscripti leguntur, commentitios Patriarchas fuisse: quemadmodum Quienus observat in Oriente Christiano Tom. 3. pag. 280. ubi quum post longam Sedis Hierosolymitanæ vacationem, primùm ejusdem Sedis Patriarcham fuisse constitutum Joannem anno primo Justiniani Rhinotmeti restituti, hoc est Chr. 705. ex Theophane ostendisset, subdit. *Cæterum, quum Eutychius subdit*, mansisse Hierosolymitanam Sedem post mortem Sophronii, usquedum sufficeretur Joannes, sine Patriarcha, annos viginti novem: *hoc verum est, excepto* (2) *annorum xxix. computo. Nec morari debet, quod Canonibus Trullanis in*

Con-

(1) Tom. VII. Conc. edit. Venet. p. 1114. in Latina versione, pro *Presbytero*, uti in Græco legitur, sic habetur: *Petrus misericordia Dei Episcopus & Vicarius &c.* errore manifesto. Nam in omnibus ejusdem Synodi Actionibus *Presbyter* ubique inscribitur.

(2) Sophronius decessit juxta Baron. anno 636. juxta Pagium anno 637. juxta Henschenium anno 638. juxta Papebroch. anno 644. Ab his autem annis ad ann. 705. quo Joannes Patriarcha Hrierosolymor. creatus est, non anni sunt xxix. sed 69. 68. 67. 61.

Concilio Quinisexto Anno Justiniani Secundi primum imperantis septimo, Christi 692. *habito, subscripsisse legatur Tom. vi. Concil. Labb. (edit. Regiæ) col.* 1188. Anastasius humilis Episcopus Sanctæ civitatis Hierusalem. *Nam Anastasius iste perinde confictus a Græcis horum Canonum assertoribus censendus est, ac* Petrus indignus Episcopus Alexandriæ magnæ civitatis, *qui ibidem quoque subscribens obtruditur; quandoquidem certo certius est, nullum tunc extitisse Alexandriæ Patriarcham Orthodoxum, seu Melchitam, ut vocant*. Et pag. 290. *Ex Patriarcharum Hierosolymitanorum numero, supra expungendum ostendimus* Anastasium quendam *hominem confictum à Græcis ... nullibi enim alias de eo Episcopo vel levis mentio occurrit: testatur vero Anastasius Bibliothecarius, nullum Patriarcharum (excepto Constantinopolitano, saltem ut probabile est) Concilio Quinisexto, ubi Canones illi conditi sunt, adfuisse*. Restat itaque, inter confictos illos duos Alexandriæ & Hierosolymorum Patriarchas, solum *Georgium* vere *Antiochenum* fuisse: hunc enim & Acta Sextæ Synodi (quamquam interpolata) memorant: & disertam illius mentionem facit Eutychius Alexandrinus, & Macarius Antiochenus, Melchitarum Patriarchæ. An vero hic Georgius Trullanæ Synodo adfuerit, eidemque subscripserit; negat, ut supra, Anastasius Bibliothecarius, negat & Quienus, negat denique Baronius ad ann. 692. num. 45. ubi Anastasii testimonio utitur, inquiens: *Sed quid amplius? Testificatione quidem Anastasii Bibliothecarii liquet, tantum abesse ut Romana Ecclesia eos receperit Sextæ Synodi nomine promulgatos Canones, ut nec etiam aliqua trium Sedium Patriarchalium Orientalium, eos ut reciperet, induci potuerit. Etenim earundem Ecclesiarum Patriarchæ, quum nec se vocatos ad illud Conciliabulum scirent, neque per se, vel suos Legatos eidem interfuerint, procul abfuerunt, ut ab eo sancita receperint*. Verum, sicuti negare non possumus, eidem Trullanæ Synodo Patriarcham Constantinopolitanum Paulum interfuis-

fuiſse : ita etiam de Georgio Antiocheno ſentiendum eſse affirmamus. Nam, Eutychio & Macario teſtibus, Antiocheni Patriarchæ Macedonius, Georgius, Macarius, Theophanes, & Georgius (alias Alexander dictus) in urbe Conſtantinopolitana PatriarchatumAntiochenum conſequuti, ibique manſiſse perhibentur uſque ad obitum (Macario excepto, qui in Sexta Synodo damnatus, Romam poſtea miſsus fuit:) Quum ergo tam Conſtantinopolitanus, quam Antiochenus Georgius, quo tempore Trullana Synodus celebrata eſt, Conſtantinopoli degerent, quis dixerit, illos eidem non adfuiſse?

CAPUT IV.

Juſtinianus Rhinotmetus Imperator.

JUſtinianus Conſtantini Pogonati filius, a naribus præcifis cognomento Rhinotmetus, Conſtantino patri initio menſis Septembris Indictione XIV. anno Chriſti 685. defuncto ſucceſſit, annos natus ſexdecim. Eodem anno menſe Julio poſt Benedicti II. Papæ obitum ordinatus eſt Joannes V. natione Syrus ex provincia Antiochia, patre Cyriaco, cujus temporibus, ut ſcribit Anaſtaſius, Juſtinianus Imperator pacem conſtituit cum Saracenis per decennium terra marique: ſed & Provincia Africa ſubjugata eſt Romano Imperio atque reſtaurata. Verum ad Africam quod ſpectat, recole animadverſa a me Tom. 2. Italicæ Hiſtoriæ Scriptorum a p. 490. Quo vero ad pacem cum Saracenis a Juſtiniano conſtitutam, audiatur Theophanes, qui ad ann. I. Juſtiniani, Incarn. ſecundum Alexandrinos 678. Kalendis Sept. anni Chriſti 686. inchoatum, refert, *Abdimelechum Saracenorum Chalipham, pacis ergo, ad Juſtinianum Legatos miſiſſe, eamque his conditionibus initam, ut Imperator Mardaitarum agmen e Libano prorumpens comprimeret, & impediret eorum excurſiones: Abdimelech vero in ſingulos dies mille nummos aureos, & equum & ſervum Imperatori*

tori penderet, & uterque Princeps, justa & æquali portione, Cypri, Armeniæ, & Iberiæ vectigalia inter se dividerent. Conditiones pacis impleturus Justinianus, misso edicto, Mardaitas ad duodecim millia de Libano detraxit, & in Armeniam anno Incarn. 679. (Kal. Sept. anno Chr. 687. inchoato) *profectus, æneum illum Imperii Romani murum in Libano prius consistentem, & a se eversum, illic suscepit.* Abulpharagius in Chron. Syriaco ubi agit de Abdimeleco Meruani filio, hoc ipsum de Mardaitis narrat his verbis, anno tamen non expresso.

ܗܢܐ ܕܝ ܐܡܠܟ܆ ܘܟܕ ܚܙܐ ܕܡܢ ܟܠ ܓܒ̈ܝܢ ܡܬܥܨܝܢ ܩܪ̈ܒܐ:
ܘܝܬܝܪܐܝܬ ܐܬܐܠܨ ܡܢ ܡܪ̈ܕܝܛܝܐ ܕܪ̈ܗܘܡܝܐ ܕܒܠܒܢܢ: ܥܒܕ
ܫܝܢܐ ܥܡ ܝܘܣܛܝܢܝܢܘܣ ܠܥܣܪ̈ ܫܢ̈ܝܢ. ܕܢܦܩ ܥܡ
ܝܘܣܛܝܢܝܢܘܣ ܡܫܪ̈ܝܬܗ ܕܗܘܝ ܗܘܘ ܒܐܪܥܐ ܕܛܝ̈ܝܐ ܡܢ
ܐܪܥܐ ܕܛܝ̈ܝܐ ܘܢܦܩܘܢ ܬܪܬܥܣܪ ܐܠܦܝ̈ܢ ܥܒܕܐܠܡܠܟ ܕܝܢ ܠܪ̈ܗܘܡܝܐ ܢܬܠ ܗܘܐ ܟܠ
ܝܘܡܐ ܐܠܦܐ ܕܝܢܪ̈ܐ ܘܣܘܣܝܐ ܚܕ ܘܥܒܕܐ ܚܕ ܘܕܬܗܘܐ ܩܘܦܪܘܣ
ܦܠܓܐ: ܡܟܣܝܗ̇ ܕܢܬܠ ܠܪ̈ܗܘܡܝܐ ܘܡܟܣܝܗ̇ ܠܛܝ̈ܝܐ.
ܘܐܪܡܢܝܐ ܐܟܚܕܐ ܥܡ ܓܘܪܙܢ ܘܐܪܢ ܘܐܕܘܪܒܝܓܢ ܠܪ̈ܗܘܡܝܐ.

Hic, ubi Rex inauguratus est, videns, bello se undique premi, ac potissimum in angustias se adduci a Mardaitis Romanorum, qui in Libano degebant, pacem iniit cum Justiniano ad decem annos: ut nempe Justinianus quidem agmina sua e terra Arabum educeret, quæ erant numero duodecim millia: Abdimelecus vero Romanis hanc ob rem penderet in singulos dies mille nummos, & equum unum, & servum unum: utque Cyprus in commune partim vectigalis esset Romanis, & partim Arabibus: atque ut Armenia, unacum Gurzan, Aran, & Adorbigan, Romanis cederet. Idem Abulpharagius in Chron. Arabico, typis impresso Oxoniæ anno 1663. quod *Historia Dynastiarum* nuncupatur, Latine quidem pag. 128. Arabice vero pag. 200. sic habet. *Porro anno Hegiræ septuagesimo, qui Alexandri millesimus est, copias instruxit Justinianus Imperator Græcorum contra Moslemios, qui Syriam occu-*

occuparant : & pacem cum eo inivit Abdelmalec, hac conditione; ut quolibet die Veneris, vel, ut alii, quolibet die, mille aureos ipse penderet, una cum equo & servo. Sed Græcis historicis hac in re major fides adhibenda, quam Abulpharagio. Nam primo falsum est, quod Abdimelecus Justiniano cesserit Armeniam cum Gurzan, Aran, & Adorbigan, idest, cum Iberia, Alania, & Media. Deinde, annus Hegiræ 70. inchoatus est die 25. Junii anni Chr. 689. Annus autem Alexandri *millesimus* (juxta Abulpharagium) respondet anno Christi 691. ac proinde Epocha ab eodem assignata neque sibi ipsa consentit, neque cum anno a Theophane indicato convenit.

Anno Justiniani 2. Incarn. 679. (Kal. Septemb. anni Christi 687. inchoato) Justinianus pacem a patre cum Bulgaris pactam solvit, & Bulgaros & Sclaviniæ provincias in servitutem mittere meditatus, equestres legiones in Thraciam transire jussit.

Joanni V. Romano Pontifici mense Augusto anni 686. defuncto succefsit Conon ex patre Thracesio apud Siciliam educatus, qui quum menses XI. sedisset, decessit die XXI. Septembris anni Chr. 687. *Hic suscepit* (Anastasio teste) *Divalem Jussionem Domini Justiniani Principis, per quam significat, se reperisse Acta Sanctæ Sextæ Synodi, & apud se habere, quam piæ memoriæ Domnus Constantinus genitor ejus, Deo auxiliante, fecerat. Quam Synodum promisit ejus pietas illibatam & inconcussam perenniter custodire, atque conservare.* Hæc Jussio Imperatoris Justiniani mense Februario anni Christi 687. directa fuerat ad Joannem V. Papam in confirmationem Sextæ Synodi. Exstat autem Latine tantum Tom. VII. Concil. Labb. edit. Venet. pag. 1159. Inscriptio. *In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Imperator Cæsar Flavius Justinianus, fidelis in Jesu Christo, pacificus, pius, perpetuus Augustus, Joanni Viro Sanctissimo ac Beatissimo Archiepiscopo antiquæ almæ urbis Romæ, atque universali Papæ.* Initium. *Magnum studium, & magnam sollicitudinem nos habentes pro stabilitate immaculatæ Christianorum fidei.* Narrat, cogni-

cognitum sibi esse, quia Synodalia gesta, eorumque definitionem, quam & instituere noscitur Sanctum Sextum Concilium, quod congregatum est in tempore sanctæ memoriæ patris nostri in hanc a Deo conservandam regiam urbem, apud quosdam nostros Judices remiserunt: neque enim omnino prævidimus alterum aliquem apud se detinere ea, sine nostra piissima serenitate, eo quod nos copiosa misericordia noster Deus custodes constituit ejusdem immaculatæ Christianorum fidei. Sed mox adduximus nostros Patres Sanctissimos ac Beatissimos Patriarchas, cum vestræ beatitudinis Apocrisiario; & Sanctissimum Senatum, verum etiam Deo amabiles Metropolitas, & Episcopos, qui hic in Regia urbe commorantur, & deinceps militantes incolas sancti Palatii, & ex Collegiis popularibus, & Abexcubitoribus; insuper etiam quosdam de Christo dilectis exercitibus, tam a Deo conservando Imperiali (1) *Obsequio, quamque ab Orientali, & Thraciano, similiter & ab Armeniano, etiam ab exercitu Italiæ, deinde ex Cabarisianis, & Septensianis, seu de Sardinia atque de Africano exercitu, qui ad nostram pietatem ingressi sunt: & jussimus præfatas Synodalium gestorum Chartas in medium adduci, & coram supradictis omnibus lectionem eorum fieri: omnesque diligenter audientes signare ipsas fecimus: quorum auditorum universitas in nostris manibus eas præbuit chartas, ut debeamus nos tenendo inviolatas conservare ipsas, ut non licentia fuerit in quolibet tempore his, qui timorem Dei nolunt habere, aliquid corrumpere aut submutare ab his, quæ inserta sunt in prænominatis Synodalibus gestis: quas totas chartas bene definitas in temporibus sanctæ memoriæ nostri patris, ex probabilibus Sanctis Patribus, qui propriæ linguæ & manuum fide apud Dominum nostrum Jesum Christum verumque Deum existentem, confirmasse dignoscitur, & confitentes eam docuisse, nos speramus clementissimum nostrum Deum, qui usque dum noster spiritus statutus est*

(1) Τῷ ὀψικίῳ. Thema seu legio Asiaticæ cujusdam provinciæ, de qua Constantinus Porphyrog. lib. 1. de Them. cap. 4. Ibi etiam de Them. *Orientali*, *Thracico*, & *Armeniaco*.

est ex Deo esse in nobis , ipsas Chartas illibatas & incommutabiles semper conservabimus . Ad insinuandum itaque vestræ paternæ beatitudini hujusmodi capituli motiones , prævidimus & earum scientiam notam fecisse beatudini vestræ. Et manu Divina, *hoc est*, manu ipsius Justiniani . *Divinitas te servet per multos annos Sanctissime ac Beatissime Pater. Data* XIII. *Kalend. Martias, Constantinopoli, in Imperiali Domo, piissimoque & perpetuo Augusto Justiniano Imperatore, Anno Secundo, & post Consulatum ejus anno Secundo Indictione decima quinta: id est Anno Chr.* 686.

Quum hoc factum , quinto post celebratam Sextam Synodum anno , contigerit , miror , Acta ejusdem Synodi in urbe Constantinopolitana non alibi reperta fuisse , *quam apud quosdam* (ut inquit Imperator) *nostros Judices , neque alterum aliquem detinere ea , sine nostra piissima serenitate*. Quæro enim, cur si non alibi , saltem in Patriarchio Constantinopolitano non adhuc servabantur, quum in postrema (1) Actione , die 16. Sept. anni 681. habita , dictum sit : *Sciendum , quod juxta ea , quæ interloquutus est piissimus & Christum diligens Imperator Constantinus , vel etiam pollicitus est , exempla Definitionis cum subsignatione mansuetæ ejus serenitatis, præbuit quinque Patriarchalibus Sedibus hoc modo. Apostolicæ Sedi Sancti & Principis Apostolorum Petri, nempe Agathoni Sanctissimo Papæ senioris Romæ . Sedi Sanctissimæ Catholicæ & Apostolicæ magnæ Ecclesiæ Constantinopoleos, sive Georgio Sanctissimo , & Beatissimo Patriarchæ*. Et sic de tribus aliis Patriarchalibus Sedibus Alexandriæ , Antiochiæ & Hierosolymorum . Joannes quoque Romanus Pontifex , ad quem isthæc Justiniani Epistola directa est , unus erat ex Legatis Agathonis Papæ ad Sextam Synodum missus; expleta autem eadem Synodo, *ipsam Sanctam Sextam Synodum , & Edictum Constantini Imperatoris confirmans eandem Synodum* , Romam reversus, secum detulerat , ut scribit Anastasius: sive (ut dicitur in Act. ult.) *ipsa exempla Definitionis cum*

(1) Tom. VII. Concil. edit. Venet. pag. 1107.

cum subsignatione Constantini Imperatoris, ab eodem Imperatore sibi porrecta, ad Romanam Ecclesiam attulerat. Suspicionem auget, quod Nicolaus Papa Primus in Epist. VIII. ad Michaelem Imperatorem scribit de Legatis Cononis Papæ in errorem Constantinopoli inductis: verba ejus hæc sunt, exprobrantis Michaeli, quod *Antecessores ejus per tot annorum curricula diversarum hæreseon morbis languentes, medicinale remedium non quæsierint: quin potius medicinam sponte sibi porrectam, quasi desperati, vel quasi cor impœnitens gerentes, ab ipsis faucibus projecerint; dum tantæ salutis oblatæ ministros duplici modo interemerunt: quoniam aut participes illos sui erroris effectos, spiritaliter occiderunt; sicut tempore reverendæ memoriæ Cononis Papæ contigit, qui post Sextam Synodum exstitit; aut certe corporaliter illos non consentientes sibi, necaverunt, sicut sub venerabili Papa Gregorio* (hujus nominis Secundo) *qui post Sextam Synodum fuit; quando pro zelo fidei & Sanctarum Imaginum reverentia, religiosi viri ac Dei famuli dilecti, in exilium missi sunt, & bona confessione hujus mundi finierunt vitam*. Ex quibus Nicolai Papæ verbis perspicuum redditur, aut exeunte anno 686. aut ineunte 687. Legatos Cononis Papæ in errorem Constantinopoli inductos fuisse. Etiam Justinianus Imperator in sua ad Joannem Papam, Cononis Decessorem, Epistola, affirmat, unacum suis Patribus Patriarchis, Metropolitis, Episcopis, Senatu, & Militibus, adfuisse *Aprocrisiarium ejusdem Joannis Papæ*, dum fieret Actorum Synodi Sextæ lectio. In quem igitur errorem inducti Legati Pontificii? & quinam tunc temporis erant *Patriarchæ* illi? Theophanis Tabulæ ad ann. Incarn. 678. Kal. Septemb. anni 686. inchoatum nobis exhibet tertium & ultimum annum *Theodori* Patriarchæ Constantinopolitani, & ad ann. sequentem, primum annum *Pauli* ejus successoris: ex supra dictis autem constat, *Georgium* per ea tempora, *Antiochenam Ecclesiam* Constantinopoli rexisse: alias vero duas Alexandriæ & Hierosolymorum Sedes, Patriarchis vacasse. Liquet ergo aut *Theodorum* fuisse, si ante finem

finem anni 686., ea quæ Justinianus scribit acta sunt, aut *Paulum* Constanstantinopoleos Patriarcham, si post Theodori obitum contigere. Ut ut tamen sit, quum Acta Sextæ Synodi in tota Constantinopolitana urbe non reperta fuerint, nisi apud Imperatorem, quumque Imperator in conventu Patriarcharum, Apocrisiarii Papæ, Metropolitarum, Episcoporum, Senatus, & Magistratuum ea legi signarique jusserit, quum demum circa illud factum dicatur (1) Apocrisiarius in errorem inductus; consequens est, Primo, Acta Synodalia, quæ Georgio Patriarchæ Constantinopolitano in Patriarchio conservanda porrecta fuerant, aut evanuisse, aut in angulo latitasse. Latitabant in angulo, idest, in Patriarchio, uti Agatho Diaconus & Bibliothecarius Ecclesiæ Patriarchalis Constantinopolitanæ scribit Tom. VIII. Concil. Labb. pag. 131. nam Philippicus Bardanes Acta Synodalia, quæ in Palatio Imperiali servabantur, igni tradidisse fertur: sed Joannes Patriarcha Constantinopolitanus aliud exemplar autographum in Patriarchio servasse se scribit ad Constantinum Papam, Tom. Concil. VIII. p. 143. Secundo, eorum Actorum jacturam ad Theodorum potius, qui ante Sextam Synodum Monothelita fuerat, quam ad Paulum esse referendam. Tertio, aliquid novi, & Canonibus sacris aut historicæ veritati repugnantis in ea Acta tunc temporis intrusum fuisse; alioquin quisnam alius potuit fuisse Apocrisiarii Romani error, in quem inductus sit? Tum vero factum existimo, ut appendix illa in genuinum Actorum textum obrepserit, qua Georgius Presbyter & Monachus Sebastenus, Theodori Hierosolymitanæ Sedis Vicarii Apocrisiarius, dicitur postea factus fuisse Patriarcha Antiochenus. Ex illo enim Græco Actorum Synodalium Codice, quod, ceteris amissis seu abrogatis, sive latitantibus, Justinianus Imperator post sex a celebrata Sexta Synodo elapsos annos promulgavit, factum puto, ut in cætera quæ exinde effluxere exempla, appendix illa de Patriarchatu Antiocheno Georgii tunc temporis in urbe Constantinopolitana præsentis, Actis Synodalibus adjecta

(1) Nicolaus Papa non unum, sed plures Apocrisiarios vocat.

jecta fit. Miror autem eruditiſſimum Baronium, qui tot argumentis utitur, ut Theodorum demonſtret Actorum Sextæ Synodi corruptorem, nomenque Honorii Papæ tamquam in Sexta Synodo damnati, pro ſuo ipſius obtrudentem, hoc ipſum non advertiſſe, quod Nicolaus Pontifex aſſerit de Legatis Cononis Papæ (utique ſub hoc Juſtiniano, & in facto recenſitorum ab eodem Sextæ Synodi Actorum) in errorem Conſtantinopoli inductis.

Sed ad alia pergimus. Anno Chr. 688. Juſtinianus Bulgaros obviam factos, primo impetu repulit, & Theſſalonicam uſque excurrens, immenſum Sclavorum numerum, qua belli virtute domitum, qua ſponte ad ſe tranſeuntem, & deditum, ad Opſicii partes, trajecto Abydi freto, tranſtulit. At in reditu, intra montium anguſtias a Bulgaris interceptus, multis ex exercitu cum cæſis, tum vulneratis, vix ipſe periculum ſuperare, & in oppoſitam partem tranſire valuit. Eodem anno 688. & ſequentibus 89. 90. & 91. Theophanes res Arabum geſtas deſcribens: *Anno* (inquit) 688. *Abdelas Zuber filius, Muſabum fratrem germanum, adverſus Muctarum mittit: qui cum eo pugna congreſſus, Muctarum fugam arripere, & in Syriam ſe recipere coegit: eumque tandem in itinere prævertens, e medio ſuſtulit. Abimelech vero adverſus Muſabum expeditione ſuſcepta, & victoria potitus, hoſtem neci dat, & univerſam Perſidem ſuo ſubjugat imperio.* Anno 689. *Abimelech miſit Chagan in Acca adverſus Zumir arma moturum. Chagan autem, Zumir deleto, provinciam Chagan ipſi inimicam ſub Abimelech poteſtatem redegit: & idoli ejus ædem igne ſuccendit; ſed & idolum ſumma religione ab eis cultum extinxit. Eam ob rem Abimelech Chagan Perſiæ Ducem inſtituit: atque ita Perſia, Meſopotamia, magna Arabia, quæ Æthribi, Abimelech imperio ſubſternuntur, omniaque inter Arabes variis ætatibus agitata bella civilia ceſſavere.* Anno 690. *Hoc anno diſſidiorum finem & præliorum omnium exitum, Arabum Principatus obtinuit. Et quum reliquos Principes ſuo ſubjeciſſet imperio, & populos in pace continuiſſet, ipſe Abimelech pacem proſequi ſtuduit.* Anno 691. *Compoſitam*

n, qui tot
ct Actorum
orii Papæ
o ipsius ob-
d Nicolaus
que sub hoc
n Sextæ Sy-
inductis.
Justinianus
it, & Thes-
rum nume-
ad se trans-
jecto Abydi
m angustias
cum cæsis,
& in oppo-
. & sequen-
estas descri-
, *Mufabum*
t: qui cum
re, & in
tinere præ-
erfus Mu-
, hostem
imperio.
erfus Zu-
, provin-
statem re-
& idolum
rem Abi-
ita Persis,
Abimelech
ariis eta-
. Hoc an-
um, Are-
Principes
tinuisset,
591. Com-
positum

ri Cusæ cives; sed subsidio iis venit Hagiagius cum quinquaginta millibus: hos tamen Sciabibus (qui mille tantum habebat) in fugam vertit, & omnibus eorum impedimentis est potitus. Ita hoc referunt historici fide digni. Hinc fugit Sciabibus Baladanam cum septuaginta viris: deinde abiit in Carmaniam, ubi Principatum est nactus, & rursus fortissime bellavit: quum autem sibi mutuo aliquando occurrissent ad mare, ingressus est Sciabibus aquam, ac demersa navi quum suffocaretur, dixit: Quum Deus disponit aliquid, id fit omnino. Quumque rursus prodiret, inquit: Hæc est Dei fortis & sapientis prædestinatio. Tum vero clamaverunt Charegæi ejus affectæ: Submersus est Imperator fidelium, *ac fugerunt: Unde vicerunt milites Hagiagii, qui mortuum retibus educentes, præcisum ejus caput ad Hagiagium miserunt, atque cor ejus fiderunt, quod compererunt durum esse & compactum instar lapidis*. Hinc emendadum quod Theophanes scribit, *ipsum etiam Chaganum in amnem dejectum, tantum non suffocavit*: Non enim Chaganus seu Hagiagius, sed Sciabibus sive Sabinus, in mare demersus fuit: neque id anno Chr. 693 sed 695. contigit.

Anno Justiniani 9. Incarn. 686. (Kalendis Sept. anni Chr. 694. inchoato) Agareni post commissum illud cum Justiniano bellum & post Armeniam occupatam, ferociores & ardentiores effecti, per ditionem omnem Romanam grassati sunt. Muammed enim, Abdimalechi Chaliphæ frater, in Romanum Imperium expeditionem suscepit, & profugis Sclavis, ceu Romanorum locorum probe expertis, sibi adjunctis, magnam hominum copiam abduxit captivam. Et anno sequenti in quartam Armeniam exercitum educens, captivis pluribus collectis, domum regressus est. Interim Justinianus ædificiis intentus, iis curandis præfecit *Stephanum* Persam, Saccellarium suum, Eunuchorum spectatissimum, virum crudelem, qui non solum artifices manuarios, sed & operarum duces verberabat, lapidabatque; & Imperatore peregre profecto, *Anastasiam Augustam*, Imperatricem matrem, loris, puerorum more, flagellare ausus est. Huic

ferocia non absimilem *Theodotum* Monachum, qui prius in Thraciæ finibus ad freti angustias inclusus vixerat, Generalis Logothetæ munere adauxit. Quo in munere non ærarii tantum administratores, sed primores Urbis, Imperiique viros insolitis & injustis executionibus gravans, quum solvendo satis non erant, funibus suspensos, palearum inferius accensarum fumo vexabat. Urbis etiam Præfectus insignes plerosque viros, Imperatoris mandato, in carcerem conjectos diu detinuit. Ad hæc levissimus Princeps, *Callinicum* Patriarcham urgebat, ut preces ritu solemni funderet, ad Ecclesiam Deiparæ Virginis, cui *Metropolitæ* nomen, juxta Palatium sitam, evertendam, cujus in loco fontem, & Venetæ factionis Imperatorem illuc excepturæ sedilia exstruere meditabatur. Ignotum Ecclesiæ ritum peragere noluit Patriarcha, dicens: Preces in templi conditum conceptas habemus: subruendo templo nullas à majoribus accepi. Sed Imperatore ardentius instante, & preces fieri etiam vi expetente, dixit Patriarcha: *Gloria Deo, qui etiam hæc patitur, jugiter, nunc & semper, & in secula seculorum Amen.* Quo audito, subverterunt Ecclesiam, & fontem excitaverunt, istamque Metropolitæ Ecclesiam, ad Petrium transtulerunt.

Anno Justiniani 10. Incarn. 687. (Kalen. Septembr. anni Chr. 695. inchoato) ob ministrorum ferociam, & crudelitatem, Justinianus populare incurrit odium: quod ipsi Imperii signa detraxit, die ipsa, qua *Stephano* Patricio & exercitus Duci, Rusio cognomento, præceperat, ut multam plebis stragem ederet, ac a Patriarcha Callinico cædis duceret exordium. Factionis caput *Leontius* Patricius, Orientalium quondam Dux copiarum, ex carcere, in quo tres annos detentus fuerat, a Justiniano missus ad regendum per Græciam exercitum. Consilii auctores Leontio fuere *Paulus* Callistrati Monasterii Cœnobita, Astrologiæ peritus, & *Gregorius* Cappadox, olim Clusuræ custos, tunc vero Monachus & Flori Cœnobii præpositus, qui ipsum in carcere crebrius invisentes, Imperium illi prædixerant. Leontius itaque Monachis amicis,

cis, nec non aliis quibusdam illustribus viris, quos reseratis carceribus solverat, comitibus ac juvantibus, Callinicum ad Patriarchalem suam ædem convenit. Quumque ipsum etiam Patriarcham conturbatum, ob ea nimirum quæ ipsi a Patricio Stephano Rusio jussa fuerant, comperisset, hortatur, ut ad Baptisterii lavacrum descendat, & voce magna exclamet; *Hac dies quam fecit Dominus*. Tum populus clamore sublato vociferatur: *effodiantur Justiniani ossa*. His vocibus auditis, in Circum plebs universa tumultuans concurrit. Mox adventante die, Justinianum per Metam in Circum producunt, & naso (1) truncatum, Chersonam relegari decernunt. Post hæc plebs *Theodotum* Monachum, generalem Logothetam, & *Stephanum Sacellarium* origine Persam, comprehendit, eosque funibus ad pedes alligatis per viam publicam ad Bovem, locum ita dictum, pertractos, igne damnavit. Atque ita demum *Leontius* populi felicitatem precantis vocibus, Imperator est salutatus. Hæc totidem fere verbis narrantur a Nicephoro in Breviario, Cedreno, Zonara, aliisque Græcis auctoribus. Idque non anno 694. (ut habet Baronius) sed anno 695. factum, ut recte Theophanes ad ann. Incarn. secundum Alexandrinos 687. & Marianus Scotus in Chronico, & Hermannus Contractus in utraque sui editione Chronici habent.

Rerum Ægyptiacarum Scriptores, quos Coptos appellamus, Severus scilicet, Abulbarcatus, & Elmacinus, describenda Patriarcharum suorum historia contenti, vix ea aliquando attingunt, quæ ad Imperium Constantinopolitanum pertinent. Hinc apud Elmacinum pag. 68. de Justiniani Imperatoris abdicatione hæc leguntur. *Obiit autem Isacus Coptorum Patriarcha Anno Hegiræ sexagesimo nono*, (inchoato die 9. Jul. anni Chr. 688.) *& ejus loco Patriarcha Alexandrinus Jacobitarum factus est Simon Sy-*

(1) Apud Theophanem additur, *linguaque*, sed Eminentissimus Baronius ad ann. 694. num. IV. monet „ Error tamen esse putatur, quod habet Theophanes, „ ipsum Imperatorem non naribus tantum, sed & lingua fuisse præcisum: id enim „ non probatur: nam constat postea ipsum esse loquutum, ut suo loco dicetur „. Idipsum etiam Mansius advertit in not. ad Tom. XII. Annalium edit. Lucæ 1742. p. 143. ad ann. 694.

Syrus, cujus tempore Imperio dimotus fuit Justinianus Romanorum Imperator. Sunt tamen qui Patriarcham eum factum esse dicunt Anno vigesimo primo Justiniani. Sed præter quam quod falsum est, Justinianum annos 21. imperasse: nam ante suam quidem dejectionem annos 10. imperavit, postquam autem restitutus fuit, annos sex tantum: adeoque summa annorum imperantis Justiniani, annos sexdecim non excedit; Elmacinus sibi ipse repugnat, dum paulo post de Simone Syro Patriarcha, deque substitutis in locum dejecti Justiniani Imperatoribus, sic scribit. *Obiit autem Simon Patriarcha die* 24. *Abibi, anno* (1) *Diocletiani* 412. (Christi 696.) *imperante scilicet Abdulmelico filio Meruani. Post eum Sedes vacua fuit annos tres. Leo autem Romanorum Imperator obiit anno Hegiræ* 76. (inchoato die 30. Martii anni Christi 697.) *& post eum Romanos per septem annos rexit Tiberius*. Leontius ergo (quem Elmacinus Leonem vocat, quique in locum Justiniani naribus mutilati Imperator inauguratus, per annos tres Imperium administravit) si anno Christi 697. vel 698. ex mente Elmacini vitam cum morte commutavit (aut potius Imperio dimotus fuit) sequitur Justiniani dejectionem anno 695. contigisse: id quod ad historicam veritatem propius accedit. Severus Mokaffeus apud Renaudotium in histor. Patriatchar. Alexandrinor. p. 183. de Justiniano hæc habet. *Interea allatum est de rebellione Græcorum exercituum adversus Justinianum* (Rhinotmetum scilicet) *quem Leontius Imperio spoliaverat: quibus tumultibus quum res Romanæ turbatissimæ forent, convocavit Christianorum primarios Præfectus Ægypti* (Abdelazizus frater Abdimalechi Caliphæ) *Muslemanosque, ut illis significaret ruinam Græcorum, qui mutuis se conjurationibus conciderent, depositis Imperatoribus, aliisque substitutis. Hinc superbus adversus Christianos, vetuit, ne officia divina celebrarentur, increpans etiam eos, quod errarent gravissime, Deo Filium attri-*

(1) Ita textus Arabicus Elmacini: at vero Latinus interpres, nescio unde, obtrusit *annum Diocletiani* 416. tam hic in histor. Saracenica Elmacini, quam apud Renaudotium in histor. Patriarchar. Alexandrinor. pag. 186.

attribuentes; tum quod in varias sectas divisi, de propria religione sua inter se discordes essent. Mox interrogavit Episcopum Gajanitarum, quis ex illis Episcopis propior rectæ doctrinæ esse videretur, quemve aliis præferret. Respondit ille: Simonem. Deinde quum a Theophylacto Melchitarum Episcopo idem quæsivisset: præferre ille se religionem Simonis testatus est. Ita quoque Georgius Barsanufianorum Episcopus, suam, deinde Simonis religionem reliquis prætulit. Tandem Simon sententiam de aliis Episcopis, eorumque religione dicere jussus, alta voce negavit ullam se probare, verum omnes æqualiter voce & scripto, anathemate condemnare. Fabula ab hæreticis Monophysitis in laudem suæ Sectæ excogitata. Fieri quippe nequit, ut, si non Gajanitæ, saltem Chalcedonenses, quos Melchitas auctor vocat, sententiam Eutychianorum & Dioscorianorum, quorum Simon erat Patriarcha, suæ religioni prætulerint.

Eutychius Alexandrinus in Annalibus Arabicis, affirmat, Justinianum, quum annos duodecim imperasset, mortuum fuisse, eique *Leonem* sive *Leontium* successisse. *Anno* (inquit) *Chaliphatus Maviæ filii Abisophiani duodecimo post Constantini patris obitum imperavit Justinianus ejus filius per annos duodecim. Porro accesserunt quidam ad Justinianum Romanorum Imperatorem, dicentes: sunt nonnulli Constantinopolitani, qui Sextæ Synodo temporibus patris tui Constantini celebratæ notam inurunt, dicuntque, irritam esse nulliusque momenti eorum congregationem. Misit itaque Justinianus Imperator, coëgitque Episcopos centum ac triginta, qui Sextæ Synodi sententiam confirmarunt, iisque anathema dixerunt, qui illis notam inurerent, aut eis contradicerent: sed & quinque priores Synodos confirmantes, anathematizatos ab illis & ipsi anathematizarunt, abieruntque.* Et in Chaliphatu Abdimalechi filii Meruani. *Mortuus est autem Justinianus Romanorum Imperator, imperavitque postea Leo per triennium, & decessit: & post Leonem imperavit Tiberius per septem annos, idque anno decimo tertio Chaliphatus Abdimalechi filii Meruani.* Atqui annus XII. Chaliph[illegible]s

Ma-

Maviæ filii Abiſophiani, quo Juſtinianus Imperium iniiſſe dicitur, reſpondet anno Chr. 674. Annus autem Chaliphatus Abdimalechi XIII. quo Tiberius poſt Leontium inauguratus Imperator perhibetur, incidit in annum Chr. 697. Ex mente igitur Eutychii, Juſtinianus ab anno 674. ad 694. imperavit; nam ab anno 697. quo Tiberius imperium iniit, ſi detrahas annos tres Imperii Leontii, habebis mortem (imo, dejectionem) Juſtiniani triennio ante, ſive anno 694. contigiſſe. Ac proinde ſibi ipſe non conſtat Eutychius, quum annos XII. Juſtiniano tribuit, qui ſi ab anno 674. ad 694. (uti idem Eutychius aſſerit) Imperium tenuiſſet, eum per annos XX. imperaſſe, neceſſe eſt. Tanta eſt in hujuſmodi calculis Eutychii inconſtantia.

Inter Orientales Scriptores minus deſipere mihi videtur Gregorius Abulpharagius. Hic enim in Chronico Syriaco, Par. I. ubi de Abdimalecho Chalipha diſſerit, de Juſtiniano hæc ſcribit. ܝܘܣܛܝܢܝܢܘܣ ܕܝܢ ܐܫܬܒܗܪ ܘܠܐ
ܥܒܪ ܥܠ ܡܘܡܬܐ ܘܫܪܐ ܫܝܢܐ ܦܣܝܩ ܡܩܕܡܘܗܝ. ܘܫܕܪ ܫܒܐ
ܠܛܝܝܐ ܕܒܩܘܦܪܘܣ. ܘܡܛܠܗܕܐ ܥܒܪ ܡܘܡܬܐ ܐܬܥܝܪ ܕܫܪܐ
ܘܥܒܪܘ ܠܡܫܝܢܘܬܐ. ܘܡܚܡܕ ܥܡ ܛܝܝܐ ܘܐܬܩܛܠܬ.
ܘܐܬܚܒܘ ܛܝܝܐ ܥܠ ܪܗܘܡܝܐ. ܘܐܬܩܛܠܬ ܢܛܠܝܘ ܥܡ
ܪܗܘܡܝܐ. ܘܫܒܘ ܥܡܗܘܢ ܠܡܘܪܐ ܐܝܟ ܚܕܬܐ ܠܠܘܬܝ ܘܐܬܠܒܘ
ܐܢܘܢ ܠܐܪܡܢܝܐ ܘܡܫܪܘܩܐ ܘܢܘܒܠ ܥܡܗܘܢ ܫܒܝܐ ܘܐܫܬܘܫܛܝܐ.
ܘܣܢܛܝܠܐ ܕܝܢ ܐܚܕܐ ܕܒܗ ܛܝܝܐ ܠܐ ܠܚܒܪ ܡܘܡܬܐ: ܐܦ
ܠܩܪܘܒܐ ܕܪܗܘܡܝܐ ܫܒܩܗ ܕܢܬܟܠ. ܘܡܬܠܗܢܐ ܐܠܦܩܘ
ܠܠܟܠܗܘܢ ܘܐܬܘܪܘܝ ܘܠܐܝܫܬܗܘܢ ܦܠܓܘ. ܘܐܬܠܟܝܬ ܐܝܟ
ܕܡܫܡܗ ܠܐܣܛܪܛܝܓܘܣ ܚܡܫܬ ܐ̄ܟ ܕܝܢ ܛܝܒܘܬܐ:

Juſtinianus autem in ſuperbiam elatus, jusjurandum violavit, pacemque compoſitam, antequam præſtitutum tempus laberetur, ſolvit, miſitque qui captivos abducerent Arabes (1), in Cypro degentes. Quamobrem Muamed Meſopo-

(1) Theophanes aliique Cyprios Chriſtianos ex inſula eductos a Juſtiniano ſcribunt.

ſopotamiæ Cardoæ Ameras in Cappadociam invaſit: quumque Romani & Sclavi ei occurriſſent, victi ſunt Romani juxta (1) *Cæſaream, Sclavis ad Arabum partes tranſeuntibus: quos in Syriam ad ſeptem millia ſecum educentes, ſedeſque illis Antiochiæ & Cyri ſtatuentes, uxores inſuper eis & victualia Arabes conceſſerunt. At vero Juſtinianus, quemadmodum jusjurandum cum Arabibus non ſervavit, ita & in Romanorum primores ſævire, eoſque neci tradere cæpit. Quare adverſus ipſum conſpirantes, comprehenſum naribus truncarunt, imperavitque quidam, nomine Leontius, anno Græcorum milleſimo ſeptimo.* Hic Græcorum annus, juxta Abulpharagium, reſpondet anno Chr. 698. at ſecundum communem Syrorum ſupputationem, incidit in annum Chr. 696. id quod ad Græcorum Scriptorum ſententiam propius accedit, qui Juſtiniani depoſitionem in annum ejus decimum, hoc eſt, Chriſti 695., conferunt.

CAPUT V.

De Trullana Synodo, Quiniſexta nuncupatâ.

Vidimus ſupra Juſtinianum Imperatorem XIII. Kal. Martias, Indictione XV. Anno Imperii ſecundo, hoc eſt, die 17. Febr. anni Chriſti 686. Juſſionem miſiſſe ad Joannem V. Papam, qua ſignificabat, Acta Sextæ Synodi olim apud quoſdam ſuos Judices remiſſa, & apud nullum alium tunc temporis extantia, ſe reperiſſe, legique coram Apocriſiario Pontificio, Patriarchis, Epiſcopis, & Senatu, ſignarique ab omnibus feciſſe, ſeque illa ſemper illibata conſervaturum promiſiſſe.

His non contentus, idem Imperator poſt quinquennium, anno nempe ſui Imperii ſeptimo, Chriſti 692. Synodum Conſtantinopoli haberi voluit in Trullo (2) Palatii ſui, unde & Trullana dicta fuit, ad ſupplendam (ut ajunt) Quintam & Sextam Synodum, in quibus nulli Ca-

(1) Iuxta *Sebaſtopolim*, ait Theophanes.
(2) Errant igitur qui habitam volunt in magnæ Eccleſiæ Trullo.

li Canones editi erant ad disciplinæ instaurationem & morum reformationem. Hanc causam indicant qui ad illam convenere Episcopi, in sua ad eundem Imperatorem Allocutione. „ Quoniam sanctæ (*inquiunt*) & uni-„ versales duæ Synodi, in hac imperante, & Dei ob-„ servatrice Civitate congregatæ, una quidem tempori-„ bus divæ record. Justiniani, altera vero sub piæ me-„ moriæ Imperatore Constantino, Tuæ mansuetudinis „ patre, ad paterne declarandum fidei mysterium, Sa-„ cros Canones nequaquam conscripserant, sicut reliquæ „ quatuor Sanctæ universales Synodi, per quos populi „ quidem a deteriore & abjectiore vivendi ratione re-„ cedant, ad meliorem autem & altiorem vitam se tra-„ ducant „. Et Patres Septimæ (1) Synodi, Act.vi. in Confutatione Conventiculi Iconoclastarum, quod sub falso nomine „ Sanctæ magnæ & universalis Synodi, quæ „ per gratiam Dei & piissimam sanctionem Deo redimi-„ torum, & orthodoxorum Imperatorum nostrorum Con-„ stantini & Leonis congregata in hac Deo conservan-„ da Regia urbe, in colendo templo sanctæ ac intemera-„ tæ Dominæ nostræ Dei Genitricis semperque Virgi-„ nis Mariæ, quod appellatur Blachernæ „ editum fuit, insertumque eidem Sacrosanctæ Septimæ Synodo, sic de Sexta Synodo, deque Trullana Synodo loquuntur. „ San-„ cta vero Sexta Synodus quum promulgasset Definitio-„ nem suam contra eos, qui unam Voluntatem prædi-„ cant in Christo Deo nostro, & Constantinus qui tunc „ imperabat, & præceptione sua per beneplacitum Dei „ hanc congregaverat, vita post modicum excessisset, Ju-„ stinianusque filius ejus Imperium obtinuisset, iidem „ ipsi, qui in ea fuerant congregati, rursus nutu di-„ vino unanimiter convenientes post quatuor vel quin-„ que annos, Regulas ediderunt pro correctione Eccle-„ siasticorum negotiorum usque ad duas & centum „.

Balsamon in sermonem Prosphoneticum ad Justinianum Imperatorem eidem Trullanæ Synodo (2) præmissum: „ Ex

(1) Tom. VIII. Concil. edit. Venet. pag. 1055.
(2) Beveregii Synodicòn Tom. I. pag. 153. & seq.

,, Ex præsenti Allocutione, quæ ad Imperatorem Justinianum, qui etiam Ῥινότμητος ab inciso naso dictus, ,, habita est, ostenditur, quod quum duæ universales Synodi, Quinta scilicet, quæ fuit regnante magno Justiniano, & Sexta tempore Constantini Pogonati, non ,, fecerint Canones ad Ecclesiarum constitutionem, Synodus hæc facta est ad supplementum duarum: propterea enim nec Sexta proprie nominatur, sed πενθέκτη, ,, idest, Quinisexta; nam quod Quintæ & Sextæ Synodo deerat, replevit ,,. Zonaras in eundem sermonem Prosphoneticum. ,, Sunt ista, procemii loco, Canonum ,, editioni præfixa, quibus ad Imperatorem Justinianum, ,, eum qui Ῥινότμητος dictus, Allocutio Synodi continetur, quomodo, & propter quas causas eadem Synodus ,, jussu Imperatoris convenerit, explicans nempe, quum ,, duabus Œcumenicis, Quinta & Sexta Synodo, quarum ,, altera Justiniano magno, altera Constantino Pogonato, Justiniani Rhinotmeti, ad quem sermo est, patre ,, imperante habita fuit, multa de fidei dogmatibus quæsita & sancita forent, nullos tamen ad Ecclesiasticam ,, rem constituendam, moresque Christiani populi conformandos, Canones, præcedentium adinstar Synodorum, promulgarunt. Hinc curæ fuit Imperatori, ne ,, ignoratione officii sui a recto virtutis tramite populus deflecteret, & liberiorem vivendi rationem nactus, ,, in improbitatis ac vitiorum barathrum postremo delaberetur. Synodus itaque per illum indicta, in qua ,, congregati Patres illi, editis Canonibus, quæ in superioribus Synodis desiderata fuerant, expleverunt ,,.

Matthæus Blastares in (1) Præfatione ad Syntagma Alphabeticum, de Quinisexta in Trullo Synodo: ,, Cæterum (*inquit*) & Justiniano Secundo, Rhinotmeto ,, videlicet, qui Constantini Pogonati erat filius, imperante, ipsius jussu, Episcopi 227. conveniebant in ,, loco Trullo dicto: erat autem hæc domus celeberrima in Imperatorum Constantinopolis Palatio sita. Iis ,, autem omnia quæ in prioribus Synodis acta fuerant, ,, con-

(1) Beveregii Synodicon Tom. 2.

„ confirmare, & Canones ad Ecclesiæ constitutionem spe- „ ctantes componere incubuit. Hæc autem & Sextæ ad- „ juncta est, ejusque nomen sibi impositum habuit: nec „ enim de fide & dogmatis quæstio in hac orta est, ut „ ea exinde peculiaris Synodus censeretur: magis autem „ proprie πενθέκτη, Quinisexta nuncupetur, utpote quæ „ Quintæ & Sextæ defectum, sacrorum scilicet Cano- „ num compositionem, supplevit.

Constantinus Harmenopulus in Proloquio (1) ad Epitomen Canonum: „ Sexta itidem (*Synodus*, *inquit*) Con- „ stantinopoli habita, congressis CLXX. Sanctis Patribus, „ sub Imperio Constantini Pogonati, anathematis sen- „ tentiam tulit in eos, qui unam in Christo voluntatem, „ & unam operationem tradebant. Canones & ipsa nul- „ los exposuit, uti nec Quinta fecerat. Ideoque coacta „ in Trullo Palatii Constantinopolitani Synodus alia fuit „ CCXXVII. Patrum, Justiniani Rhinotmeti, Pogonati fi- „ lii, jussu, Canonum dumtaxat exponendorum causa: „ quapropter & istæc Sexta dicitur, uti quæ suppleve- „ rit quod Sextæ deerat, Canonum scilicet expositio- „ nem „.

Denique Auctor Synodici veteris (2) postquam de Synodo Romana sub S. Martino Papa loquens, dixisset oscitanter, Constantinum Heraclii filium, qui Pogonati cognomen habuit, multis cum injuriis Papam Martinum Byzantium abstractum, Chersonam relegasse, deque altera Romana Agathonis Papæ oscitantius subjunxisset, ab illo definitionem fidei ad Leonem Imperatorem, Constantini Pogonati filium & Justiniani Rhinotmeti patrem (qui nullus fuit) emissam fuisse, deque Sexta Synodo adjunxisset, missam ab Agathone Papa definitionem eundem Leonem Imperatorem accepisse, Sextamque Synodum Constantinopoli congregari jussisse, hæc de Trullana Synodo subjicit: „ Justinianus igitur quum Impe- „ rium paternum iniisset, divinam & sanctam Constan- „ tinopoli Patrum divinorum ducentorum & quadragin-

„ ta

(1) Juris Græco-Romani apud Freher. Tom. 1. pag. 1.
(2) Tom. VII. Conc. edit. Venet. p. 1423. & Fabric. Bibl. Græc. Tom. XI. p. 246.

„ ta congregavit Synodum, quæ omissos in Quinta & „ Sexta Synodo Canones edidit; & ab omni Græca & (1) „ Judaica, quin & hæretica traditione Ecclesias pur„ gavit „.

Quintæ igitur, & Sextæ Synodi in condendis canonibus defectum hæc Trullana Synodus supplere voluit, aut velle simulavit; ideoque passim â Græcorum Canonistis & *Sexta*, & *Quinisexta* vocatur. Verùm (ut verbis utar Christiani Lupi in dissert. de Synodo Trullana) „ Hæc fuit piæ sollicitudinis temeraria simulatio. Ete„ nim pleræque generales Synodi nullum condendorum „ Canonum, sed solius adversum tunc inquietantes hæ„ reticos fidei stabiliendæ mandatum & potestatem ha„ buerunt a Sede Apostolica; ideoque Sexta Synodus „ falcem suam in istam messem mittere prudentissime „ noluit, cavens tractari à Sancto Agathone Pontifice, „ quomodo à Sancto Leone Magno norat tractatos Ca„ nones Chalcedonenses. Nullos enim Græcarum Syno„ dorum, nisi solos Nicænos Canones Romana hucusque „ Ecclesia confirmarat. Laudo solam Synodum Sextam „ & Primam, (Adde, & *Quintam*). Aliæ namque qua„ tuor (*imo tres*) quoniam (2) aut fidem, aut Cano„ nes sine Romana licentia statuere attentarunt, Roma„ nam Ecclesiam ac Rempublicam crudeliter arietarunt. „ Quivis Episcopi suæ provinciæ aut diæceseos mores „ possunt omnino editis Canonibus corrigere. At de Ro„ mana Ecclesia statuere, uti supra à Sancto Bonifacio „ primo audivimus, nec ipsa Nicæna Synodus præsum„ psit; ideoque hæc (*Trullana*) ejus non tantummodo „ humanos lapsus, sed & rectissimas atque Apostolicas „ institutiones arrodere & mordere ausa, nimium exor„ bitavit „. Quæ vero necessitas exigebat, ut nomine Quinisextæ Synodi Canones ederentur? Synodus Sexta œcumenica ob causam fidei congregata fuerat: imo ipsi Legati ab Agathone Pontifice ad eandem Sanctam Syno-

 dum

(1) *Hellenica*, Idest *Paganica*.

(2) *Dic: quoniam Canones sine Romana licentia &c.* nam dogmata Fidei in illis œcumenicis Synodis tradita, à Romanis Pontificibus sunt confirmata.

dum missi, mandatum acceperant, ne quidquam aliud in Concilio œcumenico proponi ac definiri permitterent, quàm quæ fidem & controversias fidei concernerent. Nulla ergo necessitate opus erat, ut post decennium sub prætextu supplendarum Quintæ & Sextæ Synodorum conveniretur. Verum, etsi appendix ista ad Synodum Quintam & Sextam facienda erat; nonne eosdem Episcopos, eosdemque Legatos, vel alios ab Apostolica Sede mittendos vocari oportuisset? Sed aperiamus imposturam (inquit Baronius ad ann. 692. num. 8.) detegamus commentum. Vetus æmulatio Græcorum adversus Latinos fuit hujus artifex technæ, atque textrinæ callida concinnatio. Quod enim adversus Latinorum ritus haud esset eorum facultatis statuere, nomen usurpare utcumque Synodi œcumenicæ statuerunt, cujus auctoritate quæ facerent, fulcirentur. Quin & ad corroboranda quæ inaniter statuissent, auctoritatem, & confirmationem Apostolicam surripere tentaverunt, irrito tamen conatu, uti mox demonstrabitur.

Atque hæc de nomine, & causa Synodi Trullanæ. Ad annum vero celebrationis ejus quod spectat, ejus Epocha in controversiam vocatur, præsertim ob verba, quæ in Tertio ejus Canone leguntur, sic: *Matura Concilii discussione præbabita, eos qui duobus conjugiis implicati fuere, & ad præteriti mensis Januarii diem decimum quintum præteritæ Quartæ Indictionis, anni sexies millesimi centesimi noni, peccati servituti obnoxios se voluere, nec ullo pacto resipiscere, canonicæ depositioni subjicere decrevimus.* Ad hæc Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus (1) Act. IV. Septimæ Synodi, quum lectus fuisset Canon octogesimus secundus Trullanus sub nomine *Sextæ œcumenicæ Synodi*, dixit. *Quidam ignoratione languentes, in hos Canones scandalizantur, asserentes; putas Sextæ Synodi sunt? Cognoscant autem qui hujusmodi sunt, quod sancta & magna Sexta Synodus sub Constantino fuerit celebrata contra illos, qui unam dicebant operationem & voluntatem in Christo: in qua hæreticis ana-*

(1) Tom. VIII. Conc. edit. Venet. pag. 884.

anathematizatis, *&* *orthodoxa explanata fide*, *domum reversi sunt quartodecimo* (1) *anno Constantini*. *Ergo post quatuor*, *sive quinque annos*, *iidem ipsi Patres convenientes sub Justiniano filio Constantini*, *præsignatos Canones exposuerunt*: *Et nemo dubitet de illis*. *Illi enim qui subscripserunt sub Constantino*, *ipsi & sub Justiniano præsenti chartæ subscripserunt*, *itaut hoc manifestum sit ex eorum propriæ manus scripturæ immutabili similitudine*. *Oportebat enim eos*, *qui Synodum universalem præsentaverant*, *etiam Canones Ecclesiasticos exponere*. Ita Tarasius.

Natæ inde de anno celebrationis hujus Synodi Trullanæ, opiniones tres, inquit Pagius ad ann. 692. n. 3. Prima opinio quorumdam est existimantium, standum esse Tarasio Patriarchæ, qui non multum ab ea Synodo dissitus fuit, & quem, quæ de ea in suæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ monumentis habebantur, legisse verisimile est. Quare hi existimant, mendum in Canonem tertium citatum irrepsisse, & *Quartæ Indictionis* loco, *decimam quartam* reponendam; ideoque hanc Synodum figendam *anno Christi sexcentesimo octogesimo sexto*, quinque circiter annis post Sextam Synodum œcumenicam.

Secunda, & Tertia Sententia, uni eidemque fundamento innititur, *Anno* scilicet *mundi sexies millesimo centesimo nono*, qui in tertio laudato Canone disertim exprimitur. Fatetur tamen utraque pars eum annorum numerum, licet in omnibus Græcis Latinisque exemplaribus signatum, & à Græcis interpretibus Zonara, Balsamone, & Aristino agnitum, mendose tamen in Actis hujus Synodi descriptum esse, & ex Theophane ad annum Incarn. secundum Alexandrinos 677. corrigendum: loco enim *anni sexies millesimi centesimi noni*, legendum, *anni sexies millesimi centesimi nonagesimi noni*: quia scilicet librarii numerum xc. omiserunt.

Porro annus ille mundi 6199. (verbis utor ejusdem Pagii loc. cit.) referri potest vel ad Eram *Alexandrinam*;

(1) Post mensem Septembrem anni 681, inchoatus fuit quartus decimus annus Constantini Pogonati.

nam; ſicque inchoatur *Kalendis Septembris anni Chriſti* 706. vel ad Eram *Conſtantinopolitanam*, eoque pacto auſpicatur *Kalendis Septembris anni* Dionyſiani, (ſive vulgaris Chriſti) 691. Indeque Hiſtorici in eo interpretando diviſi.

Theophanes loc. cit. contendit, Patres Synodi Trullanæ uſos eſſe Era Mundi Alexandrina, ideoque hunc annum mundi congruere cum anno Incarn. ſecundum Alexandrinos 699. qui uterque Alexandrinus annus tam Mundi, quam Incarnationis inchoatur Kalendis Septembris anni Epochæ Chriſtianæ vulgaris 706. Indeque conſequens eſt, Synodum hanc juxta Theophanem pertinere ad annum eræ Dionyſianæ ſeu Chriſtianæ vulgaris 706. a Kalendis Septembris & infra. Addit Theophanes, eam habitam anno Juſtiniani iterum imperantis ſecundo; a Sexta Synodo ad Trullanam fluxiſſe annos viginti Septem, & eos nugari, qui ſcriptis ſuis celebratos Sexti Concilii Capitulares typos, exactis poſtmodum annis quatuor, editos affirmant, ubi Taraſium indicat. Verba Theophanis accipe ad ann. Incarn. 677. Conſtantini 17. & Juſtiniani 1. „ Obſervandum, hominum delirium mentis paſſo„ rum inſtar, in vanum eos nugari, qui ſcriptis ſuis „ celebratos Sexti Concilii Capitulares typos, exactis „ poſtmodum annis quatuor, affirmant. Ut enim in „ pleriſque mendacia effutire deprehenduntur, ita & in „ iſtis nihil ſani verique aſſerere. Accurata quippe tem„ porum ratio & deſignatio, Sanctum univerſale Sextum „ Concilium, verum Monothelitarum excidium, Impe„ ratoris Conſtantini, Heraclii pronepotis, anno (1) duo„ decimo celebratum affirmat, anno a mundi conditu „ 6172. ipſumque Conſtantinum annos poſthac quinque; „ eoque vivis erepto, Juſtinianum ejus filium Monar„ chiam tenuiſſe annos decem: ejecto Juſtiniano, Leon„ tium tyrannide potitum annos tres: poſt hunc Tibe„ rium, qui etiam Abſimarus, annos ſeptem regnaſſe:

„ eje-

(1) Imo, Anno XIII. uti in Actionibus omnibus aſſeritur: id quod annus Mundi 6172. ab ipſo Theophane expreſſus indicat, Is enim annus ſignat annum vulgarem Chriſti 680.

„ ejectumque prius Justinianum, denuo restitutum imperio annos sex: adeo ut ex ipsis editis Concilii Typis, sive Canonibus, Anno Secundo Imperii Justiniano naribus mutilato restituti, eos primum promulgatos aperte comperiamus. Tertio siquidem Canone in hæc verba legimus: *Matura consilii discussione præhabita, eos qui duobus conjugiis implicati fuere, & ad præteriti mensis Januarii diem decimum quintum, præteritæ Quartæ Indictionis, anni 6199. peccati servituti obnoxios se voluere, nec ullo pacto resipiscere, Canonicæ depositioni subjicere decrevimus*. Et quibusdam interpositis: *Eos vero qui post Ordines susceptos uno licet conjugio se devinxerint, idest, Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos, brevi temporis spatio sacris ministeriis prohibitos & pœnis castigatos, propriis demum gradibus restitui, alio superiore nusquam promovendos, nimirum illegitimo contubernio palam prius dissoluto*. Ex ipsa itaque temporum designatione, à celebrata sancta universali Sexta Synodo, usque ad editos Canones ejus nomine promulgatos, aperte colliguntur anni XXVII. Patriarcham nimirum agente in Sancta œcumenica Synodo Georgio, cujus Patriarchatus annus tertius numerabatur: cuique post Synodum alii tres in dignitate exacti sunt. Post hunc vero Theodorus annos tres: Paulus annos septem: Callinicus annos duodecim: Cyrus denique anos duos sedit: adeo ut ex ipsis Patriarcharum ætatibus anni XXVII. dilucide computentur „. Hæc Theophanes, qui Trullanos Canones à Sexta Synodo anno vigesimo Septimo editos hoc uno argumento conjicit, quod, Sexta Synodo à Mundi conditu anno, ut ipse putat, 6172. celebrata, ad annum 6199. cujus Patres Trullani Canone 3. meminere, totidem anni intercedant. Verum alia est ratio annorum 6172., alia vero annorum 6199. nam anni 6172. supputantur juxta Epocham Alexandrinam, adeoque congruunt anno Christi vulgari 680. Anni autem 6199. juxta Epocham Constantinopolitanam frpputati, incidunt in annum Chr. 691. uti mox demonstrabitur.

Com-

Communis igitur opinio Annum illum Mundi *6199.* de Era Mundi Constantinopolitana interpretatur, quam & Baronius sequitur, & hic à nobis infra explicabitur.

Primam opinionem de annis 4. vel 5. à Sexta Synodo ad promulgatos Trullanos Canones elapsis, jure merito refellit Baronius, quia in tertio Trullano Canono dicitur, annum qui eam Synodum antecessit, fuisse mundi 6199. qui per xv. divisus, reddit *Indictionem Quartam*, quæ tamen Indictio anno quarto aut quinto a celebratione Sextæ Synodi non consentit: & ridiculum est affirmare, errorem esse in Indictione, & loco *Indictione IV.* legendum esse *Indictione XIV.* quum annus ille mundi *6199.* cum *Indictione XIV.* componi non possit. Præterea verum non est, quod *Tarasius*, aliique recentiores Græci asserunt, qui subscripsere Sextæ Synodo sub Constantino, eosdem & sub Justiniano Trullanæ Synodo subscripsisse, uti mox patebit.

Longe improbabilior est Theophanis Sententia, qui Trullanam Synodum habitam fuisse contendit anno XXVII. post Sextum Concilium œcumenicum, hoc est, anno Chr. 706. nam primo, *Paulus* Patriarcha Constantinopolitanus, qui Trullanæ Synodo præfuit, anno Chr. 693. defunctus, vacuam Sedem Callinico reliquit, eodem ipso Theophane teste, qui post absolutam Sextam Synodum (idest post ann. Chr. 681.) supputat Georgii annos tres, Theodori tres, & Pauli septem, summatim annos XIII. Secundo, Auctor Libelli Synodici, postquam de Synodo Trullana (ut supra dictum est) loquutus fuit, addit: *Quum autem Leontius Imperium invasisset, & Justinianum abscissis naribus Chersonam relegasset, Artemius qui & Anastasius dicitur, Leontio successit.* Quare non anno Chr. 706. sed ante annum 695. quo Justinianus à Leontio depositus est, Synodus Trullana congregata. Tertio, Anastasius Bibliothecarius disertis verbis asserit, Trullanam Synodum coactam fuisse, Sergio Primo Romanam Ecclesiam administrante: adeoque ostendit evidenter, Trullanos Patres in ea adhibuisse Eram Mundi Constantinopolitanam, juxta quam annus 6199. respondet

det Pontificatui Sergii primi, qui juxta Anastasium anno Christi septingentesimo primo decessit. Profecto Anastasius in vita Sergii primi ita accurate narrat, quæ Justiniano Augusto primum imperante, Romæ gesta sunt, quo Trullanæ Synodi Canonibus Sergius subscribere compelleretur, ut eum de hujus Synodi tempore probe edoctum fuisse, certum videatur. Hinc Beda, qui hac ætate vivebat, lib. de sex ætatibus, Paulus Diaconus, qui sæculo sequenti floruit, lib. 6. de gestis Longobardorum cap. 11. aliique, idem quod Anastasius, docent: Beda autem & Paulus Diaconus Theophane sunt antiquiores. Certum itaque esse debet, annum illum Mundi 6199. de Era Constantinopolitana esse interpretandum: itaut annus ille 6199. desinat cum mense Augusto anni Chr. 691. ac Kalendis Septembris ejusdem anni 691. inchoëtur annus Mundi 6200. & cum eo *Indictio Quinta*, quibus obtinentibus Synodus illa congregata, & laudatus tertius Canon supra recitatus, est conditus. Quare non est dubitandum, quin Concilium Trullanum affigendum sit vel post mensem Septembrem anni 691. usque ad Decembrem ejusdem anni; vel post initium anni 692. usque ad finem mensis Augusti; quo temporis spatio *Indictio Quinta* in cursu erat, à Kalendis nempe Septembris anni 691. ad exeuntem Augustum anni 692. Utroque enim modo verum est quod Trullani Patres ajunt: *Eos qui duobus Conjugiis implicati fuere, & ad præteriti mensis Januarii diem decimum quintum præteritæ quartæ Indictionis anni sexies millesimi centesimi nonagesimi noni. Quarta* quippe *Indictio anni* 6199. in cursu fuerat à Kalendis Septembris anni 690. usque ad finem Augusti anni 691.

Quinam vero Episcopi ei Concilio interfuerint, *Tarasius* quidem Act. IV. Septimæ Synodi, asserit, ut supra vidimus, *eosdem ipsos Patres, qui Sextæ Synodo sub Constantino patre subscripserant, ipsos & sub Justiniano filio ei Trullano Concilio subscripsisse: idque manifestum esse ex propria ipsorum subscriptione in prototypa*,

Charta, quæ in eadem Septima Synodo producta fuit. Matthæus Blastares in Procemio sui Syntagmatis Alphabetici, de Synodo (1) Trullana: *Est autem œcumenica. Præsides enim in ea declarati sunt Paulus Constantinopoleos, Petrus Alexandrinus, Georgius Antiochenus, Anastasius Hierosolymitanus, Joannes novæ Justinianopoleos, Basilius Gortinæorum, quæ Metropolis est Cretæ insulæ, qui etiam universæ Synodi Sanctæ Ecclesiæ Romanæ locum tenuit. Sic enim in antiquis invenitur libris post Imperatoris subscriptionem singulos Patriarchas & Metropolitanos nomen suum & dignitatem per subscriptionem adnotasse: etiamsi Latini ab hac Synodo lethaliter vulnerati, eam œcumenicam non fuisse Synodum obnixe contendant; eo quod Papæ Romani Loci conservatores non habuit, utpote quod alia sit Sexta Synodus, cui & ipse consensit, quæ sub Constantino Pogonato congregata est; hanc autem multo post tempore, Justiniani Rhinosmeti jussu celebratam esse. Primo enim tanti Sancti Patres manifesti adeo mendacii sese convinci ægre ferent; dicentes in suis ipsorum Canonibus, Sancta hæc & œcumenica Synodus decrevit. Et præterea Papa suos habuit Legatos, personas nimirum substitutas ex nostra quidem regione, adeo ut illi ejus in communibus conventibus vicem gererent; eo quod ipsi propter viæ longitudinem difficile sit convenire, & ab eo vero non ordinabantur, ut Cæsar Constantinus scribit. Hi igitur omnes Sanctæ Synodo aderant: Episcopus puta Thessalonicæ, Dardaniæ, Heracleæ in Thracia, Corinthi, Ravennæ, & hic Basilius Episcopus Cretæ, qui Ecclesiæ Romanæ jura se privatim ferre subscripsit*. Hoc ipsum legas apud Theodorum Balsamonem in Serm. prosphonet. Trullanor. Patrum ad Justinianum Imp. Sic enim (2) ait, *Est autem etiam Universalis. Etsi enim Occidentales Episcopi, Itali scilicet & Latini, ab ejus Synodi Canonibus opportune icti, eam non esse Universalem institerunt, nec Romani Papæ Lega-*

(1) Apud Beneregium in Synodico Tom. 2.
(2) Apud eumd. Bevereg. Tom. 1. pag. 154. & apud Baron. ad ann. 692. num. 9.

Legatos in ea adfuisse, eo quod sit alia Sexta Synodus, quæ regnante Constantino Pogonato facta est, ut diximus; hanc autem longo post tempore factam fuisse jussu Justiniani Rhinotmeti; ego tamen eos audire non patiens, & hujus Allocutionis contextum potius respiciens, & deinceps Canones dicentes : Definit hæc sancta & universalis Synodus hæc & hæc; *recens quidem scripta Nomocanona, ut quæ eorum Imperatorum & Patrum, qui Synodos exposuerunt, subscriptiones non haberent, præterii, antiquitus autem scripta Nomocanona versavi, & ex subscriptionibus inveni, quod & in hac Synodo, quæ in Trullo magni Palatii congregata est, aderant Basilius quidam Gortynæ Cretæ Insulæ Metropolis Episcopus, & quidam Ravennæ Episcopus, totius Synodi Romanæ Ecclesiæ Vicem gerentes: & non solum ipsi, sed & qui tunc erant Papæ Legati, Thessalonicæ, Sardiniæ, Heracleæ in Thracia, & Corinthi Episcopi. Sunt autem Legati, qui à facie dicuntur, qui etiam particularem habent jurisdictionem, ut hoc ostenditur ex secundo titulo Libri Basilicorum. Quod autem Papa Romanus jus ordinationis in nostris regionibus non habuit, ut nonnulli hallucinantur, dicentes Thessalonicensem & alios ab eo ordinari, sed habuit Legatos, hoc est, à facie, qui interesse, quando opus erat, debebant, probatur quidem certe & ex aliis multis, & quod aliquando quidem ut Papæ Legati, adessent, Thessalonicæ, Athenarum, & Corinthi Episcopi; aliquando vero, Corinthi, Cretæ, Patrarum, Ravennæ, & cæteri; nonnunquam vero & alii. Ut manifestum sit, eos esse Papæ Legatos, quos singuli illorum elegerunt, non tamen eum sub se habere tot extra suos fines Episcopos, & eos ordinare. Ut autem Papa ex nostris etiam regionibus Legatos haberet, excogitatum est propter viæ longitudinem. Si vis ergo de his fusius audire, lege primum à Constantino Cæsare scriptæ historiæ caput. Nota, quamobrem Synodus in Trullo Imperialis Palatii congregata, Sexta proprie non vocatur, sed Quinisexta: & quod hæc etiam Synodus fuit Universalis, & quod nulla nostrarum Ecclesiarum Papæ Romano unquam subjecta fuit.*

Verum tres inde oriuntur quæstiones. Prima, quinam Episcopi & Patriarchæ ei Synodo adfuerint? Altera: an etiam Apostolica Romanæ Sedis Legatio ad eam Synodum destinata sit? Tertia, an œcumenica fuerit? Ad primam quæstionem (ut supra vidimus) Tarasius quidem dicit, eosdem ipsos Episcopos, qui Sextæ Synodo adfuerunt, etiam Trullanæ interfuisse. Non fuisse eosdem, asserit Blastares, qui & eorum nomina ab iis, qui Sextæ Synodo adfuerunt, diversa prodit. Balsamon in id tantummodo intentus, ut illam fuisse œcumenicam Synodum ostendat, priorem quæstionem tacitus præterit. Non fuisse eosdem qui Sextæ Synodo adfuerunt, liquet ex subscriptionibus, quæ Tom. VIII. Conc. Labb. edit. Venet. à pag. 1394. ad p. 1411. leguntur. Auctor Libelli Synodici, *ducentos quadraginta Episcopos* numerat. Theodorus Balsamon, Joannes Zonaras & Constantinus Harmenopulus ajunt interfuisse Episcopos *ducentos & viginti septem*. „ At ego (*inquit Christ. Lupus*) in hodierno subscriptionum Tomo, numero solos ducentos & undecim. Et quidem de subscriptis „ Alexandriæ, Antiochiæ, ac Hierosolymæ Patriarchis, „ dicit in Septimæ Synodi ad Joannem VIII. Pontificem Præfatione Anastasius Bibliothecarius: *Omnes Trullanæ Regulæ hactenus ex toto apud Latinos manent incognitæ, quia nec interpretatæ: sed nec in cæterarum „ Patriarchalium Sedium, licet Græca lingua utantur, „ reperiuntur Archivis. Nimirum quia nulla earum, „ quum ederentur, aut promulgans, aut consentiens, aut „ saltem præsens, inventa est*. Lucide dicit, Patriarchas „ istos ne quidem per Legatos interfuisse. Etenim sub „ barbaro ac infideli Saracenorum jugo omnes cum subditis Ecclesiis tunc captivi gemebant. Hinc de Græcis, eosdem utrique Synodo Episcopos adfuisse asseverantibus, recte addit Anastasius, *hoc nullis probare possunt indiciis*. Aliqui tamen, nempe *quadraginta tres*, fuere iidem. At ex tantillo numero, duæ „ grandes Synodi nequeunt confundi in unam „.

Pagius ad ann. 692. num. 8. recitatis Matthæi Blastaris

ftaris verbis, qui nomina quatuor Patriarcharum Orientis, nec non novæ Justinianopoleos & Gortynæ Metropolitanorum recensuerat; *In fine Concilii Trullani* [inquit] *Paulus Episcopus Constantinopolitanus subscriptus reperitur, cui etiam subscribunt* Petrus *Episcopus Alexandriæ*, Anastasius *Hierosolymitanus*, Georgius *Episcopus Antiochiæ, qui ultimus Macarii hæretici & a Sexta Synodo depositi* (1) *successor fuit*; *sed* Petrus *Legatus Ecclesiæ Alexandrinæ adfuit Sextæ Synodo generali, dum adhuc Presbyter esset. Quare Blastares loco* Petri, Paulum *perperam posuisse videtur. Ad hæc apud Blastarem* Georgius *Episcopus Antiochiæ præponitur* Anastasio *Hierosolymorum Episcopo*; *& tamen in fine Actorum Concilii Quinisexti*, Anastasius *subscriptus legitur ante Georgium. Papebrochius in Hist. Patriarchar. Hierosolymitanor.* Anastasium *Patriarcham, quemadmodum & Baronius in Annalibus, omisit.*

Sed, præter *Paulum* Constantinopoleos, & *Georgium* Antiochiæ, conficta fuisse a Græcis nomina Patriarcharum *Petri* [five, uti Blastares ait, *Pauli*] Alexandriæ & *Anastasii* Hierosolymorum, constat ex ipsis Græcis scriptoribus, qui in Annalibus asserunt, Alexandrinam quidem Sedem, post Petri hæretici qui Cyrum hæreticum excepit, interitum, per annos fere *nonaginta septem*, Patriarchis Græcis vacuam fuisse, usque (2) ad annum Hisciami Chaliphæ Septimum, Chr. 729. quo *Cosmas* constitutus fuit. Hierosolymitanam autem Sedem, post S. Sophronii obitum, Patriarchis & ipsam vacasse, donec *Joannes Patriarcha creatus* (3) *fuit* anno (uti habent Theophanis tabulæ) *primo* Justiniani Imperio restituti, Christi 705.

Eminentissimus Baronius ad ann. 692. num. 8. *Callinicum* Pauli successorem tunc Ecclesiam Constantinopoli-

(1) Addere debuerat, *post Theophanem.*

(2) Quienus in Oriente Christ. Tom. 2. pag. 450. *totos fere octoginta annos nullus Alexandriæ Patriarcha extitit.* & pag. 457. ex Eurychii Annalibus, *Ab anno 3. Chaliphatus Omari, donec constitueretur Cosmas Alexandriæ Patriarcha anno 7. Hisciam, fuit Cathedra Alexandrina sine Patriarcha spatio annor. 97.*

(3) Quienus in Orient. Christ. Tom. 3. pag. 290.

politanam gubernasse existimat, quum Trullana Synodus congregata est. *Fuit autem* (inquit) *tam insolentis conspirationis antesignanus, & ejusmodi confusionis erectæ turris architectus Callinicus Constantinopolitanus Episcopus, quem Deus noluit inultum in aliorum exemplum ex hac vita decessisse: nam (ut suo loco dicetur inferius) ab eodem Justiniano Imperatore oculis orbatus est, atque Romam in exilium missus*. Baronii sententiam Severinus Binius in not. ad eand. Synodum amplexus: *Universale Concilium* (inquit) *fuisse non potuit, quod auctoritate Callinici Metropolitanæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ indictum est, utique Romanus Pontifex neque per se, neque per suos Legatos interfuit aut præfedit*. Christianus quoque Lupus in eandem sententiam scribit dissertat. de Synodi Trullanæ causa & tempore, aitque: *Præsidentiam a quibusdam adscribi Paulo tertio Patriarchæ Constantinopolitano, quem Sanctus Nicephorus Patriarcha affirmat e laico promotum. At verius est fuisse ejus successorem Callinicum, hominem Latinæ Ecclesiæ penitus adversarium, aptumque hujusmodi tragædiis: eum quippe proximo ante Synodum anno constat Paulo defuncto successisse, malum consilium consultori pessimum. Postmodum enim à Justiniano Augusto, quem ad hanc pseudo-Synodum faciendam seduxerat, fuit excæcatus, Sede ejectus, relegatus, Romam missus castigandus. Ejus, ut viri infamis, nomen existimem erasum a posterioribus Synodi patronis, ac intrusum nomen Pauli. Fuit id satis facile. Nam supra audivimus, Synodi hujus Canones & Acta tempore Anastasii Bibliothecarii necdum fuisse indita Archivis Sedium Patriarchalium, nec translata in linguam Latinam*. At Callinicum (inquit Pagius) *nullus antiquorum alicujus criminis reum facit*, nisi quod Justiniano restiterit, jubenti, sacras preces fieri in destructionem Ecclesiæ Deiparæ, quæ Metropolitæ dicebatur, & a Leontio compulsus fuerit in Baptisterium accedere, ac dicere, *Hæc dies quam fecit Dominus*, in ea nimirum conspiratione, quæ adversus Justinianum facta fuit. Subjungit Pagius: *& gratis dicitur, nomen Pauli in locum*

locum nominis Callinici subrogatum fuisse . Cuperus in Hist. Chronologica Patriarchar. Constantinopolitanorum §. XXIV. num. 501. *Praeterea nomen Pauli Constantinopolitani in antiquis Codicibus inter subscriptiones expressum fuisse, colligo ex Admonitione Latina, quae Conciliabulo Trullano praefigitur, & in qua apud Labb. to. 6. col.* 1128. (edit. Reg. Paris.) *post alia sic monemur . Hoc ita se habere constat ex vetustissimo Codice, qui etiam nunc exstat in Bibliotheca Vaticana ad veritatis comprobationem. Siquidem in eo Codice continenter post Canones habetur Justiniani Imperatoris subscriptio, quum pater ejus Constantinus post omnes Episcopos subscripserit Definitioni Sextae Synodi, idque nonnisi rogantibus Episcopis. Deinde vacuus relictus est locus subscriptioni Papae, cum hac annotatione* : Locus Sanctissimi Papae . *Tum sequuntur subscriptiones Patriarcharum, Pauli Constantinopolitani, Petri Alexandrini &c.* Et paulo ante, nimirum num. 500. idem Cuperus scripserat : *Si fas est in dubium revocare subscriptiones Synodorum illarum, quae Archivis Patriarchalium Sedium non fuerunt insertae, & quae ab aliquot seculis nondum in linguam Latinam translatae fuerant; quid judicandum erit de tot monumentis Ecclesiae Graecae, quae Binius, Labbeus, Cossartius, Cotelerius, Baluzius, Harduinus, aliique viri eruditi primum e tenebris eruerunt, ac Latine reddiderunt?*

Quid ? quod Callinicus non ante ann. Christi 693. in locum Pauli defuncti Patriarcha creatus fuit : quemadmodum Theophanis Tabulae ad ann. Incarn. secundum Alexandrinos 686. habent . Quomodo igitur Canonibus Synodi Trullanae (quae anno 691. exeunte vel 692. ineunte habita fuit) subscribere potuit Callinicus Patriarcha qui post mortem Pauli, quae anno 693. contigit, ad Cathedram Constantinopolitanam evectus est ?

Ad secundam quaestionem, an Legatio scilicet Apostolica Synodo Trullanae adfuerit : Respondent Lupus, & Pagius, adfuisse : idque diserte docet Anastasius Bibliothecarius in Vita Sergii Papae, in qua scribit. *Hujus Pontificis temporibus Justinianus Imperator Concilium in*

in Regia urbe fieri jussit, quo & Legati Sedis Apostolicæ convenerant, & decepti subscripserant. Compellebatur autem & ipse Papa subscribere, sed nullatenus acquievit. Romani enim Pontifices soliti erant Legatos duplicis generis ad Imperatores Constantinopolitanos mittere: alios nempe cum Jurisdictione, qui ipsorum Pontificum mandatis instructos, Synodo præsiderent: quemadmodum fuere Legati omnes, qui in Actionibus Synodorum Œcumenicarum, tametsi Presbyteri & Diaconi essent, primo tamen loco ante Patriarchas sedebant, & Romanorum Pontificum mandata Patribus exequenda proferebant: alios vero, tamquam nudos Apocrisiarios & Responsales, qui jurisdictionis nullam partem attingebant, nisi ex delegatione speciali, quique proinde Synodis nequaquam præsidebant, neque primum inter Patriarchas locum occupabant, cujusmodi fuere in Sexta Synodo, qui Romanæ Synodi vices gerebant *Joannes* Portuensis, *Abundantius* Paternensis, & *Joannes* Rhegitanus, qui post quatuor Patriarchas sedebant: cujusmodi etiam fuit *Constantinus Subdiaconus*, a Leone Secundo Papa, Constantini Pogonati precibus, Constantinopolim missus, non concessa plenæ Legationis auctoritate, sed eo tantum munere injuncto, suggerendi scilicet & insinuandi Imperatori quæ necessaria viderentur, reservata sibi, ad Relationem Apocrisiarii, decernendi potestate. Horum Apocrisiariorum secundi generis titulo *Basilius Gortynæ* Episcopus ornatus fuerat tempore Sextæ Synodi, ut patet ex ejus subscriptione, quæ habetur Actione XVIII. Eundemque titulum etiam in Trullana Synodo retinebat, in qua seipsum (1) sic subscribit: *Basilius Episcopus Gortyniorum Metropolis Christo amabilis Cretæ Insulæ & locum tenens totius Synodi Sanctæ Ecclesiæ Romanæ, definiens subscripsi.* Basilii Collega, quoniam plures Legatos Synodo adfuisse dicit Anastasius, fuerit Romanus ille Apocrisiarius, quem tunc fuisse Constantinopoli testatur Justinianus Augustus in Epist. ad Joannem VII. Papam, qua Sextæ Synodi Acta se

(1) Tom. VII. Concil. edit. Venet. pag. 1394.

ſe reperiſſe affirmat. *Scio* (inquit Lupus) *titulum hunc*, a Baſilio Gortynenſi uſurpatum , *tamquam a Græcis adjectum, ſuppoſitionis & mendacii a quibuſdam argui. Aſt ego, ducentos & amplius Epiſcopos credere non poſſum fuiſſe adeo effrontes & auſos ſynodaliter mentiri. Eos inter, fuere viri probi, docti, ſancti. Et titulum illum in vita Sergii Primi Pontificis omnino affirmat Anaſtaſius Bibliothecarius, cujus verba ſupra ſunt recitata.*

Nugantur certe Theodorus Balſamon, & Matthæus Blaſtares, dum poſt *Baſilium* Gortynenſem, affirmant fuiſſe Legatos Romani Pontificis in Synodo Trullana Epiſcopos *Theſſalonicæ*, *Dardaniæ*, ſeu *Sardiniæ*, *Heracleæ* in Thracia, *Corinthi*, & *Ravennæ*. Nam neque Ravennæ, neque Heracleæ, neque Sardiniæ, neque Corinthi Metropolitanos, adfuiſſe Synodo conſtat ex ſubſcriptionum Tomo, ubi vacuus eorum locus deſignatur his verbis: *Τόπος τȣ̃ Θεσσαλονίκης, τόπος τȣ̃ Ἡρακλείας, τȣ̃ Σαρδινίας, τȣ̃ Ῥαβέννης, τȣ̃ Κορίνθȣ. Locus Theſſalonicenſis. Locus Heracleenſis. Locus Sardinienſis. Locus Ravennatis, Locus Corinthii.* Quare Balſamon & Blaſtares, qui Locum vacuum pro ſubſcriptionibus ſumſerunt, non auſi ſunt edere nomina Epiſcoporum, quos ſubſcripſiſſe fingunt. Atque hic obiter notandum, mendum cubare in ſubſcriptionibus duorum Epiſcoporum, qui *locum vacuum quatuor* memoratorum Antiſtitum antecedunt. Sic enim Græce & Latine (1) ſcriptum reperio. *Κυριακὸς ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῆς Ἀγκυρανῶν μητροπόλεως τῆς πρώτης τῶν Γαλατῶν ἐπαρχίας ὁρίσας ὑπέγραψα. Στέφανος ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῆς Καισαρέων μητροπόλεως τῆς Ἀσιανῶν ἐπαρχίας ὁρίσας ὑπέγραψα. Cyriacus indignus Epiſcopus Cæſareenſium Metropolis primæ Cappadocum provinciæ definiens ſubſcripſi. Stephanus indignus Epiſcopus Cæſareenſium Metropolis Aſianorum provinciæ definiens ſubſcripſi.* In Græco Cyriacus dicitur *Epiſcopus Ancyranorum Metropolis primæ Galatarum provinciæ*: In Latino Epiſcopus *Cæſareenſium Metropolis primæ Cappadocum provinciæ*. Neutrum verum eſt: nam infra *Stephanus*

dici-

(1) Tom. VII. Conc. edit. Venet. pag. 1394.

dicitur Episcopus *Cæsareensium Metropolis Asianorum provinciæ*: & paulo inferius : *Stephanus humilis Episcopus Ancyræ Christo amabilis Metropolis Galatarum provinciæ*: fieri autem nequit , ut uno eodemque tempore bini sint Episcopi Cæsareæ , & bini Episcopi Ancyræ . Quid ? quod *Ancyranus* nusquam Cæsareensi præpositus legitur . Emendanda ergo subscriptio , ut *Cyriacus* dicatur Episcopus τῆς Καισαρέων μητροπόλεως τῆς πρώτης τῶν Καππαδόκων ἐπαρχίας , *Cæsareensium Metropoleos primæ Cappadocum provinciæ* : *Stephanus* vero Episcopus τῆς Ἐφεσίων μητροπόλεως τῆς Ἀσιανῶν ἐπαρχίας , *Ephesiorum Metropoleos Asianorum provinciæ*. Et in Sexta quidem Synodo alii a Cyriaco & Stephano erant Cæsareæ & Ephesi Metropolitani: *Philalethes* nempe, qui sic (1) subscribit : *Philalethes indignus Episcopus Cæsareæ Metropoleos* , καὶ ἔξαρχος , *& primas Ponticæ Diœcesis* : & *Theodorus* , cujus subscriptio : *Theodorus misericordia Dei Episcopus Ephesiorum Metropoleos* , καὶ ἔξαρχος , *& primas Asianorum Diœcesis* . Alius enim a Stephano Ancyræ Episcopo , nimirum *Plato*, cujus subscriptio: *Plato misericordia Dei Episcopus Ancyræ Metropoleos primæ Galatiæ*, ἐπαρχίας, *provinciæ*.

Nugatur insuper Balsamon , dum ait : *Quod autem Papa Romanus jus Ordinationis in nostris regionibus non habuit , ut nonnulli hallucinantur, dicentes, Thessalonicensem & alios ab eo ordinari, sed habuit Legatos, hoc est, a facie, qui interesse, quando opus erat, debebant: probatur quidem certe & ex aliis multis , & quod aliquando quidem , ut Papæ Legati , adessent , Thessalonicæ, Athenarum , & Corinthi Episcopi; aliquando vero Corinthi, Cretæ, Patrarum , Ravennæ , & cæteri ; nonnunquam vero & alii: ut manifestum sit, eos esse Papæ Legatos , quos singuli illorum elegerunt ; non tamen eum sub se habere tot extra suos fines Episcopos, & eos ordinare . Ut autem Papa ex nostris etiam regionibus Legatos haberet, excogitatum est propter viæ longitudinem* . Et infra . *Nota , quod nulla nostrarum Ecclesiarum Papæ Romano*

(1) Tom. VII. Conc. edit. Venet. pag. 1114. & seq.

mano unquam ſubjecta fuit. Hactenus Schiſmaticus homo, & quod mirari ſubit, quum ſe Juris Canonici & Civilis peritum venditet, imperitum ſe prorſus utriuſque Juris oſtendens.

Scire enim debuerat, quænam facies fuerit Rerum Eccleſiaſticarum in Illyrico Orientali uſque ad tempora Leonis Iſaurici Imperatoris Iconomachi. Omnes quippe Illyrici Orientalis regiones, Macedoniam, Theſſaliam, utramque Epirum, Achajam, Cretam inſulam, ad Sedis Apoſtolicæ Romanæ juriſdictionem pertinuiſſe, priſca docent monumenta. Nicolaus I. Papa in Epiſt. ad Michaelem Imperatorem, qua Bulgariæ provincias repoſcebat: *Quæ Illyricana Diœceſis*, inquit, *Anteceſſorum noſtrorum temporibus, ſcilicet, Damaſi, Siricii, Innocentii, Bonifacii, Cœleſtini, Sixti, Leonis, Hilarii, Simplicii, Felicis, atque Hormiſdæ, Sanctorum Pontificum, ſacris diſpoſitionibus augebatur*. Damaſus in Epiſt. ad Aſcholium, Eurydicum, Severum, Uranium, Philippum, & Joannem, Illyrici Epiſcopos, mandat, *ut dent operam, quemadmodum Conſtantinopolitanæ Civitatis Epiſcopus eligatur, qui nullam habeat reprehenſionem, nec patiantur aliquem contra ſtatuta majorum de Civitate alia ad aliam transferri*. Et in alia ad Aſcholium Epiſt. ſcribit, ut Conſtantinopoli, ejecto Maximo Cynico, Catholicum de cætero Epiſcopum ordinari curet. Siricius Damaſi ſucceſſor, Anyſio Theſſalonicenſi literas dedit, ut fas non eſſet, ſine ejus aſſenſu ullos per Illyricum Orientale Epiſcopos ordinari: *ut vel ipſe* (inquit) *ſi poteſt, vel quos judicaverit Epiſcopos idoneos, cum literis dirigat, dato conſenſu, qui poſſint in ejus locum, qui defunctus, vel depoſitus fuerit, Catholicum Epiſcopum & vita & moribus probatum, ſecundum Nicænæ Synodi ſtatuta, vel Eccleſiæ Romanæ Clericum de Clero meritum ordinare*. Innocentius I. eidem Anyſio, nunciata primum illi ſua ordinatione, ſubdit: *Cui etiam anteriores tanti & tales viri prædeceſſores mei Epiſcopi, ideſt, ſanctæ memoriæ Damaſus, Siricius, atque ſupra memoratus vir* (Anaſtaſius Papa) *ita detulerunt*, *ut*

ut omnia quæ in illis partibus gererentur, sanctitati tuæ, quæ justitiæ plena est, traderent cognoscenda: meam quoque parvitatem hoc tenere judicium, eandem habere voluntatem, te decet recognoscere. Idem Innocentius Papa Rufum Anysii successorem, suum per Illyrici provincias Vicarium data Epistola declaravit, inquiens: *Divinitus ergo hæc percurrens gratia ita longis intervallis disterminatis a me Ecclesiis discat consulendum, ut prudentiæ gravitatique tuæ committendam curam, causasque, si quæ exoriantur per Achaiæ, Thessaliæ, Epiri veteris, Epiri novæ, Cretæ, Daciæ mediterraneæ, & Daciæ Ripensis, Mœsiæ, Dardaniæ, & Prævali Ecclesias Christo Domino annuente censeam. Vere enim ejus sacratissimis monitis, lectissimæ sinceritatis tuæ providentiæ ac virtuti hanc injungimus sollicitudinem, non primitus hæc statuentes, sed præcessores nostros Apostolicos imitati, qui beatissimis Ascholio & Anysio injungi pro eorum merito voluerunt.* Et mox. *Arripe itaque, dilectissime frater, nostra vice per supradictas Ecclesias, salvo earum primatu, curam: & inter primates primus, quidquid eos ad nos necesse fuerit mittere, non sine tuo postulent arbitratu. Ita enim aut per tuam experientiam quidquid illud est finietur, aut tuo consilio ad nos perveniendum esse mandamus. Licitum autem, & Apostolicæ Sedis favore permissum fraternitati tuæ cognosce, ut quum aliqua Ecclesiastica ratio, vel in tua, vel in memoratis provinciis agitanda cognoscendaque fuerit, quos velis Episcoporum, socios quibuscumque de Ecclesiis assumas tecum, quorum & fide & moderatione quidquid necessitas causaque flagitaverit, optimus dirigas arbiter, & præcipuus, quippe a nobis lectus, definias intercessor.* Bonifacius I. eidem Rufo scribens: *Frequentia* (inquit) *ut scrinii nostri monumenta declarant, ad caritatem tuam ex ejus fonte scripta manarunt, quibus sollicitudinem Ecclesiarum per Macedoniam, & Achajam sitarum, fraternitati tuæ, quam scimus Ecclesiasticam disciplinam Canonum notione servare, certum est esse commissam.* Quorumdam subreptione Episcoporum, Attico Constantinopolitano præsertim instigan-

ſtigante, Theodoſius junior, *lege data prid. Id. Jul. Euſtathio & Agricola Coſ.* ideſt anno Chr. 421. mandaverat, *ut ſi quid dubietatis per omnes Illyrici provincias, emerſerit, id oporteret non abſque ſcientia reverentiſſimi Sacroſanctæ Legis Antiſtitis urbis Conſtantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogativa lætatur, conventui Sacerdotali, ſanctoque judicio reſervari.* Verum Honorio Imperatore ex adverſo intercedente, & ad Theodoſium ſcribente, *ut univerſis remotis, quæ diverſorum Epiſcoporam ſubreptionibus per Illyricum impetrari dicuntur, antiquum ordinem præciperet cuſtodiri*: Theodoſius Auguſtus annuit, dato reſcripto altero, quo priſtinum abrogabat, inquiens ad Honorium: *Super quare, ſecundum formam oraculi perennitatis tuæ, ad viros illuſtres præfectus prætorii Illyrici noſtri ſcripta porreximus, ut ceſſantibus Epiſcoporum ſubreptionibus, antiquum ordinem ſpecialiter faciant cuſtodiri, ne Venerabilis Eccleſia ſanctiſſimæ Urbis privilegia a veteribus conſtituta amittat, quæ perenne nobis ſui nominis ſacravit Imperium.* Juſtinianus Imperator Reſcriptum quidem prius Theodoſii in ſuum Codicem retulit; at non poſterius, quo tamen antiquatum illud fuit: quum nempe poſterius hoc celandum ſupprimendumque Byzantini duxiſſent, quod interim in Eccleſiarum Illyrici, ut & in Romanæ ſcriniis ſervatum erat. Ante Juſtinianum vero, Romani Pontifices Cœleſtinus, Sixtus, Leo, Simplicius, Felix, Gelaſius, & Hormiſdas, Theſſalonicenſi Epiſcopo juriſdictionem in Illyrici provincias confirmarunt, eum Vicarium Apoſtolicæ Sedis in Illyrico conſtituentes. Verba S. Leonis ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem hæc ſunt. *Glorioſa inſtantius exempla ſequenda ſunt, ut quorum privilegiis uti cupimus, eorum nos ſimiles in omnibus approbemus. Imitatorem te tam prædeceſſoris tui, quam deceſſoris, qui pari modo hoc & meruiſſe & egiſſe cognoſcitur, eſſe volumus, ut de profectu Eccleſiarum, quas tibi vice noſtra committimus, gaudeamus.* Tum monet quæ ipſi ſunt obſervanda. *Per commiſſas tibi provincias, tales Domino Sacerdotes, quibus ſola vitæ & Clerica-*

ricalis ordinis suffragentur merita, consecrentur. Nullus, te inconsulto, per illas Ecclesias ordinetur Antistes. Quisquis vero a Metropolitano Episcopus contra nostram praeceptionem praeter tuam notitiam fuerit ordinatus, nullam apud nos status sui esse noverit firmitatem. Singulis autem Metropolitanis sicut potestas ista committitur, ut in suis provinciis jus habeant ordinandi, ita eos Metropolitanos a te volumus ordinari, maturo tamen & decocto judicio. Ad Synodum quisquis fratrum fuerit evocatus, occurrat, nec sanctae Congregationi se deneget. Illic si quae causae natae fuerint, praestante Domino, ita poterunt terminari, ut contentio nulla resideat, sed solida inter fratres coalescat caritas; si qua vero causa major evenerit, quae a tua fraternitate illic praesidente non potuerit definiri, relatio tua missa nos consulat: ut enim auctoritatem nostram vice nostra exercere te volumus, ita nobis quae illic componi non potuerint, vel qui vocem appellationis emiserit, reservamus. Quum autem ambo Thessalonicenses Episcopi, *Andreas* & *Dorotheus*, sese haereticorum consortio & Acaciano schismate foedassent, nulla eis concessa reperitur a Romanis Pontificibus in Illyricum auctoritas; quinimo quum Dardaniae, & Illyrici fere omnes Episcopi fidem Catholicam communionemque Romanam, a qua aliquandiu sub Anastasio Imperatore deflexerant, uno demum consensu, uti Hormisdas Papa Caesario Arelatensi scribit, scriptis, & destinatis Legatis amplexi fuissent, nulla ut a Gelasio, ita nec ab Hormisda in illos Thessalonicensi Antistiti, concessa potestas fuit, eo quod is (uti Gelasius Papa scribit in Epist. XI. ad Dardaniae & Illyrici Episcopos) *nostris saepius adhortationibus incitatus, contagia communionis externae nunquam declinare voluit, nec apud nos nomen Acacii & caeterorum perfidorum, hisque communicantium congrua professione damnare.* Quocirca Alcysone Nicopolis veteris Epiri Metropoleos Praesule defuncto, Joannes qui ei suffectus fuit, a Dorotheo illo noluit prorsus ordinari: id quod Hormisdas Papa in Epist. 22. ad eundem Dorotheum anno 517. data, non teme-

re

re factum scribit : „ Joannes (*inquit*) frater & Coëpi-„ scopus, Nicopolitanæ urbis Antistes, cum Synodo sua, „ variis se concussionibus atque dispendiis graviter cau-„ satur affligi, quod a transgressorum societate divisus, „ postquam communionem Sedis Apostolicæ emeruit, ad „ Thessalonicensem Ecclesiam ordinationis suæ initia non „ direxit. Potuisset neglectus hic esse culpabilis, si unum „ esset inter omnes mysterium caritatis. At quum mul-„ ti se a petræ illius qui Christus est, soliditate divi-„ serint, quis non velit ab errantium conjunctione di-„ scerni, ut mereatur cum his qui consistunt in veri-„ tate conjungi? Non igitur consuetudo est neglecta, sed „ vitata contagia „. Sed & Theophanes ad ann. Incarn. secundum Alexandrinos 508. a Kalendis Septembris anni Christi 516. inchoatum, narrat, *Episcopo Thessalonicensi ob Imperatoris metum cum Timotheo Constantinopolitano Episcopo communionem tenente, quadraginta Illyrici, Græciæque Episcopos, una convenientes, tabulis etiam testibus professos esse, ab eo velut Metropolita se discedere, missisque Romam tabulis, Romani Pontificis communionem observare pollicitos*. Cæterum, quamquam Thessalonicensis Episcopi auctoritas aliquantulum imminuta est a Justiniano Imperatore, qui ab Agapeto & Vigilio Romanis Pontificibus obtinuit, ut a Justinianæ primæ, patriæ suæ, Episcopo pars Illyrici occidui administraretur: *ut* (1) *scilicet quæ circa Viminacium sunt Ecclesiæ, sub proprio Archiepiscopo essent, non autem amplius sub Archiepiscopo Thessalonicensi*; mansit tamen Thessalonicensis Antistitis in Illyricum Orientale auctoritas, & Vicaria ejusdem in illas provincias Romani Pontificis potestas. Id constat ex Epistola S. Gregorii Magni, quæ extat lib. 9. Indict. XI. *Eusebio Thessalonicensi, Urbico Dyrrhachino, Andreæ Nicopolitano, Joanni Corinthio, Joanni primæ Justinianæ, Joanni Cretensi, Joanni Larissæo, & Scodritano*, aliisque compluribus Episcopis Illyrici inscripta, qua vetabat, ne quis ipsorum, Constantinopolitano Episcopo assentaretur, Œcumenici

(1) Novella XI.

menici Patriarchæ sibi titulum arroganti : & quia audierat illos ad Synodum Constantinopolim, Joannis Patriarchæ literis, vocari, cavere mandat, *ne perversi homines, conventus ipsorum occasione percepta, aut pro hujus nominis* (Œcumenici) *superstitione locum subreptionis requirant, aut ob aliam rem facere cogitent, quatenus hoc in ea callidis machinationibus inducant, quamvis sine Apostolicæ Sedis auctoritate atque consensu, nullas, quæcumque acta fuerint, vires habeant*. Extat etiam Honorii Papæ Epistola ad Joannem, Andream, Stephanum, Donatum, Episcopos per Epirum constitutos, qua significat, ideo se aliquantulum distulisse Pallium mittere *Hypatio*, quem Nicopolis Metropolitam ordinarant, ne ille particeps aut conscius fuisset necis decessoris sui Soterichi : „ Præsentium latores [*inquit* (1) „ juxta Ecclesiasticam disciplinam, Pallium nos Hypa„ tio Nicopolitanæ Ecclesiæ Diacono, quem in sacris „ Ordinibus Episcopum ordinastis, petierunt votis sup„ plicibus dirigendum. Et quia ejus persona pendula „ nos dubietate sollicitat, ne fortassis in nece Soterici „ præfatæ Civitatis Antistitis videatur esse commixta, „ præsentium portitoribus quantum opinamur visi fu„ mus reddidisse responsum, ut assumpto fastigio, quum „ præsertim tempora pacis patiantur, in has Romanas „ partes venire deproperet, ut jusjurandum in Confes„ sione Beati Petri Apostoli præbeat, quod nullo dolo „ vel machinatione a se constructa, aut aliis hæc ma„ chinantibus præbuit in his quoquo modo consensum : „ ut ab omni vitio dubietatis exempto possimus secun„ dum Ecclesiasticum ordinem tribuere quod rogamur. „ Nam dum prædictus Sotericus de quibusdam capitu„ lis fuisset suspectus, in hanc urbem deveniens, ad Bea„ tum Petrum Apostolorum Principem de conscientiæ „ suæ puritate præbuit nihilominus jusjurandum. Data „ Idus Decembres Indictione XIV. hoc est Christi 626. „ Denique Vitalianus Papa, ad quem *Joannes Lappæ* in Creta insula Episcopus provocavit, quum a *Paulo* Gortynæ

(1) Tom. VI. Concil. edit. Venet. pag. 1426.

lynæ Archiepiscopo suo injuste se damnatum causaretur, ejus causam Pontifex in sua Synodo expendit, & illum, rescissis quæ a Paulo gesta fuerant, pristino honori restituit, scripta ad eundem *Paulum Archiepiscopum Cretensem* (1) Epist., data VI. *Kal. Sept. Ind.* XI. Anno Chr. 668. Idem Vitalianus alteram scripsit ad eundem *Paulum Cretensem Archiepiscopum Epistolam* datam *VI. Kal. Febr. Ind. XI.* (anno Chr. 669.) qua præcipit, ut Joanni Lappæ Episcopo Ecclesias, quæ ipsi ereptæ fuerant, restitui curaret; insuper ut Diaconum nomine Joannem, qui uxorem duxerat, & in duabus Ecclesiis militabat, ad ordinem redigeret; demum ut Eulampium Curialem, cujus pravis consiliis annuerat, a se procul ejiceret. Ea igitur Illyrici Orientalis pars, quam supra descripsimus, Apostolicæ Sedis ordinationi obnoxia permansit non modo usque ad annum Chr. 669. uti modo dicebam, sed etiam ad annum 681. ubi in Sexta Synodo œcumenica post Georgium Sedis Hierosolymitanæ locum tenentem *Joannes Thessalonicensis* Episcopus sic subscriptus legitur, *Apostolicæ Sedis Romæ Vicarius*. Ibidem *Basilius* (2) *Cretensis Metropolita* se subscribit, *Legatus totius Concilii Apostolicæ Sedis Antiquæ Romæ*, & *Joannes Athenarum Episcopus*, *Legatus Sancti Concilii Apostolicæ Sedis priscæ Romæ*: quinimo etiam anno 692. in Synodo Quinisexta idem Basilius quidem *Cretensis Archiepiscopus* eodem se titulo *Locumtenentis totius Synodi Sanctæ Ecclesiæ Romanæ* seipsum exornat: Thessalonicensis vero Episcopus eo quod abesset, *vacuus* ejus *locus* post Joannem novæ Justinianopoleos Episcopum relinquitur. Quum autem Leo Isauricus Imperator, Gregorium utrumque Romanum Pontificem, Secundum scilicet, & Tertium, impietati suæ, qua in Sanctas Imagines debacchabatur, minime faventes, imo constanter adversantes, experiretur, quemadmodum Calabriam Siciliamque, ita & regiones Illyrici Orientalis, quæ sibi parebant, Macedoniam, Thessaliam, utramque Epirum Achajam, Cretam

(1) Tom. VII. Conc. edit. Venet. p. 459. 461.
(2) Tom. VII. Conc. edit. Venet. p. 1094. & 1098.

tam insulam, uti supra dictum est, ab Apostolicæ Sedis prisca jurisdictione avulsit, thronoque Constantinopolitano attribuit. Unde factum est etiam, ut Thessalonicensis Episcopus, qui præteritis sæculis post Orientis Patriarchas censebatur, & in Synodis etiam ante Cæsareensem & Ephesinum sedebat; in Septima Synodo quæ post extinctum Leonem celebrata est, in Octava, & in Photiana, inter inferioris subsellii Metropolitas à Græcis numerari cœperit, & in Notitia quidem Græca Leonis Sapientis, Metropolita Thessalonicensis, *Decimus sextus* censetur; in Notitia nova Andronici Imp. à decimo sexto loco ad *Undecimum* evectus est: in altera apud Georgium Codinum, *quartus* ei locus attribuitur. Nunc vero, quum *Heracleæ* Metropolitanus in Jure Græcorum novo, *totius Thraciæ* & *Macedoniæ Exarchus* appellatur. Thessalonicensi hic tantummodo honor defertur, ut dicatur *Totius Thessaliæ Exarchus*: nimirum, ad abolendam omnem, quam Sedes Apostolica Thessalonicensi tamquam suo per Illyricum Orientale Vicario tribuerat, potestatis memoriam. Id certe, octavo sæculo ineunte, à Leone hæretico Iconomacho tentatum, & à subsequutis hæreticis, catholicis, & schismaticis Græcis Imperatoribus continuatum, ad nostram usque ætatem apud Græcos viget. Documenta tamen, quæ hactenus producta sunt, quæque à Juris utriusque peritis, quales Theodorus Balsamon & Matthæus Blastares se venditant, ignorari non debuerant, utriusque schismatici os obstruunt; & illos apertissimi mendacii convincunt, eosque, velint, nolint, confiteri compellunt, jura ordinationum in Illyrico Orientali Romanos Pontifices habuisse: falsum proinde esse, quod ab illis confidenter asseritur, *Papam Romanum jus ordinationis in ipsorum Græcorum regionibus non habuisse; nullam Ecclesiarum Græcarum Romano Papæ unquam subjectam fuisse; Romanum Pontificem non sub se habuisse tot extra suos fines Episcopos, & eos ordinasse.*

Quod autem in patrocinium sui mendacii, *Constantinum Cæsarem* citant, qui *scriptæ historiæ capite primo*

, de

de his fusius tractaverit; nos ex adverso Constantinum ipsum Cæsarem Porphyrogenitum illis opponimus, qui *Lib. 2. de Administrando Imperio*, eam Illyrici Orientalis partem, quam Heraclius Imperator *Chrobatis Serviisque* incolendam dederat, fatetur ad Romani Pontificis jurisdictionem pertinuisse. Sic enim *cap. 31. de Chrobatis* scribit: *Heraclius Imperator Romam mittens, Sacerdotes accersivit, constitutoque ex illis Archiepiscopo, nec non Episcopo, Presbyteris, & Diaconibus, Chrobatos baptizavit: illorumque tunc temporis Princeps erat Porga*. Et addit. *Hos Chrobatos, qui Christianas leges amplexi sunt, extra propriæ terræ limites non libenter bellum inferre; idque quia oraculum quoddam sive statutum acceperunt à Romano Pontifice, qui sub Heraclio Romanorum Imperatore Sacerdotes misit, eosque baptizavit. Chrobati siquidem post acceptum Baptismum pepigerunt, & chirographis propriis datis Sancto Petro Apostolo juraverunt, nunquam se alienam terram invasuros, sed pacem habituros cum volentibus omnibus; & imprecationem vicissim à Romano Pontifice acceperunt, ut si quando aliæ gentes ipsorum Chrobatorum terras invaderent, belloque infestarent, pro iis pugnaret vindexque esset eorum Deus, victoriam conciliante Petro Christi discipulo*. De *Serbliis* autem sive *Serviis* idem Constantinus Imp. narrat *cap. 32. Quumque ea quæ nunc Servia dicitur, & Pagania, quæque Zachlumorum terra vocatur, item Terbania, & Canalitarum regio, quæ Imperatoris Romanorum ditionis erant, propter Abarum excursiones desertæ essent, expulsis inde Romanis, qui nunc Dalmatiam atque Dyrrhachium incolunt, regiones illas Serviis habitandas Imperator dedit, cui etiam subjecti erant, à quo etiam baptizati fuere per Presbyteros Romæ accersitos, & pietatis opera edocti, antiqua fide accepta*.

Ad Tertiam quæstionem, an scilicet hæc Trullana fuerit *Synodus æcumenica*: Latini negant, Græci affirmant, quinimo & illam à Sexta Synodo anno Chr. 681. contra Monothelitas habita non distinguunt. Sic Patres

Septimæ Synodi œcumenicæ Can. 1. *Divinos Canones amplectabiliter in pectore recondamus, tam scilicet illorum, qui ab almis & laudabilissimis Apostolis Sancti Spiritus tubis editi sunt, quam eorum, qui à Sex sanctis & universalibus Synodis, atque his Conciliis, quæ localiter collecta sunt, in expositionem hujusmodi decretorum promulgati sunt*. Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus in literis ad alios tres Orientis Patriarchas, lectis Act. 3. Septimæ Synodi: *Sanctæ Sextæ Synodi cum omnibus dogmatibus, quæ legaliter ac divinitus ab ea promulgata sunt, etiam depromptos Canones recipio*. Quin etiam Adrianus I. Papa in Epist. ad eundem Tarasium Patriarcham Cp., quæ lecta fuit Act. 2. Septimæ Synodi: *Omnes Sanctas Sex Synodos suscipio cum omnibus Regulis, quæ jure ac divinitus ab ipsis promulgatæ sunt, inter quas continetur in quibusdam Venerabilium Imaginum picturis Agnus digito Præcursoris exaratus ostendi*. Est Canon octogesimus secundus Trullanæ Synodi, qui Act. 4. ejusdem Septimæ Synodi ad *Sextam* (1) disertim refertur, in hæc verba. *Elias Reverendissimus Presbyter Sanctæ Dominæ nostræ Dei genitricis in Blachernis sitæ legit ex Charta habente definitiones Sanctæ & Universalis Sextæ Synodi. In quibusdam Venerabilium Imaginum Scripturis Agnus digito Præcursoris ostensus designatur*. Et reliqua. Photius Præfat. in Nomocanonem (2) *ex quibusnam Synodis* liber ipsius sit collectus, exponens: *complectitur etiam* (inquit) *eos Canones, quos Sexta Universalis Synodus definivit*: Et infra. *Synodi Sextæ Canones* CII. & *Tit.* 1. *cap.* 1. *Concilii Sexti Canon* 1. 73. 81. & *cap.* 9. *Concilii Sexti Canon* 14. & sic in reliquis Titulis. Matthæus Blastares: *Est autem & œcumenica*: & causam affert, cur œcumenica dicenda sit: quia *tanti Sancti Patres manifesti adeo mendacii sese convinci ægre ferent, dicentes in suis ipsorum Canonibus: Sancta hæc & œcumenica Synodus decrevit*. Theodorus Balsamon loc. supra cit.

(1) Tom. VII. Conc. edit. Venet. p. 882.
(2) Biblioth. Juris Canonici veteris Tom. 2. pag. 793. apud Voëll. & Justell. & pag. 794. 815.

cit. *Est autem etiam Universalis*. Et post pauca, œcumenicam quidem esse contendit, sed à Sexta diversam, adeoque *Quinisextam* esse appellandam: *Nota, quamobrem Synodus in Trullo Imperialis Palatii congregata*, Sexta *proprie non vocatur, sed* Quinisexta, *& quod hæc etiam Synodus fuit Universalis*. Demum Constantinus Harmenopulus, cur *Sexta* dicatur, exponit, inquiens: *Quapropter & isthæc Sexta dicitur, uti quæ suppleverit, quod Sextæ deerat, Canonum scilicet expositionem*.

Verum, (præter quam quod Trullana hæc nonnisi abusive *Sexta Synodus* dici potest, utpote quæ nihil commune cum sexta habuit, non tempus, non locum, non Patres: hi enim ab illis qui in Sexta convenerunt, fuere diversi: tempus congregatæ Sextæ a Trullana decennio differt: Trullana in Trullo Imperialis Palatii, Sexta in magna Ecclesia celebrata fuit: illa sub Justiniano, Sexta sub Constantino Augusto:) *Oecumenica* certe neque fuit, neque esse potuit: quippe quæ neque a Romano Pontifice confirmata est, neque ulla Patriarchalium Orientis Sedium, Alexandrinæ, Antiochenæ, Hierosolymorum, in ea consentiens; vel præsens fuit, quemadmodum affirmat Anastasius Bibliothecarius in Præfat. Septimæ Synodi ad Joannem VIII. Papam: fatenturque Græci ipsi Balsamon, Blastares, aliique, eam a Latinis rejectam fuisse: *Et jure sane*, (inquit Nicolaus Comnenus Papadopoli in Prænotionibus Mystagogicis Responso 1. sect. 3. p. 17.) *tum a Latinis, tum a Græcis tum priscis, tum etiam iis, qui hactenus non plane stolidi sunt, Synodus illa rejicitur, quando ea plura statuit Orthodoxæ fidei minime consentanea. Multa notarunt alii cum* (1) *Turriano, &* (2) *Bessarione, quæ viderint Photiani, si norunt legere: Mihi superest, ab utroque eruditissimo viro præteritus Canon secundus, in cujus fine præcipitur obsequium præstandum statutis in Africano Concilio sub Cypriano, quum tamen ea Synodus Cypriani decreverit, ut ab hæreticis lustrali Baptismi adspersi homines aqua, Baptismo*

(1) In Not. ad Synod. Trullanam.
(2) Epist. 4. ad Philanthropenum.

mo iterum initiarentur. Quod & erroneum, ut ajunt, tunc fuit, & deinceps censura hæresis plane damnatum non uno, sed pluribus Conciliis etiam Oecumenicis, nempe Aurelianensi I. Nicæno I. sub Silvestro, & Constantinopolitano I. de quibus Augustinus lib. 2. de Bapt. cap 14. *& seq.* Hactenus Papadopoli, cui tamen assentiri nequeo in hoc, quod paulo ante dixerat de eadem Trullana Synodo: *Nec a Latinis tantum ea Synodus rejecta est, sed & a Græcis ipsis toto tempore, quod Photianum schisma antecessit: testatur hoc Anastasius Bibliothecarius amicus Photii, fateturque Planudes, & Nilus Rhodius.* Esto enim, quod a Latinis rejecta est, uti testatur Anastasius tum in Præfat. ad Septimam Synodum, tum in vita Sergii Papæ, *qui tunc toti* (uti Papadopoli loc. cit. scribit) *præerat Ecclesiæ, quique Concilium illud Iniquitatis adeo detestatus est, ut ingens discrimen a Justiniani junioris ira subierit, at referunt ei ætati admodum proximi Paulus Diaconus, & Beda.* At quod a Græcis, qui Photianum schisma antecessere, ea Synodus rejecta sit, falsum omnino esse, ostenditur tum testimonio Tarasii Patrumque Septimæ Synodi, quod a nobis supra recitatum est; tum Anastasii ipsius Bibliothecarii auctoritate, qui de Trullanæ Synodi Canonibus apud Græcos receptis non apud Latinos, sic loquitur: „ Ergo Regulas, quas Græ„ ci a Sexta Synodo perhibent editas, ita in hac (*Ro„ mana*) Synodo Principalis Sedes admittit, ut nulla„ tenus ex his illæ recipiantur, quæ prioribus Canoni„ bus vel Decretis Sanctorum Sedis hujus Pontificum, „ aut certe bonis moribus inveniuntur adversæ „. Idem in vita Sergii Papæ testatur, illos Canones ab eodem Sergio Pontifice fuisse rejectos, a Græcis tamen Præsulibus subscriptos. „ Hujus itaque (*Sergii Papæ*) tempori„ bus, Justinianus Imperator Concilium in Regia urbe „ jussit fieri, in quo & Legati Sedis Apostolicæ conve„ nerant, & decepti subscripserant. Compellebatur au„ tem & ipse *Sergius* subscribere, sed nullatenus acquie„ vit, pro eo quod quædam capitula extra ritum Eccle„ siasticum fuerant in eo annexa. Quæ & quasi synoda„ liter

„ liter definita, & in ſex Tomis deſcripta, a tribus Pa-
„ triarchis, ideſt, Alexandrino, Conſtantinopolitano, &
„ Antiocheno, vel cæteris Præſulibus, qui eo tempore
„ illic convenerant, ſubſcripta erant, manuque Impe-
„ riali confirmata, miſſis in Lucellum quod chartale
„ vocitatur, in hanc Romanam urbem ad confirman-
„ dum, vel in ſuperiori loco ſubſcribendum Sergio Pon-
„ tifici, utpote capiti omnium Sacerdotum, direxit.
„ Qui Beatiſſimus Pontifex, ut dictum eſt, penitus ei-
„ dem Juſtiniano Auguſto non acquievit, nec eoſdem
„ tomos ſuſcipere, aut lectioni pandere paſſus eſt. Por-
„ ro eos ut invalidos reſpuit atque abjecit, eligens an-
„ te mori, quam novitatum erroribus conſentire „.
Denique, etiam poſt Photium in Synodo Octava damnatum, Trullanos Canones a Græcis non fuiſſe rejectos, demonſtrat primus Canon ejuſdem Synodi Octavæ, in quo ſic edicitur. *Igitur Regulas, quæ Sanctæ Catholicæ ac Apoſtolicæ Eccleſiæ tam a Sanctis famoſiſſimis Apoſtolis, quam ab Orthodoxorum Univerſalibus, nec non & Localibus Conciliis, vel etiam a quolibet Deiloquo Patre ac Magiſtro Eccleſiæ traditæ ſunt, ſervare ac cuſtodire profitemur.* Ubi ſeptem quidem Synodorum Canones expreſſe non nominant, illos tamen reſpiciunt: unde Chriſtianus Lupus not. in hunc Synodi Octavæ Canonem: *Præſens* (inquit) *Canon, Trullanæ ac Septimæ Synodi primum imitatus, confirmat omnes vulgares Apoſtolorum, Generalium, ac probatarum provincialium Synodorum, & omnium Sanctorum Patrum Canones: atque ita in Stephani Quarti Pontificis, ſolos quinquaginta priores Apoſtolorum Canones probantis, nuperum Decretum omnino impegit: item in alios Pontifices, a quibus Conſtantinopolitanos, Chalcedonenſes, Epheſinos, ac præſertim Trullanos Canones fuiſſe rejectos, eſt ſuo loco oſtenſum.* A Græcis igitur, illi Canones in Synodo Octava recepti, etiam poſt Photii dejectionem.

Anaſtaſius in laudata Præfat. ad Joannem VIII. Papam de Synodo Septima: „ Nulla (*inquit*) ratione Octa-
„ va dicitur, vel teneri poterit, ubi *Septima* non habe-
„ tur.

„ tur. *Et in Præfat. ad Hadrianum Papam de Octava Synodo*: Porro (*inquit*) proprium nomen hujus rite quærimus Synodi. Itaque si Synodus tantum dicatur, non proprie dicitur: habet enim hoc nomen commune cum aliis numerosis Conciliis. Si Synodus universalis appelletur; nec sic de hac quod singulariter possidet, prædicabitur: nam hoc nomine cum generalibus septem Synodis utitur. Porro si Synodus Constantinopolitana dicatur, non dicetur proprie: sunt enim & aliæ Constantinopolitanæ Synodi. Jam vero si Synodus Universalis Constantinopolitana & Octava vocetur; nec sic definitive nomen ejus prædicabitur: non enim est Octava, sed Quarta Synodus earum, quæ Constantinopoli universaliter celebratæ sunt. Nuncupanda est ergo sine omni contradictione Synodus Universalis Octava, ut & appellatio, quam cum septem aliis Conciliis sortita est, non celetur, & nomen proprium, quod singulariter possidet, designetur „. Si ergo Trullana, quæ a Sexta Synodo (ut dictum est) & tempore & loco & auctoritate differt, *Oecumenica* juxta Græcos dicatur, & pro *Oecumenica* habeatur, consequens est, ut quæ post Trullanam contra Iconomachos sub Constantino & Irene Augustis Anno Chr. 787. Niceæ celebrata est Synodus, quæque ab omnibus Græcis, tum priscis, tum neotericis *Septima* appellatur, non Septima esset dicenda, sed *Octava*. Ridiculum autem est, illam Œcumenicam esse, & ad *Sextam* referri, perinde ac si *Sexta Synodus* una eademque esse possit, quæ anno 681. sub Constantino habita est, quæque anno 692. sub Justiniano convenit. Quid? quod quum Trullani Patres Canone I. dicant, post quinque Œcumenicas, Sextam quoque Synodum se amplecti, manifestum faciunt Trullanum Concilium, in quo hæc profitentur, a Sexta esse prorsus diversum.

CAPUT

CAPUT VI.

Justiniani Imperatoris tentamina, pro Synodi Trullanæ confirmatione.

Nihil intentatum reliquit Justinianus Imperator, ut Trullana illa Synodus, quam ipse celebrandam curaverat, a Romano Pontifice confirmaretur: quippe qui noverat, sine approbatione Romanæ Sedis, Canones illos in ea Synodo conditos vim roburque in Ecclesia nunquam esse habituros. Idcirco in sex tomis (ut ait Anastasius Bibliothecarius) descriptos, & ab Episcopis Græcis subscriptos, manuque Imperiali confirmatos, Sergio Pontifici Romam ad subscribendum direxit. „ Qui „ Beatissimus Pontifex (*ut supra dictum est*) penitus eidem Justiniano Augusto non acquievit, nec eosdem „ tomos suscipere. aut lectioni pandere passus est. Porro eos ut invalidos respuit atque abjecit, eligens ante mori, quam novitatum erroribus consentire. Qui „ Imperator Sergium Magisterianum in spretum prænominati Pontificis Romam mittens, Joannem Deo „ amabilem Portuensem Episcopum, seu Bonifacium „ Consiliarium Apostolicæ Sedis, secum in Regiam abstulit Urbem. Deinde Zachariam immanem suum „ Protospatharium cum jussione direxit, ut prædictum „ Pontificem similiter in Regiam deportaret urbem. Sed „ misericordia Dei præveniente, Beatoque Petro Apostolo & Apostolorum Principe suffragante, suamque Ecclesiam immutilatam servante, excitatum est cor Ravennatis militiæ, Ducatus etiam Pentapolitani, & „ circumquaque partium, ut non permitterent Pontificem Sedis Apostolicæ in Regiam ascendere Urbem. „ Quumque ex omni parte multitudo militiæ conveniret, Zacharias Protospatharius perterritus & trepidans, ne a turba militiæ occideretur, portas quidem „ Civitatis claudi & teneri a Pontifice ad pedes Pontificis postulabat. Ipse vero in cubiculo Pontificis tre-

,, mebundus refugit, deprecans lacrimabiliter, ut sui ,, Pontifex misereretur, nec permitteret quemquam ejus ,, animæ infestari. Exercitus autem Ravennatis ingref- ,, sus per portam Beati Petri Apostoli cum armis & tur- ,, ba non modica, in Lateranense Episcopium venit, ,, Pontificem videre æstuans, quem fama vulgante, per ,, noctem sublatum & in navigium immissum fuisse au- ,, dierant. Dumque fores Patriarchii tam inferiores, ,, quam superiores essent clausæ, has in terram, nisi ,, velocius aperirentur, mittere minabantur. Præ nimia ,, timoris angustia, & vitæ desperatione, Zacharias ,, Protospatharius lecto Pontificis ingressus sese abscon- ,, dit, ita ut mente excideret, & perderet sensum. Quem ,, Beatissimus Papa confortavit, dicens, ut nullo modo ,, timeret. Egressus vero idem Beatissimus Pontifex fo- ,, ris Basilicam Domni Theodori Papæ apertis januis ,, sedens in Sede, quæ vulgo appellatur sub Apostolis, ,, generalitatem militiæ & populi, qui pro eo occurre- ,, bant, honorifice suscepit, datoque apto & suavi re- ,, sponso, eorum corda lenivit. Quamquam illi zelo du- ,, cti pro amore & reverentia tam Ecclesiæ Dei, quam- ,, que Sanctissimi Pontificis, jam a Patriarchii custodia ,, non recesserunt, quousque denominatum Prothospa- ,, tharium cum injuriis & contumeliis a Civitate Ro- ,, mana foris expulissent. Nam & is qui illum miserat, ,, ipso etiam tempore est, Domino retribuente, Regno ,, privatus. Sicque Ecclesia Dei imperturbata cum suo ,, Præsule, Christo favente, servata est ,,. Justinianus naribus mutilatus, imperioque exturbatus est anno Christi 695. adeoque eo ipso anno, quo Sanctum Sergium Pontificem ex Urbe Romana abstractum, in Constantinopolitanam Civitatem perduci curabat. Ex quo confirmatur, quod supra dictum est, Trullanam ab illo Synodum, non anno 705. quo is Imperium recepit, uti per errorem Theophanes scripsit, sed anno 692. congregatam fuisse.

Hæc, quæ supra dixi, Paulus Diaconus & Beda iisdem fere verbis de Justiniano in Sergium Papam de- bac-

bacchante, quod Canones Trullanos probare noluisset, testantur. Paulus Diaconus de Gest. Longob. lib.6. cap.11. *Hic Imperator Sergium Pontificem, quia in erroris illius Synodo, quam Constantinopoli fecerat, favere, & subscribere noluit, misso Zacharia Protospathario suo, jussit Constantinopolim deportari: sed prævenit militia Ravennæ urbis, vicinarumque partium, jussa Principis nefanda contemnens, & eundem Zachariam cum contumeliis ab urbe Roma & injuriis pepulit.* Beda de sex ætatibus in Justiniano Juniore: *Hic beatæ memoriæ Pontificem Romanæ Ecclesiæ Sergium, quia erraticæ suæ Synodo, quam Constantinopoli fecerat, favere ac subscribere noluisset, misso & Zacharia Protospathario suo, jussit Constantinopolim deportari: sed prævenit militia Ravennatis urbis vicinarumque partium jussa Principis nefanda, & eundem Zachariam contumeliis & injuriis ab Urbe Roma repulit.*

Græci Scriptores silentio premunt quæcumque a Justiniano contra Sergium Papam tentata sunt. Interim narrant, quæ post relegatum Chersonam Justinianum, intrusi Imperatores, *Leontius* per tres annos, ac *Tiberius Absimarus* per alios annos septem gessere, donec idem Justinianus Imperium recepit. Quid vero idem recepto Imperio, ad confirmandos Trullanos Canones iterum præstiterit, ne verbum quidem apud eosdem Scriptores occurrit. Igitur ex Latinis Historicis petenda est totius rei gestæ narratio.

Recepto anno Christi 705. Imperio, illud egit Justinianus quod in Vita Joannis VII. Papæ scribit Anastasius Bibliothecarius. *Hujus temporibus Justinianus Imperator a partibus Chazariæ per loca Bulgariæ, auxilio Trebellii* (1) *Bulgarorum Regis usque ad Regiam urbem veniens, Regnum proprium, de quo projectus fuerat, adeptus est: Leontium etiam, & Tiberium, qui locum ejus usurpaverant, cepit, & in medio Circo coram omni populo jugulari fecit, & obtinuit Principatum, de quo antea tumultuose fuerat dejectus. Qui illico ut Pa-*

(1) Terbelis.

latium ingressus est, propriumque adeptus est Imperium, Tomos, quos antea sub Domno Sergio Apostolicæ memoriæ Pontifice Romam direxerat, in quibus diversa capitula Romanæ Ecclesiæ contraria scripta inerant, per duos Metropolitanos Episcopos demandavit, dirigens per eos & sacram, per quam denominatum Pontificem conjuravit, ac adhortatus est, ut Apostolicæ Ecclesiæ Concilium aggregaret, & quæque ei visa essent, stabiliret, & quæ adversa, excluderet. Sed hic humana fragilitate timidus, hos nequaquam Tomos emendans, per præfatos Metropolitanos direxit ad Principem, post quæ non diu in hac vita duravit. Joannes VII. Pontifex die 1. Martii anni 705. ordinatus, decessit die 17, Octobris, Indictione VI. anno Chr. 707. Eum arguit Anastasius, quod noluerit cribrare Canones, & triticum a palea separare: nec sine fundamento, (inquit Lupus in dissert. de Trullana Synodo, & Pagius ad ann. 692. num. XV.) *Vere enim de hac Synodo ait Libellus Synodicus*, omissos in Quinta & Sexta Synodo Canones edidit, & ab omni Græca, *idest Gentili*, atque Judaica, quin & Hæretica traditione Ecclesias purgavit. *Habet hæc Synodus bona malis mixta, & utile ab inutili non vitiatur*. Verum, quum Canones illi non fuissent auctoritate Romani Pontificis conditi, quumque multa continerent, quæ Apostolicas traditiones labefactant & Catholicum ipsum dogma impetunt, jure meritoque ab illis purgandis Joannes Papa abstinuit, attenta præsertim Justiniani ipsius indole, qui majores in Ecclesia tumultus esset excitaturus. *Indignum quippe est Sede Apostolica* (inquit Severinus Binius ex Baronio ad ann. 705. num. v.) *vel quid minimum comprobare, quod non in legitima Synodo sancitum esset. Unde ne quidem ex parte eos approbare & recipere voluit. Cæterum neque eos voluit condemnare, ne commoveret animum Imperatoris*. Hinc est, qeod Anastasius subdit: *hoc nequaquam emendans, per suprafatos Metropolitanos direxit ad Principem*. Atqui eos non recepisse, videri poterat condemnasse. *Non fuisse illos quidem receptos* (subdit loc. cit. Baronius) *sed ut scripti erant*,

erant, *remissos ad Imperatorem*, *alia sunt quæ demonstrant*: *etenim si recepti fuissent*, *haud opus fuisset Justiniano Imperatori vocare ob eam causam Constantinopolim* (*ut dicemus*) *Constantinum Pontificem*. „ Præmiserat *idem Baronius eodem anno* 705. *num.* 2. *hanc de Græcorum artibus adversus Romanam Ecclesiam Adnotationem*. „ „ Incredibiles perspicias fuisse Græcorum artes, quibus „ nisi sunt sibi subjicere (si licuisset) Romanam Ecclesiam. Quod enim confirmationi Romani Pontificis „ sibi tyrannice usurpatæ tandem renunciassent Imperatores, studuerunt alia via eidem Romanæ Ecclesiæ dominari, agentes nimirum, ut in Collegium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium allegerentur Orientales, qui etiam, opera Exarchorum adnitente, crearentur Romani Pontifices. Hinc videas, post Benedictum „ Pontificem *Joannem V*. Syrum natione creatum successorem, deinde *Cononem* Thracem, postea *Sergium* Syrum, *Joannem* deinde Græcum pariter ordine Sextum „ dictum, deinde hunc, de quo agimus, *Joannem* Septimum iisdem Græcum, postea *Sisinium* Syrum, & post „ eum *Constantinum* pariter Syrum, itidemque *Gregorium* „ tertium Syrum etiam, necnon post eum *Zachariam* Græcum: ut appareat, inter hos omnes vix unum Gregorium „ secundum intercalatum Romanum natione Pontificem. „ Sed quid accidit? utique tamquam miraculum à Deo, ut „ in Collegium iidem cooptati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & creati Pontifices Apostolicæ Sedis, spiritum pariter hæreditarint Apostolicum, steterintque adversus omnes conatus Imperatorum & „ Orientalium Episcoporum, restiterintque, ac ne minimum quidem cesserint. Videas pariter hac de causa, ad eludendum eundem conatum Imperatorum, „ fuisse ordinationes Cardinalium Romanæ Ecclesiæ infrequentes, quo necessitatem vitarent iidem Romani „ Pontifices Imperatorum obsequendi voluntati. Sic igitur semper ipsi elusi remanserunt Imperatores, quum „ suos Græcos sive alios Orientales creatos Romanos „ Pontifices, suis ipsorum petitionibus accerrimos ad-

„ ver-

„ versarios reperirent, quos putabant in omnibus, gen- „ tilibus suis fore concordes, ut de ipso, de quo est „ sermo, Joanne Septimo accidisse probatur „. Pro hoc Emi Baronii æquissimo de Syris Græcisque Romanis Pontificibus judicio, ego ipse, qui Syrus sum, quamvis à puero, hoc est, ab anno 1696. Romæ educatus versatusque, gratias plurimas agendas censeo. Addendum tamen ab eodem Baronio vellem, primo, quod quum Romani Pontifices, *Syri* quidem post *S. Petrum* Apostolorum Principem Romanæ Ecclesiæ fundatorem, fuerint *Evaristus*, *Anicetus*, *Joannes V. Sergius I. Sisinius*, *Constantinus*, & *Gregorius III. Græci* vero, *Anacletus*, *Telesphorus*, *Hyginus*, *Eleutherius*, *Antherus*, *Sixtus II. Eusebius*, *Zosimus*, *Theodorus*, *Joannes VI. Joannes VII.* & *Zacharias*; *Thrax* vero, unus *Conon*; ex his tamen nullus legitur, qui probitate morum, aut sanitate doctrinæ laboraverit, nullus, qui ad Romanam Cathedram per nefas, aut Imperatorum, sive Exarchorum opera studioque sit evectus. Id quod de omnibus aliarum nationum Romanis Pontificibus (excepta sana fidei doctrina) vix dici possit. Lege Librum Pontificalem, Annales Baronii, Breviarium Pagii, Sandini, aliorumque evolve. Secundo, quum ex iis, quos Baronius enumeravit, Romanis Pontificibus, à Joanne V. usque ad Zachariam, nonnulli paucis annis vel mensibus Sedem Apostolicam tenuerint, Joannes nempe V. *annum unum* & *dies novem*: Conon *menses undecim*: Joannes VII. *annos* 2. *menses* 7. *ac dies* 17. Sisinius *dies* 20. hinc factum est, quod *Joannes V.* Episcopos 13. ordinarit, *Conon* Episcopos 16. *Joannes VII.* Episcopos 18. *Sisinius* Episcopum unum. Reliqui vero quum in Romana Cathedra diutius sederint, plures Episcopos, Presbyteros & Diaconos ordinarunt, *Sergius* nempe Episcopos 97. Presbyteros 18. Diaconos 4. *Joannes VI.* Presbyteros 9. Diaconos 2. *Constantinus* Episcopos 64. Presbyteros 10. Diaconos 5. *Gregorius III.* Episcopos 80. Presbyteros 24. Diaconos 3. *Zacharias* Presbyteros 30. Diaconos 5. Episcopos 85. Quod autem neque Imperatores, neque Exar-

chi,

chi, in hujusmodi ordinationibus Cleri Romani, Sanctæ nimirum Ecclesiæ Episcoporum Cardinalium, Presbyterorum, & Diaconorum, ullo se modo ingesserint, patet ex Libro Pontificali. Non igitur ob eam, quam Emus Baronius conjectatur causam, *fuere ordinationes Cardinalium Romanæ Ecclesiæ infrequentes, quo necessitatem vitarent iidem Romani Pontifices, Imperatorum obsequendi voluntati*; sed quia nonnulli eorum Pontificum, Romanam Ecclesiam brevi tempore administrarunt; qui vero longiorem Pontificatum adepti sunt, frequentiores & ipsi numerosioresque Cardinalium ordinationes fecere, quin ullam in iis partem Imperatores aut Exarchi Ravennates habuisse legantur: quinimo quum *Constantinus* Papa Presbyteros 10. & Diaconos 2. & *Zacharias* Presbyteros 30. & Diaconos 5. ordinarint, ii tamen, qui illos in Romana Cathedra exceperunt, non Syri, non Græci fuere, sed Romani; post Constantinum scilicet *Gregorius* Secundus, & post Zachariam *Stephanus* Secundus. Quinimo quum Gregorius Secundus, qui certe patria Romanus fuit, annos 15. menses 8. diesque 24. sederit, & ordinarit Episcopos 150. Presbyteros 34. Diaconos 4.; is tamen, qui illum in Pontificatu excepit, non Romanus fuit, neque Italus, sed Syrus Gregorius III. cujus ordinationem non Imperator, non Exarchus procuravit, sed *quem* (uti Anastasius scribit) *viri Romani, seu omnis populus à magno usque ad parvum, divina inspiratione permoti, subito eum, dum ejus decessor* (Gregorius II.) *de hoc sæculo migrasset, dum ante feretrum in obsequio sui Antecessoris esset intentus, vi abstollentes, in Pontificatus ordinem elegerunt.*

Ad Justiniani conatus pro Trullanis Canonibus redeo. Joannem VII. Papam defunctum, post brevissimum Sisinii Pontificatum, excepit *Constantinus*, VII. Kal. Apr. an. 708. *Ad hunc Justinianus sacram misit* (quemadmodum Anastasius Bibliothecarius scribit) *per quam jussit eum ad Regiam ascendere urbem.* (Nimirum, ut controversiæ ob Canones Trullanos aliquis finis imponeretur.) *Qui Sanctissimus vir jussis Imperialibus obtemperans, illico navigia*

gia fecit parari, quatenus iter aggrederetur Marinum; & egressus est a Portu Romano die quinta mensis Octobris, Indictione IX. (anno Chr. 710. quo a Kalendis Septembris Indictio IX. inchoata) *& sequuti sunt eum Nicetas Episcopus Silvæ Candidæ, Georgius Episcopus Portuensis, Michael, Paulus, Georgius Presbyter, Georgius* (1) *diaconus, Georgius Secundicerius, Joannes primus defensor, Cosmas Sacellarius, Sisinius Nomenclator, Sergius Scriniarius, Dorotheus & Julianus Subdiaconi, & de reliquis gradibus Ecclesiæ non pauci Clerici. Veniens igitur Neapolim, illic eum reperit Joannes Patricius & Exarchus, cognomento Rizocopus, qui veniens Romam, jugulavit Paulum Diaconum & Vicedominum, Petrum Arcarium, Sergium Abbatem Presbyterum, & Sergium ordinatorem, pergensque Ravennam, pro suis nefandissimis factis, judicio Dei, illic turpissima morte occubuit. Gregorius vero Presbyter Neapoli relictus est: & Pontifex cum suis Siciliam perrexit, ubi Theodorus Patricius & Strategus languore detentus, occurrens Pontifici, magna cum veneratione salutans atque suscipiens, medelam adeptus est celerem. Atque inde egrediens per Rhegium, & Crotonam, transfretavit Gallipolim, ubi mortuus est Nicetas Episcopus. Dum vero Hydrunti moras faceret, eo quod hiems erat, illic suscepit Sigillum Imperiale per Theophanium Regionarium, continens ita, ut ubicumque denominatus conveniretur Pontifex, omnes Judices ita eum honorifice susciperent, quasi ipsum præsentialiter Imperatorem viderent. Unde egressi, partes Græciæ contingentes, in insula quæ dicitur Cea, occurrit Theophilus Patricius & Strategus Caravisianorum, cum summo honore eum suscepit, & amplectens, ut jussio continebat, iter absolvit peragere cœptum. A quo loco navigantes, venerunt à Septimo milliario Constantinopolim: ubi egressus Tiberius Imperator filius Justiniani Augusti cum Patriciis, & Syncleto* (idest Senatoribus) *& Cyrus Patriarcha eum Clero & populi multitudine, omnes lætantes*

(1) Leg. *Gregorius Diaconus*, uti in vita ejusdm sub nomine Gregorii II. Papæ legitur.

tes & diem festum agentes. Pontifex autem, & ejus primates cum Sellaribus Imperialibus, sellis, & frenis inauratis simul & mappulis, ingressi sunt civitatem. Apostolicus Pontifex cum Camelaucio ut solitus est Romæ procedere, à Palatio egressus, in Placidias usque, ubi hospitatus erat, properavit: domnus autem Justinianus Imperator audiens ejus adventum, magno repletus gaudio, à Nicæa Bithyniæ misit Sacram gratiarum actione plenam, & ut debuisset Pontifex occurrere Nicomediam, & ipse veniret à Nicæa: quod & factum est. In die autem, qua se invicem viderunt, Augustus Christianissimus cum regno in capite sese prostravit, pedes osculans Pontificis. Deinde in amplexum mutuo corruerunt; & facta est lætitia magna in populo, omnibus aspicientibus tantam humilitatem boni Principis. Die vero Dominico Missas Imperatori fecit, & communicans Princeps ab ejus manibus, proque suis delictis ut deprecaretur Pontificem postulans, omnia Privilegia Ecclesiæ renovavit, atque Sanctissimum Papam ad propria reverti absolvit. Egressus igitur à Nicomedia civitate, crebris valetudinibus Pontifex attritus, tandem sospitatem Deo tribuente incolumis, ad Portum Cajetæ pervenit. ubi Sacerdotes & maximam Populi Romani reperit multitudinem, ac vigesimo quarto die mensis Octobris, Indictione decima (anno Chr. 711.) *Romam ingressus est, & omnis populus exultavit atque lætatus est. Hic fecit ordinationes Episcoporum in eundo & redeundo per diversa loca Episcopos duodecim.*

Quid vero Constantinopoli per Constantinum Pontificem actum sit, scriptorum inopia latet quidem; tantummodo autem ex iis, quæ idem Anastasius Bibliothecarius scribit in Gregorio Secundo, Constantini successore, licet colligere: quum videlicet ait: „ Hic à par„ va ætate in Patriarchio nutritus sub sanctæ memoriæ „ domno Sergio Papa, Subdiaconus atque Sacellarius „ factus, Bibliothecæ est illi cura commissa, deinde ad „ Diaconatus ordinem provectus est. Et cum viro San„ cto Constantino Pontifice ad Regiam profectus est ur„ bem, atque à Justiniano Principe inquisitus, de qui-

„ busdam capitulis, optima responsione unamquamque „ solvit quæstionem. Erat enim vir castus, divinæ scri- „ pturæ eruditus, facundus loquela, & constans animo, „ Ecclesiasticarum rerum defensor, & contrariorum for- „ tissimus impugnator „. His enim temporibus nulla alia vertebatur inter Orientales & Occidentales quæstio, nisi de capitulis, idest Canonibus additis ad Quintam & Sextam Synodum: nihil aliud à Justiniano postulabatur, nisi ut quos Tomos antea ad Sergium Pontificem, deinde ad Joannem VII. direxerat, in quibus diversa capitula Romanæ Ecclesiæ contraria scripta inerant, ut nempe quæ eis visa essent, stabilirent, & quæ adversa excluderent; eosdem illos Constantinus Papa expenderet. De his Constantinopoli cum eodem Papa tractatum est, de his conventus habiti, atque inter utramque partem diutius altercatum: sed pro Constantino Pontifice ad Justinianum interlocutus Gregorius Diaconus, optima responsione unamquamque solvit quæstionem. *Dolendum est* (inquit Pagius ad ann. 710. num. 2.) *Gregorii Secundi optimam de hisce Capitulis responsionem aut latere, aut periisse*. Lupus ex dictis colligit, Constantinum Papam fuisse primum è Pontificibus Romanis, qui Canones Trullanos, Ecclesiæ Romanæ decretis non adversantes probarit: atque hæc Apostolica ipsius approbatio, Tarasio Patriarchæ, Septimæ Synodo, ac Hadriano I. Romano Pontifici fundamentum dedit, tam gloriose de illis prædicandi, eosque generatim admittendi. Verum (ut loc. cit. subdit Pagius) *Hadrianus I. solos Synodi Trullanæ Canones jure & orthodoxe promulgatos probat. Septima vero Synodus omnes quidem laudat & confirmat in suo primo Canone; sed qui existimant hanc confirmationem esse authenticam, valde falluntur, quum & Septimæ Synodi Canones omnes Romana Ecclesia nunquam confirmarit. Hinc Canonum Trullanorum per Constantinum Papam facta confirmatio, mansit incognita, non solum apud Romanam, sed & apud cæteras, Constantinopolitana excepta, Patriarchales Ecclesias*. Ideoque per Joannem VIII. Papam (qui ab anno Chr. 872. xix. Kal.

Jan.

Jan. ad XVIII. Kal. Jan. anni 882. sedit) bonorum malorumque Canonum disertim facta fuit separatio, Anastasio Bibliothecario teste in Præfat. ad Synodum Septimam: *Apostolatu vestro decernente, non solos quinquaginta priores Apostolorum Canones Ecclesia recipit, sed omnes eorum, utpote Spiritus Sancti tubarum: quin & omnium omnino probabilium Patrum, & Sanctorum Conciliorum Regulas & institutiones admittit, illas dumtaxat, quæ nec rectæ fidei, nec probis moribus obviant, sed nec Sedis Romanæ decretis ad modicum quid resultant, quin potius adversarios, idest hæreticos, potenter impugnant. Ergo Regulas, quas Græci a Sexta Synodo perhibent editas, ita in hac Synodo principalis Sedes admittit, ut nullatenus ex his illæ recipiantur, quæ prioribus Canonibus, vel decretis Sanctorum hujus Sedis Pontificum, aut certe bonis moribus inveniuntur adversæ.*

CAPUT VII.

Animadversiones in Canones Trullanos.

CEntum & duo Canones in Trullana Synodo sunt editi, uti manuscripti & impressi Græci Codices, Scriptoresque testantur. Baronius quidem ad ann. 692. num. 1. *Centum & tres* numerat, quia scilicet in aliquem Codicem inciderat, in quo unus in duos partitus erat. Ex illis plures sunt optimi, & qui antiquam disciplinam ut plurimnm redolent (ut observat Pagius ad eund. ann. 692. num. XIV. subditque) „Verum sunt inter illos quatuor aut quinque, qui à Romana Ecclesia approbati non fuere: uti *Canon II.* quo octoginta quinque Apostolorum Canones & Constitutiones decernuntur admittendæ, quos ideo Baronius num. 42. & seqq. refellit. Nec etiam *Canon xiii.* quo lex Ecclesiaftiea cælibatus concutitur, & castissima Romanæ Ecclesiæ reprehenditur disciplina, qua sacris ministris usus conjugii interdicitur, quem ideo confutat Baronius à num. 18. ad 24. nec etiam *Canon lxvii.* abstinen-

 „ tiam

„ tiam à ſanguine & ſuffocato Clericis ſub depoſitionis „ pœna, laicis ſub pœna excommunicationis præſcribens, „ eamque abſtinentiam ex divinæ Scripturæ mandato „ etiam obligante imponens: hunc Canonem refellit Baronius n. 30. & ſeq. nec omni ex parte approbatus eſt „ *Canon* (1) *lxxxii.* quo edicitur, ne Chriſtus Salvator „ depingatur in imagine Agni, ficut oſtenſus eſt Patribus „ in figura, ſed in imagine hominis, qua demum omnes „ ſunt adimpletæ figuræ. Qua de re legendus Baronius „ num. 44. & de omnibus hujus Synodi decretis videndus Lupus in notis & Scholiis ad Canones Concilii „ Trullani „. Hæc Pagius: qui de Canone LXXXII. addit num XVII. „ Controverſia erat cum hæreticis de adoratione Imaginum, inquit Allatius lib. I. de Conſenſione Eccl. Occident. & Orient. cap. 27, Catholici veritatem utcumque elicere cupientes ex Canonibus iſtis, „ non eos probantes, neque ut Canones Synodi univerſalis exoſculantes, veritatem extorquent. Mentionem „ namque de Imaginibus in medium afferunt. Hoc modo itaque recepti ſunt, ut ejuſdem Canone Iconomachiæ perfidia reprobaretur. Nec aliud fuit in mente, „ neque Hadriano; neque Taraſio, neque Damaſceno, „ neque aliis, niſi ut propoſitam quæſtionem de adoratione Imaginum, ex ejuſdem teſtimonio dirimerent „ ſatis antiquo, approbarentque veritatem etiam hac „ ratione elicitam. Quod in aliis etiam ſæpiſſime factum „ eſt. Vide quæ Baronius de hac re habet a num. 42. „ ad 48. „ Lupi ad eundem Canonem LXXXII. hæc eſt animadverſio. „ Eundem Canonem laudat Septima Synodus, & ait: *Videmus cuncti & intelligimus, quod* „ *& ante Sanctas Synodos, & poſt Sanctas Synodos,* „ *Imaginum deſcriptiones in Eccleſia traditæ fuerunt*: „ videmus Chriſtum Dominum noſtrum non dumtaxat „ in adſumpti hominis, ſed & in legalis Agni forma, „ fuiſſe paſſim etiam in Græcorum Eccleſiis effigiatum. „ Et

(1) Tam Baronius, quàm Pagius habent, *Canon* LXXXIII. Sed in Textu eſt LXXXII.

„ Et hunc morem, ut pravum damnare non ausus, ut „ imperfectum præsens Canon abolet ac proscribit.

In Animadversionibus quas in nonnullos Trullanos Canones, Tom. I. hujus Bibliothecæ cap. 12. a pag. 413. scripsi, septem Capitula adnotavi, in quibus iidem Canones jure meritoque a Romana Ecclesia non probantur: *Quale illud est* (ut verbis utar Admonitionis quæ Græce & Latine illis præmittitur Tom. VII. Concil. Labb. edit. Venet. a p. 1327.) *quod in secundo Canone, octoginta quinque Apostolorum Canones expresse approbantur, quum inter illos sint, quos Ecclesia non recepit. Quod Sancti Martyris Cypriani dogma de rebaptizandis hæreticis non reprobatur, quum sit definitioni Ecclesiæ Catholicæ contrarium. Quod Orientalium tantummodo Patrum Canones enumerantur, exceptis Carthaginensibus; Romanorum vero Pontificum, & aliorum Occidentalium Patrum plane nulli; imo etiam animadvertitur in eos, qui alios præter ibidem enumeratos Canones admittunt. Quod* XIII. *Canone, Ecclesiæ Romanæ præcipitur, ut permittat conjugia Sacerdotum, quæ ibidem perfecta traditionis Apostolicæ observatio dicitur. Quod* XXXVI. *Canone, definitur, ut Sedes Constantinopolitana iisdem, quibus & Romana, fruatur privilegiis, juxta Sanctorum, inquiunt, secundi & quarti Conciliorum statuta: quum tamen Synodus Secunda clarissimis verbis decreverit, Sedem Constantinopolitanam honorandam esse post Romanam, non æque ut Romanam; Chalcedonensis vero Synodus ediderit Canonem, non tamen omnium consensu Episcoporum, sed quibusdam renuentibus, Legatis vero Pontificis apertissime contradicentibus, & Synodo quidem Leonem Romanum Pontificem obsecrante, ut approbaret Canonem, illo vero rejiciente, nec ullo modo admittente. Quod Romana reprehenditur Ecclesia ob jejunium Sabbati tempore Quadragesimali, idque fieri dicitur præter traditam Ecclesiasticam observantiam. Hæc & alia quædam in eis contenta Canonibus, & antiquis Apostolicæ Sedis adversantia traditionibus, convincunt Quinisextam Synodum Oecumenicam plane non esse.* Hæc ibi: quibus addidi pag. 434. quod Cano-

Canone LXXII. Orthodoxi viri cum hæretica, vel hæretici cum orthodoxa muliere matrimonium tamquam irritum & nefarium conjugium, jubetur dissolvi.

CAPUT VIII.

Animadversio in Canonem I. Trullanum.

NUnc alia sunt quædam adjungenda, quæ vel in iis Canonibus, vel in eorum Interpretatione videntur non plane esse probanda.

Canone I. postquam œcumenicas quinque Synodos enumerant, easque se amplecti profitentur, iidem ipsi Trullani Patres de Sexta Synodo adjiciunt, dicentes: *Porro Sextæ quoque Sanctæ Synodi, quæ in hac Civitate Imperiali sub divæ memoriæ Imperatore nostro Constantino congregata fuerat, fidem, quæ majorem ex eo firmitatem accepit, quod pius Imperator eam scriptam suo signaculo munivit ad futuram in omnia sæcula securitatem non movendam, nec agitandam, nos servare rursus profitemur, quæ duas naturales voluntates seu volitiones, duasque naturales operationes in Incarnata Domini nostri Jesu Christi veri Dei œconomia, nos pie opinari debere, aperte docuit; iis qui rectum veritatis decretum adulteraverunt, & unam voluntatem ac operationem unam in Domino nostro Jesu Christo populos docuerant, pia sententia condemnatis: Theodoro, inquimus, Pharan, Cyro Alexandriæ, Honorio Romæ, Sergio, Pyrrho, Paulo, Petro, qui in hac a Deo servata Civitate præsederunt, Macario qui fuit Antiochensium Episcopus, Stephano ejus discipulo, & insipiente Polychronio: hac ratione intacto & illibato communi corpore Domini nostri Jesu Christi ab eis servato.* Non probatur primo, quod *Honorium Papam* cum iis condemnatum volunt, *qui rectum veritatis decretum adulteraverunt & unam voluntatem unamque operationem in Christo Domino nostro populos docuerunt.* De Honorio dici nequit, quod hæreticus fuerit, aut populos unam Christi voluntatem unamque operatio-

nem

nem docuerit, sed ad summum, quod *non ut decuit Apostolicam auctoritatem, hæresim incipientem extinxit, sed negligendo confovit: quique Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam maculari permisit*, quemadmodum de ipso locutus est Leo II. Pontifex in Epist. ad Constantinum Pogonatum, & in Epist. ad Episcopos Hispaniæ: quamquam nos Honorium etiam ab hoc impacto ei crimine immunem fuisse, alibi ostendimus. Non probatur secundo, quod de Sextæ Synodi fide dicunt Græci Præsules, *majorem nempe firmitatem ex eo accepisse, quod Constantinus Imperator eam scriptam suo signaculo muniit ad futuram in omnia sæcula securitatem non movendam, nec agitandam*. Nam *firmitas definitæ fidei Synodorum Oecumenicarum, a Patrum subscriptionibus, & maxime a Romani Pontificis confirmatione accipitur, non ab Imperatorum sigillo*. Jam nota est omnibus Græcorum Præsulum adulatio, qua Imperatores suos plus æquo efferunt, tum in hoc ipso Canone, quo singuli Imperatores, quorum tempore sex Synodi celebratæ sunt, non alio compellant nomine, quam *nostri Imperatoris*, sic de Nicæna I. *sub Constantino, qui fuit noster Imperator*: de Constantinopolitana I. *sub Theodosio majore, qui fuit noster Imperator*: de Ephesina I. *sub Theodosio Arcadii filio, Imperatore nostro*: de Chalcedonensi, *sub Marciano, qui fuit & ipse Imperator noster*: de Quinta Synodo, Constantinopolitana Secunda, *sub Justiniano piæ memoriæ, qui fuit Imperator noster*: de Sexta Synodo, Constantinopolitana Tertia, *sub divæ memoriæ Imperatore nostro Constantino*. Tum etiam in Canone 69. quo Imperatoribus intra sacrum Altare ingressum consessumque concedunt, his verbis: *Nulli omnium liceat, qui quidem sit in laicorum numero, intra septa sacri Altaris ingredi; nequaquam tamen ab eo prohibita Potestate & Auctoritate Imperiali, quando quidem voluerit Creatori dona offerre ex antiquissima traditione*. Lupus notis in hunc Canonem, ostendit, laicis quidem ex antiqua consuetudine permissum fuisse ingressum

ſum intra ſepta Altaris ad offerendum dona Creatori; non tamen conceſſum, ut ibi ad Miſſas aut ad divina Officia conſiſterent: citatque hunc, quem Eugenianum vocat Canonem: *Sacerdotum aliorumque Clericorum Eccleſiis ſervientium honores a laicorum diſcrete apparere convenit. Quamobrem nulli laicorum liceat in eo loco, ubi Sacerdotes reliquive Clerici conſiſtunt; quod Presbyterium nuncupatur, quando Miſſa celebratur, conſiſtere.* Additque hanc Theodoſii junioris de Eccleſiaſtico aſylo legem exſtantem poſt Synodum Epheſinam. *Ad ſacra Altaria, munerum tantummodo offerendorum cauſa, accedimus; & quum circumſeptum ſacrorum adytum ingreſſi ſumus, ſtatim egredimur, nec quidquam ex propinqua divinitate nobis arrogamus.* Antiqua quidem conſuetudo ſive abuſus olim invaluerat in Eccleſia Conſtantinopolitana, ut Imperatores in Sacrario ſederent: qua de re Sozomenus lib. 1. cap. 24. *Moris erat, ut Imperatores, dum ſacris intereſſent, in Sacrario ſederent, majeſtatis ergo a populi conſortio ſeparati. Ambroſius autem conſiderans eam conſuetudinem vel ex aſſentatione, vel ex ordinis inſcitia eſſe natam, Imperatori in Eccleſia locum aſſignavit ante Sacrarii Cancellos, ita ut populum Imperator, Imperatorem Sacerdotes ordine ſedis antecederent. Hanc autem optimam conſtitutionem Theodoſius Imperator approbavit, ac ſucceſſores ejus corroboraverunt, & nos eam ex eo uſque tempore conſervatam cernimus.* Rem fuſius narrat Theodoretus hiſtor. Eccleſ. lib. 5. cap. 17.
„ Quum Theodoſius Imperator dona attuliſſet, intus
„ prope cancellos manſit. At magnus ille Ambroſius
„ non conticuit, ſed laicorum differentiam eum docuit.
„ Ac primum ſciſcitatur, ecqua re egeret? Et quum
„ reſpondiſſet Imperator, ſe exſpectare divinorum my-
„ ſteriorum perceptionem; ſignificavit illi per prima-
„ rium Diaconum, qui ei miniſtrabat, ad loca inte-
„ riora ſolis Sacerdotibus aditum patere, eademque
„ aliis omnibus inacceſſa eſſe, nec debere tangi. Jubet
„ igitur, ut exeat, & cum reliquis laicis conſiſtat. Nam
„ purpura, inquit, Imperatores, non Sacerdotes efficit.
„ Quum

„ Quam admonitionem lubens excepit Imperator fide-
„ lissimus, respondítque, se non animi confidentia in-
„ ductum mansisse intra cancellos, sed hanc consuetu-
„ dinem Constantinopoli didicisse. Quare, habeo, in-
„ quit, pro hac medicina gratiam. Et pietatis praece-
„ pta, quae ab illo Episcopo didicerat, etiam quum re-
„ vertisset Constantinopolim, observavit. Nam, quum
„ divino quodam festo ad Templum denuo veniret, sta-
„ tim ut dona sacrae mensae obtulerat, exivit. Atque
„ quum Nectarius, qui id temporis fuit Antistes il-
„ lius Ecclesiae, rogaret, cur non maneret intus, ge-
„ mens inquit, aegre tandem didici, quid inter Impe-
„ ratorem intersit ac Episcopum: aegre tandem reperi
„ veritatis Magistrum. Nam solum Ambrosium novi Epi-
„ scopum, dignum eo nomine „. Hactenus de Theodo-
sio. Apud Trullanos Praesules, populo nequaquam per-
mittitur intrare sacrarium; intrare, dicitur privilegium
solius Imperatoris. Lupus loc. cit. *Et hanc dicit antiquis-
simam consuetudinem, praesens Canon confirmat. Quidam,
ab illo etiam persistentiam permitti existimant. At verba
id non sonant*. Verum Graeci Canonistae Imperatoribus
intra sacrarii septa non solum ingressum & persistentiam,
sed sacras etiam nonnullas functiones ex hoc Canone at-
tributas volunt. Audiatur Theodorus Balsamon. „ Pro-
„ hibet praesens Canon, ne laici ad divinum Altare in-
„ grediantur, ut quod solis sacratis hominibus sit desti-
„ natum. Id autem, inquit, Imperatori soli, licet sit
„ laicus, concessum est, quando munera Deo offerre vo-
„ luerit, ex antiqua quadam consuetudine. *Et post pau-
„ ca*: de Imperatoribus autem dixerunt quidam ver-
„ bis Canonis insistentes, quod tunc non prohibebuntur
„ intra septum Altaris ingredi, quando sunt Deo mune-
„ ra oblaturi, non autem si solius adorationis gratia
„ ipsum ingredi voluerint: sed mihi non ita videtur.
„ Orthodoxi enim Imperatores, qui per Sanctae Trini-
„ tatis invocationem Patriarchas provehunt, & sunt
„ uncti Domini, sine ullo impedimento, quando etiam
„ voluerint, ad sacrum Altare accedunt, & suffiunt, &

„ cum triplici cereo ſignant, ſicut & Pontifices „. Baronius ex quodam Balſamonis exemplari addit: *ſed etiam populum ad eum inſtituendum docent, quod ſolis illius regionis Antiſtitibus conceſſum eſt*. Quæ tamen verba in Græco Balſamonis textu non habentur. Invehitur autem in hunc Græcorum morem Baronius ad ann. 692. num. 32. & ſeq. & concludit: *ſed iſta Græcorum leviſſimi; ſecus vero ſtatuerunt Orientalis Eccleſiæ Patres ſanctiſſimi*. Lupus vero not. in hunc Canonem Trullanum, poſtquam hæc Romanæ Synodi ſub Joanne XII. verba produxiſſet, quibus laicis ſub pœna anathematis prohibetur ingreſſus ad ſepta Altaris: *In circuitu Altaris, aut in Presbyterio nullus laicorum ſtare præſumat, quoties Miſſarum ſolemnia celebrantur: quod ſi fecerit quis, communione privatus maneat uſque ad emendationem*: mox addit de abrogato hujus Canonis per communem apud Latinos inobſervantiam uſu: „ Hæc ſanctiſſima, & perneceſſaria di„ ſciplina jampridem apud nos periit, aut dormit; ideo„ que non ſine fundamento Græci ſchiſmatici adverſum „ nos Latinos in calumniarum ſuarum Indiculo, reper„ to Conſtantinopoli apud Patres Prædicatores, poſue„ runt hunc articulum „ Secus Altare Eccleſiam quili„ bet accedit, cujuſcumque ſit ſexus, ætatis, vel ordi„ nis. Et in ſolemnitate Miſſarum mulieres ſedere poſ„ ſunt, ſi velint, in ſede Sacerdotum. Sic ſciunt di„ ſtinguere inter ſacra & profana „. Hoc ipſum de Latinis legas apud Balſamonem in cit. Canon. Trullan. ubi Græcos etiam quoad eundem abuſum ſugillat, his verbis. „ Quomodo ergo in divinum adytum inclyti Tem„ pli Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod eſt in Chalce, „ quicumque vult citra ullum impedimentum ingredi„ tur, neſcio. De Latinis autem audio, quod non ſo„ lum viri laici, ſed & mulieres in ſanctum tribunal in„ grediuntur, & ſedent, ſtantibus ſæpe iis qui ſacrifi„ cant „. Ad Imperatores vero, quod ſpectat, idem Lupus obſervat, a Græcis ad Latinos eundem morem fuiſſe traductum. „ Quidquid ſit (*inquit*) Græci Im„ peratores locum iſtum, etiam thronum ipſo Patriar-
„ chali

" chaii ſublimiorem, tandem omnino invaſerunt. Etiam " Imperatores, Reges, & Principes Latini, ab afflicta " Romana Eccleſia impetrarunt haberi in certis Eccle- " ſiis Canonici, geſtare ornatum Clericalem, ſic in Cho- " ro ſtare & pſallere cum Clericis. Ita de Hugone Ca- " peto, Florentio Craſſo Hollandiæ Comite, Fulcone " Bono Comite Andegavenſi, & Henrico Quarto Impe- " ratore, teſtantur magnum Belgii Chronicon, Rudol- " phus de Diceto, & Hemboldus in Chronico Sclavo- " rum. Et Alexander II. Pontifex Wratislao Bohemiæ " Duci, Epiſcopalis Mitræ, quæ laicæ perſonæ tribui " non conſuevit, uſum diſpenſatorie indulſit, & Gre- " gorius Septimus confirmavit. Pedetentim indulta eſt " plerisque Regibus. Hinc enim Innocentii III. Pon- " tificis vita, publicata per Franciſcum Boſquetum Mon- " tis Peſſuli Epiſcopum, inter Regia ornamenta numerat " *Coronam* & *Mitram*. Eadem via Germanorum Augu- " ſti, Diaconalem Dalmaticam, & Evangelii ſolemniter " ad Primam in Dominicæ Nativitatis nocte Miſſam " cantandi licentiam impetrarunt. At ejuſmodi Cano- " nicum, ſeu Clericum paulatim poſtea excuſſerunt, cæ- " peruntque intra Chorum manere ut laici; eos primum " ſequuta eſt nobilitas, tandemque, Epiſcopis dormitan- " tibus, populus univerſus.

CAPUT IX.

Animadverſio in Canonem XI. Trullanum.

CAnone XI. ſtatuitur, ut *nemo eorum qui in Sacerdotali ordine enumerantur, vel laicus, Judæorum azyma comedat, vel ullam cum eis familiaritatem ineat, vel in morbis accerſat, vel ab eis medicinas accipiat, vel una cum eis in balneis omnino lavetur. Si quis autem hoc facere aggreſſus fuerit, ſi ſit quidem Clericus, deponatur; ſi autem laicus, ſegregetur.* Hactenus recte: verum Theodorus Balſamon, utpote Schiſmaticus, nullam ſibi effugere occaſionem ſinit, calumniandi

Latinos. Hinc ex hoc Trullano Canone, quo Clerici & Laici jubentur, non debere cum Judæis festa celebrare, nec accipere, nec comedere, quæ ab illis fiunt Azyma, nec ab eis medicinam accipere, nec cum eis lavari; quæ omnia fuerant olim per Apostolicum Canonem LXX. & Laodicenos XXXI. XXXII. XXXVII. XXXVIII. constituta; schismatico actus furore progreditur ad Latinos accusandos, qui in Azymis sacrificant. „ Nec dicat „ quispiam (*inquit*) quod illa Azyma vetiti sunt co- „ medere, quæ dantur ab hæreticis, non autem sacri- „ ficium facere per Azyma, vel absolute comedere azy- „ ma; quoniam nos quoque diverso modo azyma co- „ medimus, quæ dicuntur λαγανάβατα. Audiet enim, „ quod non Azyma comedere sit prohibitum, sed per „ Azyma more Judaico festa celebrare. Quod est autem „ majus festum incruento Sacrificio, quod Dominus noster „ Jesus Christus tradidit tempore mortis suæ & festi Pas- „ chalis? Quia autem Sanctis Patribus ne in mentem qui- „ dem venit, nos per Azyma celebraturos, quemadmo- „ dum hoc quoque fit a Judæis, quibus statutum est cum „ agno, & azymis, & lactucis agrestibus, Paschæ fe- „ stum celebrare, ex eo clarum, quod omne festum Ju- „ daicum aboleverint. Propter Latinos; qui cum Azy- „ mis festa celebrant, & propter eos, qui a Judæis vel „ reliquis hæreticis medicamenta accipiunt: omnes enim „ isti segregantur „. Ineptissima adnotatio. Canon de Judæis loquitur, a quibus Azyma accipere Christiani vetantur. De Sacrificio, quod a Christianis Sacerdotibus conficitur, nulla mentio. Quinimo verba ipsa Balsamonis, (quod nempe, *incruentum Sacrificium Dominus noster Jesus Christus tradidit tempore mortis suæ & festi Paschalis*,) convincunt, in Azymis, non in Fermentato traditum fuisse a Christo Domino incruentum Sacrificium: nam in *Festo Paschatis*, panes Fermentati ab omni Judæorum domo prorsus eliminabantur. Sed de Azymo & Fermentato alibi.

CAPUT

CAPUT X.

Animadversio in Canonem XII. Trullanum.

CAnone XII. Episcopi, qui in Libya & Africa, & in aliis locis, cum propriis uxoribus, quas ante Episcopalem ordinationem habuerunt, una habitarent, jubentur, ut omnino ab illis separentur. Recte quidem concludit Balsamon: „ Si Episcopis cum propriis uxo„ ribus habitare non permittitur; multo magis & ipsis „ tamquam uxoribus uti permittitur, sed nec eis cum „ alienis uxoribus habitare conceditur, ut omne offen„ diculum amputetur;„. Verum quum Justinianus Augustus novella 123. vetuerit, Episcopos e conjugatis aut filios habentibus adsumi; hic Trullanus Canon demonstrat, legem ejus a Græcis non fuisse servatam. Neque enim uxoratos ab Episcopatu arcet, sed solas uxores domo separat ab Episcopis maritis. Conjugati enim passim ac filiis stipati Græcorum Presbyteri & Diaconi noluerunt laica lege fieri ad Episcopatum irregulares.

CAPUT XI.

Animadversio in Canones XIV. & XV.

CAnone XIV. statuitur, ut *Presbyter ante 30. annos, non ordinetur, nec Diaconus ante 25. annos, nec Diaconissa ante 40. annos*: & Canone XV. *nec Subdiaconus ante 20. annos*. Eundem in Presbytero & Diacono annum requirit Synodus Neocæsariensis, & Simeon Thessalonicensis in lib. de sacris ordinationibus. Corrigit proinde hic Canon XIV. Trullanus Novellam 123. Justiniani cap. 12. qua dicitur: *Presbyterum minorem triginta quinque annis fieri non permittimus*: & cap. 13. *Subdiaconum fieri non permittimus minorem viginti quinque annis*. Leo autem Sapiens Novella 16. confirmat Trullanum Canonem xv. his verbis, „ Sexta Synodus vice-

„ na-

„ narium Hypodiaconum ordinari posse sancit; huic vero Lex civilis contradicens, viginti annis, quinque „ admetiri jubet. Nos itaque ut sacram Legem sacer „ ordo sequatur, convenire rati, ut ad Hypodiaconatum, qui quidem eo digni sunt, anno ætatis suæ „ vigesimo admittantur, sancimus „. Adeo Justiniani de rebus sacris Novellas etiam Græci contemserunt. Error autem irrepsisse videtur in Scholium Balsamonis ad cap. 28. (1) Tit. 1. Nomocanonis Photii, ubi ait: *Lege igitur xiv. & xv. Canones Concilii Sexti, qui remotioni subjiciunt eos, qui Diaconos, aut Subdiaconos ordinant ante completum vigesimum quintum ætatis ipsorum annum, aut Sacerdotes ante trigesimum annum*. Idem enim ipse Canon XV. à Balsamone laudatus, in Subdiacono requirit *annum vigesimum*, non vigesimum quintum. Quid? quod præscriptam his Trullanis Canonibus ordinandorum ætatem, non modo hodierni Græci passim non observant, sed etiam in Octava Synodo œcumenica, Constantinopolitana Quarta, quæ pro Sancti Ignatii restitutione adversus Photium habita fuit; *Canone Quinto*, aliter constitutum legimus: ut nempe posito quod Subdiaconus ante annum 20. ordinari nequeat, fas sit *Diaconum* anno 22. ordinari, & *Presbyterum anno ætatis vigesimo quinto*. Canonis verba accipe. Postquam definitum est, quod non oporteat de Senatoria dignitate, vel de aliquo laicorum ordine, nuper tonsum eligi vel Episcopum vel Patriarcham suscipi; hunc modum ac rationem ab inferiori ad superiorem ordinem ascendendi tradit his verbis: „ Si vero quis per nullam suspicionem prædictæ concupiscentiæ expectationis, sed „ propter ipsum bonum humilitatis, quæ est circa Christum Jesum, abrenuncians mundo fiat Clericus aut „ Monachus, & omnem gradum Ecclesiasticum transigens, „ per definita nunc tempora irreprehensibilis inventus „ extiterit & probatus, ita ut in Gradu Lectoris annum „ compleat, in Subdiaconi vero duos, sitque Diaconus „ tribus, & Presbyter quatuor annis; bene placuit huic „ San-

(1) Apud Voell. & Justell. p. 849.

„ Sanctæ & universali Synodo eligi hunc & admitti „. Idem Canon (1) Græce sic proponitur. „ Quod si quis „ nulla suspicione dictæ ambitionis, vel honoris spe „ tactus, sed recta honestaque Christi disciplina inductus „ in Clericum aut Monachum attonsus est, perque om- „ nes gradus Ecclesiasticos definitis temporibus vitam „ agendo inculpatam transisse reperiatur, ad Episco- „ patus honorem evehatur, sic, ut in Lectoris munere „ annum, in Subdiaconi duos, in Diaconi tres, & in „ Presbyteri quatuor annos expleat „. Circa Lectoris ætatem, variant apud Græcos Canonica instituta. Justiniani Novella cxxiii. *Lectorem fieri dicit, qui est annorum octo*. At in *Legum Repurgatione*, pro octo annis, *octodecim annorum Lectorem esse debere*, affirmat Balsamon in Schol. ad cap. 28. Tit. 1. Nomocanonis Photii, subditque: „ Debes itaque magis audire quæ in Ba- „ silicis scripta sunt, quam quæ comprehenduntur in li- „ bris, qui ante Repurgationem authoritatem obtinue- „ runt, nunc autem sunt irriti „: Observat tamen in secundo ipsius Scholio: „ Illud autem de ætate Lectorum, „ qua de causa non obtineat, non video. Tametsi enim „ Lex dicat, octodecim annorum Lectorem esse debere, „ insigniuntur tamen hodie Lectorum Clericorum titulo, „ qui sex annorum, & interdum etiam trium tantum- „ modo sunt. *Et post pauca*. Qui vero dicunt, non „ peccari, si Lectores ante completum duodevigesimum „ ætatis suæ annum insigniantur, quod ipsorum Cano- „ nes mentionem non faciant, male dicunt. Ubi enim „ Canones nihil determinant, sequi debemus leges, & „ similia ex similibus decidere „. Relinquamus ergo uti in Basilicorum libro de iis præscriptum est, Lectores, & ad ordines superiores veniamus. Canon octavæ Synodi dicit, *Lectorem annum unum* in suo gradu complere debere, ut ad Subdiaconatum ascendat: Subdiaconum annos duos, ut Diaconus ordinetur: Diaconum annos tres, ut Presbyter initietur: Presbyterum annos quatuor, ut ad Episcopatum provehatur. Juxta hanc igi-

(1) Tom. X. Conc. edit. Ven. p. 875.

igitur fupputationem, quum ætas Lectoribus præfcripta, octodecim annorum fit, Subdiaconorum viginti, Diaconorum 25. Presbyterorum 30.; confequens eft, innovatam fuiffe in Octava Synodo œcumenica ætatis Ordinandorum Legem, itaut quum Subdiaconus juxta præfcriptam legem ordinetur anno ætatis vigefimo; poft annos duos Subdiaconatus, Diaconi ordinentur anno vigefimo fecundo; poft tres annos Diaconatus, Presbyteri ordinentur anno vigefimo qninto; poft quatuor Presbyteratus annos, Epifcopus initiari poffit anno ætatis vigefimo nono. Quæ omnia Canonibus Trullanis XIV. & XV. adverfantur. His adde, quod in eodem ipfo Canone Octavæ Synodi, arbitrio Epifcoporum permittitur definitum tempus abbreviare, hoc eft, ante præftitutos fi non unicuique, faltem Epifcopatus annos, ut fas fit eum ordinare, qui in ordine Clericorum & Monachorum religiofe verfatus fuerit. Latinus textus fic habet: *Circa hos autem* (inquiunt Patres) *qui religiofe morati in ordine Clericorum & Monachorum, digni judicati funt Pontificatus dignitate pariter & honore, prædictum tempus abbreviamus, nimirum fecundum quod Epifcoporum Prælati probaverint, qui per tempora fuerint*. In Græco vero textu: *Pie vero diuque in Clericorum & Monachorum ordine verfatis, tempus ab Epifcopis, qui per tempora fuerint, contrahi poteft*: id quod ad unumquemque ordinem refertur, ita ut liceat Epifcopo in tali cafu unumquemque, five Subdiaconum, five Diaconum, five Presbyrum, vel etiam Epifcopum, ante præfinitos fupra annos ordinare. Cæterum ficuti in Ecclefia Latina, ita & in Græca, poft Trullanam, & poft Octavam Synodum non eft fervata eadem in conferendis facris Ordinibus ætas. Nam in Latina quidem, Clemens Quintus Pontifex Maximus in Synodo Viennenfi, *Subdiaconi ætatem* ad annos octodecim, *Diaconi* ad viginti, *Presbyteri* ad viginti quinque annos contraxit. Præfiniit tandem Tridentina Synodus Subdiaconatui annum 22. Diaconatui 23. & Presbyteratui 25. In Græca autem Ecclefia, religiofiores Epifcopi fervandos fibi Trullanos Canones XIV.

XIV. & XV. dicunt, & factis etiam confirmant; non desunt tamen ex iis, ac præcipue Patriarchæ, & Metropolitani Autocephali, qui definitum tempus abbreviant, alii quidem enormiter, ita ut Presbyteros & Episcopos ab iis ordinatos cernere sit, qui vix annum vigesimum attigerint; alii vero per modicos à præscriptis annos, cujusmodi sunt qui monasticam vitam post annum ætatis decimum sextum profitentur. Et ii quidem se tuentur exemplo priorum quorumdam Episcoporum, Gregorii Thaumaturgi, Athenodori ejus fratris, Athanasii, aliorumque, quos aut in adolescentia, aut in prima juventute, sacris ordinibus, etiam Episcopatu, initiatos, testantur Eusebius, Socrates, Nicephorus Callistus. Sic extra ordinem, nec sine cœlesti monitu S. Theodorus Siceota, postea Anastasiopoleos Episcopus, Presbyter factus est anno ætatis decimo octavo a Theodosio Anastasiopoleos Episcopo, qui hanc illi Canonum veniam fecerat, non aliud, quàm se in Pauli Apostoli vestigia ingressum esse dicens, qui Timotheum adhuc juvenem Episcopali dignitate auxerat. Id anno circiter Christi 589. factum fuisse, hoc est, antequam Trullana vel Octava Synodus celebrata esset, mirum non est: sed quis satis mirari poterit, quod narrant Zonaras ac Cedrenus de Theophylacto Patriarcha Constantinopolitano, quem Romanus Lacapenus parens ejus anno Chr. 933. intrusit Patriarchali Cathedræ annum agentem sextum supra decimum: *id quod* (ut inquiunt) *contra leges Ecclesiasticas erat*; *& Patriarcha sub pædagogis egit*: Hic ipse autem Theophylactus consecratus non est Episcopus, nisi anno ætatis vigesimo quinto, vices interim, & munia Patriarchæ fungente Tryphone. Nimirum, postquam teterrimum Photianum schisma Ecclesiam Græcam fere universam occupavit, Præsules Græci, quando ipsis libitum est, laudatos Canones contra eos, qui non observant, proferunt: quando illos ipsi violant, exemplis priorum Episcoporum sese uti contendunt: de illis proinde recte aptari possunt quæ Adrianus Secundus Pontifex ad Basilium Augustum ejusque filios Constantinum ac

Leonem scribit: *Nobis moris non est, ut pro libitu proprio Paternis sanctionibus abutamur, quemadmodum quibusdam, qui apud vos summa rerum Ecclesiasticarum gubernacula moderantes, tunc Synodorum statuta, vel etiam Apostolicæ Sedis decreta proferunt, quum vel alios lædere, vel juvare cupiunt; & hæc tunc sub silentio tegunt, quando fortasse contra se, vel pro aliis proponerentur.* Hactenus de ætate ordinandorum apud Græcos, quo etiam de argumento videri potest cl. Leo Allatius in Libello inscripto: *De ætate & Interstitiis in collatione ordinum etiam apud Græcos servandis*, edito Romæ an. 1638. à pag. 1. ad 69. Nunc de Interstitiis dicendum est.

CAPUT XII.

De Interstitiis in collatione Ordinum apud Græcos.

Lupus not. in Quintum Octavæ Synodi Œcumenicæ Canonem, per hunc *Interstitia* contra recentiores Græcos probat, inquiens. „ Statuit insuper nova singu„ lorum Ecclesiasticorum Ordinum Interstitia, præser„ tim pro Palatinis recta via citra Episcopatus promis„ sionem aut spem in Clerum aut Monasticam sanctita„ tem adscendentibus, ob nullam in ipsis causam dispen„ sanda. In Subdiaconatu maneri mandat per biennium. „ Ex quo patet, morem à Simeone Thessalonicensi Ar„ chiepiscopo in opere de sacris ordinationibus memo„ ratum, quo Græci Lectori in Diaconum electo dant „ simul Subdiaconatum ac Diaconatum, esse novum, ac „ nostra Synodo posteriorem„. Allatius in laudato Opusculo *De ætate & Interstitiis etiam apud Græcos in Ordinum collatione servandis*, recte quidem à pag. 69. ad 218. Græcos Episcopos monet, ut tam ætatem quàm interstitia juxta Canones observent: recte etiam pag. 214. concludit, inquiens: „ Quum itaque Summi Pontifices man„ dant, ut Græci, Græco ritu ab Episcopo Græco or„ dinentur, non pravas recentiorum consuetudines ap„ probant, sed rectos, ratosque Ecclesiæ Græcæ ritus ad „ amus-

„ amussim præcipiunt observandos. Quare nec temere & „ tumultuose, nullis servatis Interstitiis, nec ante „ legitimam ætatem, quæ a sacris Canonibus cuilibet „ gradui præscribitur, ordinandi sunt „: Hæc, inquam, omnia recte; Verum nihil de ætate affert, præter Trullanos Canones, quibus ætas Subdiaconi ad annum xx. Diaconi ad xxv. Presbyteri ad xxx. præfinitur; nihil de Interstitiis producit, nisi Octavæ Synodi Canonem V. quo jubetur Lector in gradu suo annum complere, Subdiaconus biennium, Diaconus triennium, & Presbyter quadriennium. Quid vero, si quis Clericus aut Monachus usque ad provectam ætatem repertus sit irreprehensibilis, simulque ad sacros Ordines promoveri aut ipse desideret, aut à Superioribus jubeatur, quid, inquam, & quantum Interstitiorum tunc temporis ab uno sacro Ordine ad alium observari debeat, non alium Canonem producit, quam (1) *Sardicensem X.* qui sic habet. „ Hoc „ quoque necessarium existimo, ut cum omni cura & „ diligentia examinetur, ut siquis dives, vel ex foro „ Scholasticus, Episcopus fieri dignus habeatur, non „ prius constituatur, quam Lectoris, & Diaconi, & Presbyteri ministerium peregerit, ut in unoquoque gra„ du, si dignus existimatus fuerit, ad Episcopatus fa„ stigium per progressionem possit ascendere. Habebit „ autem uniuscujusque ordinis gradus, non minimi sci„ licet temporis longitudinem, per quod & fides, & „ morum probitas, & constantia & moderatio possit co„ gnosci, & ipse Divino Sacerdotio dignus existimatus, „ maximum honorem assequetur. Neque enim conve„ nit, neque scientia & bona conversatio hoc recipit, „ ut temere & leviter ad id accedatur, ut Episcopus, „ vel Presbyter, vel Diaconus prompte ac facile con„ stituatur. Sic enim merito Neophytus existimatur, „ quandoquidem Beatissimus Apostolus, qui fuit etiam „ Doctor Gentium, maxime prohibuisse videtur, ne „ celeres fierent (2) constitutiones. Longissimi enim „ temporis probatio, & conversationem & unius cujus-

 „ que

(1) Pag. 89.

(2) Idest, ordinationes.

„ que mores non improbabiliter exprimere poterit „. Profert insuper hunc *Primæ* & *Secundæ* (ut ajunt) Canonem XVII. „ In omnibus boni Ecclesiastici Ordinis „ curam gerentes, hoc quoque definire necessarium du„ ximus, ut nullus deinceps Laicus vel Monachus repen„ te ad Episcopalem altitudinem evehatur; sed in Ec„ clesiasticis gradibus primum examinatus, ita Episco„ palis dignitatis ordinationem suscipiat. Etsi enim huc„ usque quidam ex Monachis vel Laicis, exigente ne„ cessitate, Episcopali honore statim digni facti sunt, „ qui & virtute excellenti fuere, & suam Ecclesiam in „ altum extulere; id tamen quod raro evenit, Ecclesiæ „ legem nequaquam statuentes, decernimus, ut in po„ sterum hoc minime fiat; nisi is qui rite ordinatur, „ per gradus Sacerdotales processerit, in unoquoque Or„ dine tempus præstitutum adimplens „. Hæc vero quum idem Allatius productis aliis Latinorum Patrum, Synodorumque testimoniis, roborasset, concludit, „ Satius „ esse Græcis decreta Concilii Tridentini amplecti; ea„ que sibi servanda demandari, quæ circa hæc duo „ (*ætatem scilicet*, & *Interstitia*) Concilium præ„ scribit „. Atqui Tridentina Synodus de servandis inter Ordines Interstitiis disciplinam sancivit, quæ à Sardicensis Decimo, & Octavæ Synodi Quinto Canonibus non parum recedit. Præsuppositis enim, quæ de ordinandorum ætate præscripserat, de Interstitiis Sess. 23. cap. XI. XIII. & XIV. de Reformat. sic statuit. 1. Ordines Minores sejunctim conferri, & singulos per certa intervalla, nisi aliud Episcopo visum fuerit: *Minores Ordines per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur*. 2. Singulos quoque exerceri in Ecclesia: *Ac in unoquoque munere, juxta præscriptum Episcopi, se exerceant, idque in ea cui adscripti erunt Ecclesia*. 3. Ut gradatim suscipiantur: *Atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætate vitæ meritum & doctrina major accrescat*. 4. Ut iis tantum dentur Ordines minores qui judicantur fore aliquando majoribus idonei: *Quumque hinc ad altiores*

tiores gradus & sacratissima Mysteria sit ingressus: nemo iis initietur, quem non scientiæ spes majoribus Ordinibus dignum ostendat. 5. Nequis Subdiaconatu donetur, nisi post annum à susceptione ultimi Ordinis minoris: *Hi non nisi post annum à susceptione postremi gradus Minorum Ordinum ad sacros Ordines promoveantur, nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat*. 6. Nequis ad Diaconatum provehatur, nisi expleto in Subdiaconatus officiis anni curriculo: *Promoti ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur*. 7. Nequis ordinetur Presbyter, nisi per annum Diaconi munera obierit: *Hi sunt, qui non modo in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ad Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraverint*. Observandum tamen est, per *Interstitia*, quæ inter quemque minorem Ordinem servari debent, intelligi spatium, quod à quatuor temporibus ad quatuor alia proxima tempora excurrit: in quibus tamen, uti Synodus statuit, Episcopus dispensare potest, ut vel duos, vel etiam omnes quatuor Minores Ordines una simul conferantur. Per *annum* vero, intelligi spatium, quod fluit à quatuor temporibus autumnalibus, e. g., ad alia quatuor tempora autumnalia, quamvis occurrant, antequam integer annus Solaris expletus sit: in quibus etiam Episcopo fas est ob Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem dispensare, ita ut, salva singulis sacris Ordinibus suscipiendis præscripta à Synodo ætate, Subdiaconatus in primis quatuor temporibus, Diaconatus in proximis secundis, & Presbyteratus in subsequentibus tertiis conferri possit. Quemadmodum autem Latino Episcopo Sacrosancta Tridentina Synodus concessit, ut salva ætate, & salvis Interstitiis, ea qua supra dictum est ratione, præfixum tempus abbreviare possit; ita etiam Octava Synodus permisit, ut *pie diuque in Clericorum & Monachorum Ordine versatis, tempus ob Episcopis, qui eo tempore fuerint, contrahi liceat*.

Nico-

Nicolaus Comnenus Papadopoli in Prænotionibus Mystagogicis *Responso* 2. *sect.* 9. a num. 1. usque ad 12. refert ac refellit *Maximi Margunii*, Schismatici Græci, pravam circa Interstitia sententiam. *Is enim Photiano furore in orthodoxos Collegii Græcorum de Urbe Alumnos abreptus, conqueritur, quod quidam, imo omnes qui Latinis consentiunt, derident ordinationes nostras, quod statim e laica conditione paucis diebus initiare Sacerdotem atque Antistitem fas esse dicimus.* Et ad errorem suum propugnandum profert exempla quorundam, qui vel ex laico statim ad Episcopatum assumti fuere, vel una eademque die, sacros Ordines omnes suscepere; Cypriani nempe, Epiphanii, Ephræmi, Theodori Siceotæ, Arsenii, Gregorii, Gennadii, Tarasii, & Nicephori Patriarcharum Constantinopolitanorum. Deinde idem Papadopoli num. XIII. producit varias Græcorum circa tempus Interstitiorum sententias, inquiens: *Primo igitur damnamus Jurisconsulti* (lib. 3. Basilic. tit. 1. cap. 7.) *sententiam docentis, in quolibet Ordine per quindecim annorum spatium immorandum, quippe severam nimis, ac perparum utilem. Eandem Balsamon* (in Canon. 17. Synod. Constantinop.) *futiliorem ob causam rejicit. Secundo, rejiciendam censemus Justiniani Cæsaris* (Novell. 22.) *decisionem, qui ausus rebus Ecclesiasticis legem ferre, decrevit, superfuturam intervallis ordinum trium mensium intercapedinem: cui solita erga Principes adulatione consentit Balsamon* (In Nomocanon. ad eam Novell.) *adstipulaturque simia Balsamonis Macarius* (in collect. 1. Canon. cap. 161.) *Hieromonachus. Tertio, non admodum tutam existimamus opinionem Alexii Aristeni* (in Nomocan. ad 3. Canon. Nicæn. 1.) *suffecturam annum integrum moræ unicuique Ordini: quamvis enim, quæ docet Alexius ante Balsamonem, consonent Latinis decretis, præsertimque Concilio Tridentino* (Sess. 23. de Reform. cap. 12.) *ac proinde videantur æquissima, tamen ubi Jus Græcum est, & quidem Ecclesiæ nostræ latum ab œcumenica Synodo in Græcia, & pro Græcia, hunc præcipue ob causam celebrata, ei standum est.* Itaque

que num. XIII. standum esse affirmat Canoni Quinto Synodi Constantinopolitanæ ultimæ, quæ inter Œcumenicas Octava est, sic (1) statuenti: *Neminem ex ordine Senatorio & laico gradu, recens eo dumtaxat animo & consilio in Clericum vel Monachum attonsum, ut Episcopi vel Patriarchæ dignitatem, assequatur, honoris gradum oportere conscendere, etiamsi in unoquoque gradu divini Sacerdotii longiori tempore versatus probetur. Neque enim pietatis causa, sed ambitionis attonsus est. Quod si quis nulla suspicione ambitionis, vel honoris spe tactus, sed recta honestaque Christi disciplina inductus, in Clericum vel Monachum attonsus est, perque omnes gradus Ecclesiasticos definitis temporibus vitam agendo inculpatam transisse reperiatur, ad Episcopatus honorem evehatur, ita ut in Lectoris munere annum, in Subdiaconi duos, in Diaconi tres, in Sacerdotis quatuor annos expleat. Pie vero, diuque in Clericorum vel Monachorum ordine versatis, tempus ab Episcopis, qui per tempora fuerint, contrahi potest. Si quis præter hanc Sanctionem ad supremum Episcopatus honorem provectus fuerit, rejiciatur.* Hinc num. XIV. vir doctus colligit duo statuenda: *alterum, ut ex regula Juris agenti Episcopo plerumque non liceat stata per œcumenicam Synodum intervalla corripere: alterum, ut aliquando eidem liceat pro re, pro conditione hominum, pro causa, severitatis canonicæ aliquid indulgere, sive potius remittere, ita tamen, ut semper præ oculis habeat hanc Regulam, quæ jubet, sive melius permittit indulgentiam erga* τὺς εὐλαβῶς χρονίσαντας, diu pie versatos, *ne nimia clementia, causæ, ob quam lex ejusmodi lata est, non sine damno Ecclesiæ obsit. Est autem ea causa, quam ab initio proposuimus, ut rei Ecclesiasticæ ignarus ad sacra non admittatur: qua causa cessante, fas erit ei manus ad Sacerdotium, vel Infulas imponere, qui contractiore temporis spatio minores gradus usurpavit. Scilicet ejus potestatem faciente sacratissima Synodo, quæ jure diutiora nostris intervalla con-*

(1) Ex interpretatione Latina Papadopoli; sed vide eam, quæ supra tradita est a nobis versionem.

constituit, quam Tridentina Latinis. Etenim res Ecclesiasticæ Latinæ, quamvis ubique sanctimoniam, moresque ab Apostolis traditos referant, simplicitatem tamen sacram amant. Quare Latinam Ecclesiam Jacheli (Judic. 4.) *fortissimæ fœminæ comparabimus, quæ cultus ornatusque secura simplici clavo Sisaram conficit. At Græcorum Ecclesiastica res, & ipsa maxime pia, atque religiosa, traditarumque vel ab Apostolis, vel a Patribus ceremoniarum tenacissima, ornatum, & elegantiam maluit, tanta ubique cultus diligentia, ut rite comparanda sit formosæ Juditæ* (Judith. c. 7.) *pari fortitudinis ac pulchritudinis laude de Olopherne triumphanti. Quo fit, ut, quum Latina sacra facilius addiscantur, Græca difficilius; & in illis numerus ipse ac ratio, minoris ad notitiam spatii tempus petat; nobis infinita rerum congeries, minuta, prolixa, modusque peragendarum sacrarum precum plerumque memoriter, plus temporis impendendum edicit. Quod sane, nisi quid contra ratio suadeat, accurate retinendum censemus, retentumque laudamus, quidquid contra ogganiat Marguniu*s.

Hæc sapientissime Nicolaus Comnenus Papadopoli de Græcis Orthodoxis. Sed audiamus, quæ Ordinum Intervalla servarint, observandaque statuant, Photius, Photiique asseclæ. Nicetas Paphlago, qui & David Dabirorum in Paphlagonia Episcopus, in Vita Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani de Photii inauguratione sic scribit. *Sex non amplius dies, manibus hominum initiatus, concupitam Ecclesiæ Cathedram invasit: eratque vere cernere, ut fertur adagio, extemporalem fictitiumque seu personatum sanctum. Nam primo die Monachus ex laico, altero Lector, tertio Hypodiaconus, tum Diaconus quarto: tum Presbyter quinto: sexto denique, qui fuit Christi natalium, & ipsum sacrum conscendit solium, & pacem populo, nihil vera pace dignum cogitans, nunciavit.* Theodorus Balsamon Not. in Canonem 17. Synodi Constantinopolitanæ quæ Prima & Secunda dicitur, quum dixisset, non debere quempiam ad Episcopatum provehi, nisi omnes prius Ordines Ecclesiasticos,

fticos, præstituto & sufficienti unicuique Ordini tempore pervaserit: subjungit: *Quia autem sæpe fuit dubitatum, quantum est tempus præstitutum, quod Canone declaratur*; relatis rejectisque aliorum sententiis, quorum nonnulli indefinite *non modicum tempus* in unoquoque ordine *transactum*: alii determinate aut annos xv. præstitutum tempus esse, aut transactis in Clericatu non minus tribus mensibus ad Episcopatum evehi posse asserebant; hanc Balsamon sequitur, inquiens: *Quoniam præstantissimus Theologus magnus in Orationibus de Sacerdotio dicit, Sacerdotem septem diebus perfici, debemus nos quoque, si non plus, certe necessario id ipsum tempus in unoquoque gradu observare*. Et infra. *Et ideo confugio ad id, quod a Sancto patre nostro Gregorio Theologo de Sacerdotum perfectione scriptum est, & dico, necessario per septem dies uniuscujusque gradus fieri ordinationem; & eo magis, quod etiam non scripta Ecclesiastica consuetudo, hoc suscepto, sic Graduum Ordinationes facit*. Sed hanc Balsamonis opinionem stolidissimam esse, & præter Sancti Gregorii mentem, ostendit Allatius a pag. 109. Sanctus enim Gregorius de Sacerdote, qui more Judæorum, per septem dies consecrabatur, juxta illud Exod. 26. *septem diebus consecrabis manus eorum*, loquitur: Balsamon, & alii ad Sacerdotium Christianum perperam transferunt, quasi idem mos consecrandi Sacerdotes Christianis vigeat, qui a Deo Moysi præscriptus fuit. Præterea in Interstitiis servandis, sunt Leges scriptæ & Canones Synodales: nec in tanta decretorum copia scriptum aliquod est, quod consuetudinem comprobet, Leges & Canones infirmet. Non recte itaque Balsamon septenario illo suo numero rem de qua quæritur, concludit. Fortasse allucinationis seu prætensæ consuetudinis causam idem Balsamon exinde hausit, quod apud Græcos in more positum esset, ut ordinatus Sacerdos, per septem sequentes dies unacum ordinante Altari inserviat, quemadmodum Simeon Thessalonicensis scribit: *Et per septem dies continuo cum Sacerdote ministrat, tum propter donorum Spiritus Sancti*

dignitatem, tum ut in opere assuescat, tum ne divinam actionem interrumpi contingat hac hebdomada, quæ denotat præsentem nostram vitam ad modum hebdomadæ transeuntem. Et infra. *Ad septimum usque diem quotidie celebrans, sicut præscriptum est, ut & in opere consuescat, & Sacerdotii operatio in sacrorum hebdomada, per quam præsens vitæ institutum dirigitur, non interrumpatur*.

Ceterum recentiores Græci, facta sibi ab œcumenica Synodo temporis intervallorum cum iis, qui pie diuque in Clericatu vel Monachatu versati sunt, contrahendi potestate utentes, tribus ut plurimum Dominicis diebus ordines conferunt: prima scilicet Dominica Subdiaconatum, altera consequente Diaconatum, tertia Presbyteratum: & aliquando duabus Dominicis rem absolvunt: in secunda nempe Presbyterum ordinantes, & in prima Subdiaconum simul & Diaconum, quemadmodum & supra ex Simeone Thessalonicensi audivimus, & Romæ in Græca S. Athanasii Ecclesia ab Episcopo, sacris Græcorum ordinationibus peragendis a Sede Apostolica deputato, fieri videmus, ut Subdiaconatus unacum Diaconatu conferatur.

CAPUT XIII.

De Subdiaconatus Ordine quid apud Græcos recentiores statuatur.

Si quæris causam, cur hæc consuetudo, sacrosanctis ceterorum Ecclesiæ Legibus (uti videtur) contraria, apud Græcos tamen obrepserit, obtinueritque (Romæ certe si non probata est, saltem dissimulatur, & impune procedit:) hanc esse existimo. Circa Græcorum Subdiaconatum duæ res communiter a Doctoribus statuuntur. Primum quidem, quod Subdiaconatus non nisi in Minorum Ordinum classe a Græcis habetur: & revera non fuerat olim Ordo Sacer neque apud Latinos usque ad tempora Urbani II. aut, ut verius dicam, Innocentii III. Romani

mani Pontificis. Alterum vero, quod apud ipsos Græcos Lex est Subdiaconis imposita, ut post Ordinationem vetentur uxores ducere.

Quoad Primum, Thomasinus de vetere & nova Ecclesiæ disciplina Par. 1. lib. 2. cap. 30. num. 3. ex Concilio Laodiceno concludit: *Ita perspicuum est Subdiaconatum in Minorum Ordinum classem rejici*. Et cap. 33. num. 4. *Subdiaconos ab Ecclesia institutos fuisse, fidenter pronunciat Petrus Lombardus magister sententiarum lib. 4. dist. 24.* „ Levitas ab Apostolis ordinatos legimus, Sub„ diaconos vero & Acolythos procedente tempore Eccle„ sia sibi constituit „: *Luculenter etiam S. Thomas Aquinas docet primigeniæ Ecclesiæ tres dumtaxat fuisse Ordines, Episcopos, Presbyteros & Ministros sive Diaconos, quo nomine Clerici inferiores omnes continentur*: (In cap. 3. Epist. 1. ad Timoth.) *In primitiva enim Ecclesia solum erant tres Ordines, ut dicit Dionysius, scilicet, Episcoporum, Presbyterorum, & Ministrorum, & non dividebantur per diversos gradus, sed omnia erant in uno Ordine, propter paucitatem Ministrorum, & propter novitatem Ecclesiæ*. Et post pauca, num. 6. *Huc non invita flectuntur verba Concilii Tridentini* (Sess. 23. Canon. 6.) *declarantis, esse in Ecclesia Catholica cœlestem Hierarchiam, ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris constitutam*: „ Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ „ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris „. Juveninus Differt. IX. de Ordinibus quæst. 6. de Subdiaconatu cap. 1. respondet: *Subdiaconatum his etiam temporibus apud Græcos Minoribus Ordinibus accenseri*. Et paulo superius asserit, *nullum ex antiquis docuisse, Subdiaconatum esse ex institutione divina: e contra, plures asseruere eum humanæ esse institutionis*: *Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum* (inquit Urbanus Papa II. in Concilio Beneventano, apud Ivonem Decreti Par. V. cap. 72.) *Hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia; super his solis præceptum Apostolicum habemus. Subdiaconos vero, quia & ipsi Altaribus ministrant, opportunitate exigente concedimus*.

 Gra-

Gratianus hæc in eundem ſcopum ſcribit diſt. 21. *Levitas autem ab Apoſtolis ordinatos legimus : Subdiaconos procedente tempore Eccleſia ſibi conſtituit .* Iiſdem omnino verbis Petrus Lombardus lib. 4. diſt. 24. utitur. Ita & alii Scriptores. Quod autem Subdiaconatus etiam apud Latinos uſque ad Urbanum II. & Innocentium III. non fuerit Ordo Sacer, probant laudata ab Juvenino Urbani II. verba, quæ trunca leguntur in editionibus Conciliorum, at integra illæſaque habentur in Decreto Ivonis Carnotenſis. Vetuit ſiquidem Urbanus PP. in Concilio Beneventano anni 1031. Epiſcopos eligi, niſi ex iis qui Sacris Ordinibus initiati jam eſſent, ideſt, ex Presbyteris & Diaconis, qui primitivæ Eccleſiæ Ordines ſunt : *Nullus* (inquiens) *in Epiſcopatum eligatur, niſi in Sacris Ordinibus religioſe vivens fuerit inventus. Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum. Hos ſiquidem ſolos primitiva legitur habuiſſe Eccleſia.* Subjungit tamen; ſi ingruat neceſſitas, diſpenſetque vel Papa, vel Metropolitanus, permittitur, ut ex Subdiaconis eligatur Epiſcopus : *Subdiaconos vero quia & ipſi Altaribus miniſtrant, opportunitate exigente concedimus, ſi tamen ſpectatæ ſint religionis & ſcientiæ. Quod ipſum non ſine Romani Pontificis, vel Metropolitani licentia fieri concedimus.* Hoc Urbani Papæ Decretum Innocentius III. Decretalibus ſuis intexuit Cap. *A multis*, de ætat. & qualit. præficiendor. atque in eo laborat, ut ſuadeat Subdiaconatum ab Urbano II. in Sacros Ordines relatum fuiſſe; quod & ex ejus verbis probare nititur : *Quum hodie Subdiaconatus inter Sacros Ordines computetur, ſicut Urbanus Papa II. ſub his verbis expreſſit : Qui in Sacris Ordinibus, Presbyteratu, Diaconatu, & Subdiaconatu ſunt poſiti.* Et tamen (verba hæc ſunt Thomaſini Par. 1. lib. 2. cap. 33. num. 2. & ſeq.) diſertis verbis contra videntur dicere, & aliud ſignificare, cum Urbanus II. tum Beneventanum Concilium : *Sacros Ordines, Presbyteratum dicimus & Diaconatum. Hos ſiquidem ſolos primitiva Eccleſia legitur habuiſſe.* Deinde quum non permittatur, niſi ex indulgentia, *ut*

ex Subdiaconis Episcopi eligantur, dilucidum est, eos in Minoribus adhuc Ordinibus numeratos fuisse: si enim Sacris in Ordinibus Subdiaconatus fuisset locatus, nihil opus fuisset dispensatione, ut ex Subdiacono Episcopus quis eligeretur. Non alius ergo vere, quam Innocentius III. ipse Subdiaconatum in Ordines Sacros & majores retulit, quando ibidem sanxit, ut ne posthac ulla Canonum venia & dispensatione opus esset, quo Episcopi ex Subdiaconis deligerentur: *Statuimus, ut Subdiaconus in Episcopum valeat libere eligi, sicut Diaconus vel Sacerdos*. Constante enim & intacta prisca lege, ut ne Episcopi nisi ex Ordinibus Sacris eligerentur; jubente autem Innocentio III. ut tam libere ex Subdiaconis eligerentur, quam ex Diaconis & Presbyteris: illud nimirum hinc existit, Subdiaconatum in classem referri Majorum Ordinum. Aucupatur autem Innocentius fundamenta aliqua suæ huic Constitutioni ex Urbano Secundo, & ex antiquis moribus, quia hi mores sunt Ecclesiæ, antiquitati adhærescere, & non aliud, quam eam vel sequi omnino; vel sequendo perpolire. Præluserat enim Urbanus Innocentio, dum ex venia fieri sineret, quod nec ex venia ante fiebat, quodque libere fieri postmodum passus est Innocentius. In alia quoque Decretali (*cap. Miramur, de servis non ordinandis*) Subdiaconis communicat idem Innocentius III. illam Diaconorum prærogativam, qua concessum erat, ut etiam sine dominorum consensu ordinati Diaconi, in servitutem revocari, ac retrudi non possent. Non gaudebant ante Subdiaconi eo privilegio, gaudere posthac voluit Innocentius: *De Subdiaconali ordine, quia de eo non fit mentio in Patrum statutis expresse, videtur nobis, quod & is cum Diaconali gradu, privilegio gaudet eodem*. Scitissime addit idem Pontifex ibidem, tametsi in sacris Ordinibus non numeraretur Subdiaconatus inter primæva florentis Ecclesiæ sæcula: numeratum tamen in iis fuisse Constitutionibus Gregorii & Urbani Pontificum Romanorum: *Nam licet Sacer Ordo non reputaretur in Ecclesia primitiva, tamen à Constitutio-*

tutione Gregorii atque Urbani secundum moderna tempora Sacer gradus esse minime dubitatur. Gregorius hic magnus est, qui vigere & executioni mandari jussit decretum anterius Leonis Magni de Subdiaconorum Celibatu. At non eo in Sacrorum Ordinum culmen assurrexit Subdiaconatus. Urbanum II. & Beneventanum Concilium non præterisset illa Subdiaconatus in Sacros Ordines ante quingentos annos facta provectio. Non vetitum ab iis esset, Episcopum ex Subdiaconis assumi, nisi gravi ex necessitate, & facta Canonum venia. Mentem ergo & consilium, verbaque Innocentii III. ita necessario interpretamur, ut dicat, nihil à se novi constitutum esse; nihil quo moveri quisquam debeat, ubi concessit & ex Subdiaconis libere Episcopos eligi, & Diaconorum privilegio adversus servitutes muniri etiam Subdiaconos; quum harum Constitutionum suarum fundamenta jam olim posuissent, tum Gregorius Magnus, Subdiaconis eidem continentiæ vinculo innexis cum Presbyteris Diaconisque; tum Urbanus II. concesso, ut ex indulgentia Subdiaconi in Episcopos deligi possent, perinde ut Diaconi Presbyterique, jure communi poterant. Hactenus Thomasinus de Subdiaconatu apud Græcos in Minorum Ordinum classe adhuc constituto, & apud Latinos ad Sacrum Ordinem perinde ac Presbyteratus & Diaconatus, ab Innocentio III. Papa evecto.

Ad Secundum quod spectat, Canones jubent, nequis post ordinationem suam in Subdiaconum, uxorem ducat. Apostolicus XXVI. „ Ex iis, qui non ducta uxo„ re ad Clerum promoti sunt, jubemus, si velint, uxo„ rem ducere, Lectores & Cantores solos „. Balsamon in hunc Canonem „ Ante ordinationem permittitur „ omnibus uxorem ducere, & ita eos ordinari Subdia„ conos, Diaconos, & Presbyteros: post ordinationem „ vero, solis Lectoribus & Cantoribus uxorem ducere „ concessum est „. Zonaras in eumdem Canonem: „ Pre„ sbyteri quidem & Diaconi, & Hypodiaconi ante or„ dinationem interrogantur, an continenter vivere ve„ lint; & si quidem pollicentur hoc, ordinantur; si

„ minus

" minus, ante ordinationem venire permittuntur ad nu-
" ptias; post nuptias autem, ad ministerium deligun-
" tur. Post ordinationem vero si prædicti uxores ac-
" cipiant, à ministerio removentur. Solis autem Le-
" ctoribus & Cantoribus, etiam postquam sunt in Cle-
" rum delecti, matrimonium contrahere licet, in suo-
" que statu proprio manere ". A Subdiaconatu inclusi-
ve, Canon vetat, post ordinationem uxores duci. Contra, Ancyranus Canon X. permittit Conjugium Diacono, si ante ordinationem protestatus fuerit, se velle uxorem ducere: " Quicumque Diaconi constituti, in
" ipsa ordinatione protestati sunt & dixerunt, oporte-
" re se uxores ducere, quum non possint sic manere,
" ii, si uxorem postea duxerint, sint in ministerio, eo
" quod hoc sit illis ab Episcopo concessum. Siqui au-
" tem hoc silentio præterito, & in ordinatione ut ita
" manerent suscepti sunt, postea autem ad matrimo-
" nium venerunt, ii à Diaconatu cessent ". Aut hic Canon supponit, Subdiaconis tunc temporis, æque ac Lectoribus & Cantoribus, concessum fuisse, etiam post ordinationem, matrimonium, quippe quia Subdiaconatus in Minorum Ordinum numero censebatur; aut potius emendandus est ex Apostolico Canone, quemadmodum Græci Canonistæ volunt. Balsamon: *Hunc Canonem* (inquit) *ne sequaris, qui definit Diaconos posse cum mulieribus matrimonio conjungi, postquam ordinati fuerint: quando, dum ordinarentur, testificati sunt, idest, dixerunt suis Episcopis, necesse esse ut ad matrimonium veniant, & veluti permissionem acceperunt. Sive enim hoc prædixerint, sive silentio præterierint, qui ordinantur, non permittetur eis, ut post ordinationem cum mulieribus conjungantur: Sextus enim Canon Synodi in Trullo, deponendos decernit Presbyteros & Diaconos & Subdiaconos, qui post ordinationem matrimonium contraxerint. Quod sit autem contra Canones, nec ex permissione Episcopali, nec ex eo tantum quod tacuerint, concedetur, ut quod consistere nequit. Lege etiam Sextam Novellam Imperatoris Domini Leonis Sapientis, quæ dicit, quod*

quod etiamsi ex consuetudine non scripta potestatem habeant ii, qui sunt Sacrati, intra biennium post ordinationem præfinitum, ducendi uxores legitimas; hoc tamen, ut à Canonibus prohibitum, observari non debet. In eandem sententiam Zonaras: *Quicumque* (inquit) *dum Diaconi constituerentur, hoc est, quo tempore Diaconatu initiandi fuerant, uxorem sibi necessario ducendam esse, nec Virginitatem à se coli posse, testati, hoc est, aperte, quasi adhibitis etiam testibus, professi sunt, si quam sibi mulierem post susceptum ordinem matrimonii jure copulaverint, ministerio, hoc est a Diaconatu nequaquam arcendos esse Canon decernit. Videtur iis siquidem obeundi post Ordinem susceptum matrimonii ab Episcopo facultas permissa. Siqui vero dum initiandi forent, siluere, eoque proinde silentio castimoniam condixere (nam hic quoque assensum taciturnitas indicat) eos, si uxorem postea duxerint, à ministerio cessare jubet. Atque hæc quidem hujus Canonis decreta sancita. Sanctorum vero Apostolorum vigesimo sexto Canone, Lectoribus solis & Cantoribus, postquam in Clerum lecti fuerint, matrimonia inire permissum. Et hunc Apostolicam Canonem secuta Sexta Synodus Canone Sexto, nulli Presbytero, Diacono, aut Hypodiacono, post susceptum Ordinem, uxorem ducendi facultatem esse decernit; ac quicumque Canoni non obtemperaverit, depositione mulctari jubet. Nuptias porro si velint, antequam initientur, celebrandi potestatem facit. Quum igitur sibi invicem hi Canones manifesto adversantur, Sextæ Synodi Canon, qui & posterior fuit, & magis cum Apostolico Canone consentit, servari debet. Nec enim unquam Sacerdoti, aut Diacono, qui uxorem post susceptos Ordines duxerit, aut dignitatem suam retinendi, aut sacra ministeria obeundi facultas erit*. Ita & Aristenus: *Hic Canon statuit, eum, qui ante ordinationem Episcopo protestatus fuit, se non posse celibem agere, sed velle matrimonii communionem inire, non prohiberi etiam post ordinationem matrimonium inire, & in eodem etiam ministerio & honore adhuc permanere. Eum autem, qui siluit, & in ordinatione ut celebs*

celebs maneret, susceptus est, a Diaconatu cessare, si postea matrimonii lege mulieri conjunctus fuerit. Sed huic Canoni opponitur Sextus Sextæ Synodi Canon, non omnino ei, qui celebs ad Hypodiaconi, aut Diaconi, aut Presbyteri gradum venit, concedens matrimonio sibi feminam conjungere, sed eum qui hoc ausus fuerit, deponi jubens. Et vim retinet ille Canon: sed hic in desuetudinem abiit. Ambigua sunt Balsamonis & Zonaræ verba. Hi quidem post ordinationem, *Hypodiacono*, *Diacono*, & *Presbytero* negant ullam esse facultatem matrimonii ducendi; sed, dum de his tribus Ordinibus dicunt: *nuptias porro si velint, antequam initientur, celebrandi potestatem facit*, (*Sextus nempe Trullanus Canon*) &: *Ante ordinationem permittitur omnibus uxorem ducere, & ita eos ordinari Subdiaconos, Diaconos, & Presbyteros:* dum hæc, inquam, dicunt, videntur singulis Subdiaconis, Diaconis, & Presbyteris permittere conjugium, antequam initientur, ita ut Subdiaconus v. g. qui Celebs ordinatus est, si ad Diaconatum promoveri velit, & antequam ordinationem Diaconatus suscipiat, uxorem ducat, vel si Diaconus etiam Celebs ordinatus sit, & priusquam ad Presbyteratum provehatur, matrimonium ineat, id illi ex Canone permittatur. Quod est contra Ecclesiæ mores, & contra ipsum, quem laudant, Apostolicum Canonem, qui solis Lectoribus & Cantoribus uxores ducendi potestatem & ante & post ordinationem concedit. Hoc ipsum videntur concedere ex Canone Sexto Trullano, qui sic habet. „ Quoniam in Apostolicis Canonibus dictum est, eorum, qui non ducta uxore in Clerum promoventur, solos Lectores & Cantores uxorem posse ducere: & nos hoc servantes, decernimus, ut deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero, post sui ordinationem, conjugium contrahere liceat. Si autem fuerit hoc ausus facere, deponatur. Siquis autem eorum, qui in Clerum accedunt, velit lege matrimonii mulieri conjungi, antequam Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, hoc faciat „. Satis fuisset dicere de Sub-

diacono, ut, si velit, antequam ordinetur, uxorem ducat. Postquam autem Hypodiaconus ordinatus jam esset, & uxorem nondum duxisset, quid attinebat subjungere de *Diacono*, & *Presbytero*, ut si velit matrimonii lege uxorem ducere, *antequam Diaconus, vel Presbyter ordinetur*, *hoc faciat*? Igitur aut Trullanus Canon de solo Subdiacono loqui debuerat; aut Trullani Patres in eam sententiam concessere, quam Balsamon & Zonaras tradunt: nimirum, ut & Diacono, & Presbytero ante ordinationem fas esse dicant matrimonium inire. Balsamon in Sextum Trullanum Canonem: „ Vigesimus sextus Canon Apostolicus decernit, ut soli Lectores & „ Cantores legitima matrimonia contrahant. De aliis „ autem Clericis nihil dicit. Et propterea eorum do„ ctrinam Sancti Patres consequenter extendentes, hic „ quidem Lectores & Cantores uxores ducere posse de„ cernunt; nullum autem alium præter hos, sive Hypo„ diaconum, sive Diaconum, sive Presbyterum, post „ ordinutionem, uxorem accipere, vel propter Cano„ nis transgressionem deponi „. Zonaras in eumdem Canonem. „ Apostolico Canone vigesimo sexto, cujus hoc „ loco Patres auctoritatem secuti, decretum hoc edi„ dere, hæc eadem constituta reperias. Ne cuiquam „ igitur, inquiunt, ubi semel in Clerum est cooptatus, „ præter eos, qui solis Cantorum aut Lectorum Ordi„ nibus initiati sunt, uxorem postea ducere ullo modo „ liceat. Presbyteris autem, Diaconis, & Hypodiaco„ nis etiam nullo modo. Iis enim ante ordinationem „ uxores ducere permittit Canon, post ordinationem au„ tem abstinere mandat, vel ad matrimonium se con„ vertens deponi. *Aristinus similiter*. Decimus qui„ dem Synodi Ancyranæ Canon jubet eum, qui Presby„ teri aut Diaconi gradum est suscepturus, & (1) in eo „ suscipiendo antea testatus est se non posse innuptum „ manere, sed velle uxorem ducere, etiam post ordi„ natio-

(1) Beveregius p. 163. *Et cum eum susceperit*. Grece: ἐν τῷ γίνεσθαι:

„ nationem matrimonium inire & in proprio manere „ ministerio. Præsens autem Canon (*Trullanus Sextus*) „ istum evertit Canonem, & omnino prohibet, Presbyterum, Diaconum, aut Hypodiaconum, post ordinationem, feminam sibi matrimonio conjungere, „ vigesimum sextum Canonem Apostolicum sequens, & „ decernit, eum qui post ordinationem hoc facere ausus fuerit, deponi, cuique concedens libertatem, ante ordinationem lege matrimoniali se feminæ conjungendi: διδοὺς ἄδειαν ἑκάστῳ πρὸ τῆς χειροτονίας γαμικῷ νόμῳ συνάπτεσθαι γυναικί. Sed ab æqui verique orbita vehementer aberrant, tam Trullani Patres, quam antedicti Canonistæ Græci, dum *unicuique*, Subdiacono scilicet, Diacono, & Presbytero nuptias *permittunt ante ordinationem*: semel enim suscepto, si non Subdiaconatu (de quo mox dicam) saltem *Diaconatu*, nulla ratione integrum est *Presbytero*, antequam ordinetur, uxorem ducere, quemadmodum exponit in scripta ad Joannem Prætoriorum Præfectum lege Novella Justinianus (lib. 1. Cod. tit. 3. cap. 44.) *Siquis inter Clericos, ultra Lectorem aut Cantorem dicimus, omnino contraxerit nuptias, hunc ex nostra Constitutione cadere Sacerdotio constituimus atque volumus*. Hanc Justiniani Novellam Photius in Nomocanone Tit. IX. cap. 29. in hæc verba contrahit: *Si Presbyter, aut Diaconus, aut Hypodiaconus nuptias contraxerit, Canonibus tenetur, qui non minus valent, quàm Leges, & Sacerdotio excidit. Liberi autem, tamquam ex illicitis nuptiis nati, neque naturales neque nothi sunt, & neque ex donatione, successione, fido debito, aut aliorum obligatione, quicquam percipiunt à patribus suis, sed neque matres ipsorum: verum illa capit Ecclesia, in qua illi deservierunt*. Balsamon not. in eandem Justinianeam Constitutionem: *Nota de iis, qui à sacris Ordinibus exciderunt, & matrimonio juncti sunt mulieribus, & liberos genuerunt, non permitti eos hæreditatem cernere, neque omnino posse liberos ejusmodi vel legitimos eorum vel naturales filios appellari, aut ulla ratione quicquam ejusmodi bonorum ad eos perveni-*

re, vel etiam ad matres illorum: sed facultates quasvis illorum, Ecclesias vel Clericorum cœtus percipere. Eos vero qui tale quid ausi fuerint, postquam Sacris Ordinibus abdicati fuerint, non posse ad aliquam secularem provehi dignitatem aut ad ordinem militarem; sed toto vitæ suæ tempore privatos degere. Quo vero pacto fiat, ut hoc minime servetur, ignoro. Addit ibidem Photius ex Novella 123. Justiniani cap. 24. *Qui celibem ordinat, interrogato illum, an sine legitima uxore caste vivere possit. Qui vero tempore ordinationis, Diacono post Ordinationem contrahere permiserit, ab Episcopatu ejicitur. Porro Presbyter, aut Diaconus, aut Hypodiaconus, qui post ordinationem matrimonium contrahit, è Clero ejicitur, & cum rebus suis, Curiæ civitatis, in qua Clericus erat, traditur*. Balsamon. *Loquitur de eo, quod ordinandi interrogentur, an caste vivere possint, & de Sacerdotibus nuptias contrahentibus, & Lectoribus nuptias iterantibus, quæcumque à Patriarcha fusius comprehensa sunt*. Ignorare se dicit Balsamon, *quo pacto fiat, ut hoc minime servetur*. Etsi enim Lex Justinianea à sacris ordinibus excidere, illegitimis eorum nuptiis declaratis, Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos jusserit, qui nuptias contraxerint: Trullani tamen Patres Canone 3. pœnam iis impositam moderantes declararunt, *post ordinationem uni nefarie matrimonio junctos Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos, breve aliquod tempus a sacro ministerio remotos & punitos, ad proprios iterum gradus restitui, ac eorum nefario manifeste dissoluto conjugio, nequaquam ad altiorem gradum promoveri*. Quin etiam post Trullana tempora non ibi se continuit Græcorum corruptela; sed ausu novo, post ipsam ordinationem venia adhuc sacratis viris fiebat *biennii*, intra quod conjugari possent. *Consuetudo* (inquit Leo Sapiens Imperator Constit. 3. Juris Orient. Tom. 1. p. 481. 493.) *consuetudo quæ in præsenti obtinet, iis, quibus matrimonio conjungi in animo est, concedit, ut antequam uxores duxerint, Sacerdotes fieri possint, & deinde biennium ad perficiendam voluntatem jungi matrimonio volenti præstituit.*

tuit. Hanc licentiosissimam novitatem idem Leo Augustus proscripsit, declaravitque, divino semel inauguratos Sacerdotio, non posse jam, nisi per summum dedecus, carnalibus se immergere oblectamentis: *neque enim dignum est, ut qui spirituali ascensu supra corporis abjectionem & sordes evecti sunt, hi rursum ad carnis sordes delabantur.*

CAPUT XIV.

De Matrimonio apud Græcos post Sacrorum Ordinum susceptionem inito.

ADmirationi sibi esse testatur Balsamon, quomodo hæc lex non servaretur: quod scilicet, post Ordinationem, *Subdiaconi, Diaconi & Presbyteri ad nuptias convolarent, nec pœnas a Justiniano iis inflictas subirent.* Sed magis admirandum est, quod & corruptela hujusmodi apud Græcos etiamnum perseveret, & viri docti, Græcique ac Latini Juris periti, sacratorum hominum post Ordinationem inita matrimonia pro validis habeant. Res est explorata, Subdiaconos, Diaconos & Presbyteros matrimonia hujusmodi, postquam ordinati sunt, ineuntes, non alia apud Schismaticos pœna hodie puniri, nisi cessatione a ministerio. Ita Arcudius lib. 7. de Matrimonio cap. 40. a pag. 604. contendit: *Conjugia Græcorum Presbyterorum, si contrahantur post susceptos Ordines, sive prima sint, sive secunda, esse quidem illicita, sed non invalida*: & pag. 614. concludit: *At neque est hodie usu receptum in Græcia, quod Trullano Canone statutum est, sed legem Justiniani sequuntur, qua sancitum est, ut Presbyter, Diaconus vel Subdiaconus, post sui ordinationem uxori conjunctus, a Clericali habitu recedat, & ad vitam laicam se convertat. Sic hodie faciunt Presbyteri, qui ad secunda transeunt vota. Et eo magis mirandum est, quod Græci hanc Synodum œcumenicam existiment. Non igitur Neoterici Græcorum, majorum suorum statuta custodiunt.* Fallitur vir doctus,

dum

dum ſupponit, ex Trullano quidem Canone ea matrimonia eſſe invalida, non item ex lege Juſtinianea: nam, ut ſupra demonſtratum eſt, ipſe etiam Juſtinianus ante Trullanum Concilium declaravit, illa conjugia eſſe illegitima, nulla, irrita, invalida.

Nicolaus Comnenus Papadopoli, Arcudii ſententiam ſequitur, affirmantis illicita quidem eſſe, non tamen invalida: Sic enim ſcribit in Prænot. Myſtagogic. pag. 86. col. 1. *Ecce, ſi Presbyter Græcus poſt Ordines ſuſceptos contrahat matrimonium, hoc & Sacramentum eſt, & plane ratum conjugium, tametſi & criminoſum, & improbum, ut olim interrogatus de jure probavi. Nam Ordo penes noſtros voto dirimenti conjugia minime adnectitur. Quo fit, ut Miniſtris ante Ordinationem faſſis, ſe vivere ſine uxore non poſſe, poſt acceptos Ordines, Ancyranum Concilium* (Can. 10.) *permittat uxores ducere his verbis*: Diaconi quicumque in ipſa Ordinatione proteſtati ſunt, dicentes, velle ſe habere uxores, nec poſſe ſe continere; ſi poſtea ſic ad nuptias venerint, maneant in miniſterio. *Hoc tamen Matrimonium ſi ſit poſt Ordines iteratum, etiam Græcis exauthorationam, & irregularitatem facit; ita decernente Trullana Synodo* (Can. 3.) *quam in omnibus recipiunt Photiani*. Hic quoque auctor, etſi Juriſprudentiam Græcam Latinamque profeſſus, allucinatus mihi videtur, tripliciter; primo, quia per ſolum Votum dirimi matrimonia ſacratorum virorum putat: Secundo, quia Trullanam Synodum citat pro valore conjugiorum hujuſmodi, etſi illicitorum: Tertio, quia niſi poſt Ordines hoc matrimonium iteratum ſit, non inducere exauthorationem & irregularitatem exiſtimat. Atqui Canones Trullani aliaque ſupra a nobis producta decreta non diſtinguunt matrimonium Subdiaconi, Diaconi & Presbyteri poſt Ordinationem ſemel contractum, a matrimonio ab illis iterato: iterato, inquam, ſive ſemel ante, & ſemel poſt Ordinationem ſit contractum; ſive tantummodo poſt ſuſceptos ordines initum. Trullana autem Synodus dum hujuſmodi conjugium diſſolvendum eſſe decernit, conſequenter oſtendit,

dit, illud esse invalidum, etiamsi Votum dirimens non sit Ordini adnexum.

Juveninus dissert. x. de Matrimonio quæst. 7. cap. 8. art. 4. asserit, *Per mille priores annos inita sive a Latinis, sive a Græcis Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis matrimonia non fuisse irrita*. Et quæst. 5. cap. 1. pag. 656. dixerat, *Græcis Subdiaconis nusquam impositam fuisse celibatus legem*. Idem quæst. 7. cap. 8. art. 1. pag. 701. conclusionem sic proponit: *Subdiaconi in Ecclesia Græca prohibiti semper fuerunt uxores ducere post suam ordinationem: prohibiti quoque fuere prioribus sæculis iis uti, quibuscum ante ordinationem nupsissent*. Et probat primam partem, primo, ex Canone 27. *Ex iis qui Apostolis tribuuntur, quique disciplinam complectuntur quæ tribus prioribus sæculis apud Orientales obtinuit: In nuptiis autem qui ad Clerum provecti sunt, præcipimus, ut si voluerint, uxores accipiant; sed Lectores, Cantoresque tantummodo. Iis igitur sæculis jam vetitum erat Subdiaconis, ne conjugia celebrarent*. Secundo: *Eam disciplinam, quod esset Canonibus præscripta, Justinianus Imperator medio sexto sæculo confirmavit: sacris Canonibus* (inquit l. 45. cap. de Episcopis & Clericis) *neque Deo amantissimis Presbyteris, neque reverendissimis Diaconis, aut Subdiaconis nuptias contrahere post hujusmodi ordinationem permittentibus; sed solis reverendissimis Psaltis & Lectoribus id concedentibus; animadvertimus quosdam despicientes quidem sacros Canones &c.* Tertio, *Concilium Quinisextum, quod vertente septimo sæculo Constantinopoli habitum est in Trullo, hæc sancivit Can. 6. Quoniam in Apostolicis Canonibus dictum est, eorum qui non ducta uxore in Clerum promoventur, solos Lectores & Cantores uxorem posse ducere; & nos hoc servantes, decernimus, ut deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero post sui ordinationem contrahere liceat. Si autem fuerit hoc ausus facere, deponatur*. Secundam Conclusionis partem sic probat. Epiphanius in exposit. fidei Catholicæ cap. 21. Subdiaconos includit Sacerdotali Collegio: ipsum autem Collegium Sacer-

Sacerdotale scribit teneri apud Orientales continentiæ legibus: *Sacerdotium*, inquit, *ex Virginum ordine præcipue constat, aut si minus e Virginibus, certe ex Monachis, aut si minus e Monachorum ordine, ex his creari Sacerdotes solent, qui a suis se uxoribus continent, aut secundum unas nuptias in viduitate versantur. Secundis vero nuptiis implicitus, in Ecclesia ad Sacerdotium non admittitur, tametsi aut sese ab uxore contineat, aut sit viduus. Ejusmodi, inquam, ab Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi gradu rejicitur*. Idem Epiphanius hæresi 59. num. 4. conceptis terminis definit, Hypodiaconis in Ecclesia Orientali impositam fuisse suo sæculo continentiæ legem: *Quin eum* (ait) *qui adhuc in matrimonio degit, aut liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi, aut Hypodiaconi Ordinem admittit Ecclesia, sed eum dumtaxat, qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus*. Eam vero disciplinam maxime cum Canonibus cohærere contendit: *Quod* (inquit) *in illis locis præcipue fit, ubi Ecclesiastici Canones accurate servantur*. Objicit deinde sibi contrariam quorundam locorum praxim; sed statim reponit, corruptelam esse quæ contra Canones irrepserit. *Respondeo, non illud ex Canonis authoritate fieri, sed propter hominum ignaviam, quæ certis temporibus negligenter agere solet*.

Hæc Juveninus: qui tamen sibi ipse non constat. Nam ex Epiphanio quidem colligit, *Hypodiaconis in Ecclesia Orientali, secundum Ecclesiasticos Canones impositam fuisse suo sæculo*, hoc est, Epiphanii sæculo, *continentiæ legem*: Supra autem dixerat, *Græcis Subdiaconis nusquam impositam fuisse celibatus legem*. Item asserit, *Subdiaconos prohibitos fuisse prioribus sæculis, iis uxoribus uti, quibuscum ante Ordinationem nupsissent*: & pro conclusione assumit, *per mille priores annos inita sive a Latinis, sive a Græcis Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis matrimonia non fuisse irrita*: Justinianum vero, & Concilium Trullanum citat, quorum primus medio sexto sæculo,

lo, sancivit, nuptias a Subdiacono, Diacono, & Presbytero contractas, illegitimas esse, liberosque ex iis natos, spurios vocat, & paternæ hæreditatis incapaces. Trullanum vero Concilium, ut supra dixi, definivit, *post Ordinationem nui nefario matrimonio junctos Subdiaconos, Diaconos, & Presbyteros, post aliquod tempus a sacro ministerio remotos, ad proprios iterum gradus restitui, nefario tamen illorum dissoluto conjugio*. Quod autem Subdiaconi neque prioribus sæculis prohibiti fuissent, iis uti uxoribus, quas ante Ordinationem duxissent, Epiphanius ipse testatur, tametsi *non illud factum fuisse ex Canonis auctoritate affirmat, sed ibi prmissum fuisse, ubi Ecclesiastici Canones non accurate servantur*. Aliud est enim, quod Canonum sint observantiores & laudibus digniores, qui aut Virgines in Clerum assumuntur, aut continentes; aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt, uti S. Hieronymus adversus Vigilantium de tribus Ecclesiis, Romana, Alexandrina, & Antiochena (1) testatur: aliud est, quod qui uxores habuerant, & ad Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum iis superstitibus assumti fuerant, fuerit illis exprelse vetita consuetudo cum conjuge ante Ordinationem ducta. Quamquam Epiphanius celibatus lege comprehendi *Subdiaconos* voluit; at Hieronymus solos *Diaconos* & *Ordines superiores*. Concilium autem Ancyranum dum Can. 10 statuit, eos tantum Diaconos continentiæ lege teneri, qui ordinationi, suo saltem silentio, consenserint; si contraxerint autem, & tamen inviti ab Episcopo fuerint ordinati, si postea matrimonium ineant, a sacro ministerio non amoveri, propterea quod his Episcopus licentiam dederit: si sine hujusmodi Episcopi licentia uxorem duxerint, Ordinis sui functione privari; manifeste demonstrat, non lege continentiæ ibi Subdiaconos adstrictos fuisse; Diaconis etiam in casu, de quo supra, licitum fuisse, uxoris post Ordinationem ductæ conjugio

(1) „ Quid facient Orientis Ecclesiæ? quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ? „ quæ aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, „ mariti esse desistunt.

gio uti. Denique Socrates l. 1. c. xi. & Sozomenus l. 1. c. 23. narrant, Paphnutium Episcopum Nicænis Patribus intercessisse, ne Canonem conderent, quo sacrati viri, & inter hos Subdiaconi, juberentur abstinere se ab illis, quas ante ordinationem duxerant uxoribus, propterea quod antiqui Canones solas post Ordinationem nuptias prohiberent.

Scio, Thomasinum Par. 1. lib. 2. cap. 60. asserere, *Socratis & Sozomeni, quibus authoribus hæc de Paphnutio circumferuntur, non tantum esse authoritatis pondus, ut in re tanta, siquid soli dixerint, fidem extorqueant. Vera res fortasse fuerit* (inquit Thomasinus) *quæ refertur, & in eo tantum aberraverit Socrates, quod adjecit de suo. Potuit enim in Ecclesia Orientali ea fuisse tempore Concilii Nicæni incontinentium Presbyterorum, Diaconorumque multitudo, ut sapientissimis Præsulibus satius visum fuerit dissimulare immedicabile malum, quam resecando asperare. Idem de Conciliis Ancyrano, Neocæsariensi, Gangrensi dixeris; nihil adversus pestem hanc statuisse, quod curationis spem abjecissent omnem. Ubi vero Socrates dicit*, antiqua Ecclesiæ traditione, *superioribus Clericis solum prohiberi, ne matrimonium ineant, non autem initi usum interdici, jam ad Eusebium, ad Epiphanium, ad Hieronymum appello, viros veterum Ecclesiæ consuetudinum Socrate longe peritiores. Hoc igitur Socrates loquentem inducit Paphnutium, quod in ore nunquam Paphnutius habuit. Potuit tum cum Concilio Paphnutius, & sequentibus sæculis potuit cum eo Ecclesia Græca tota judicare, tolerandum id malum potius, quam aut Ecclesiam schismatis, aut ejusmodi Clericos periculo objicere incontinentiæ gravioris. Illud tamen ignorari non potuit, pravam hanc fuisse & degenerem consuetudinem, qua prisci violarentur Canones, & Ecclesiæ purior atque sancita ab Apostolis disciplina turparetur*. Scio, inquam, hæc a Thomasino asseri. Verum, quis neget, *puriorem Ecclesiæ disciplinam* esse superiorum Clericorum in utraque, Orientali scilicet ac Occidentali celibatum? At *legem* istam celibatus *ab Apostolis* fuisse *sancitam*, & pri-

scos

scos de ea extitisse *Canones*, non video. Canones enim, qui usque ad tempora Socratis & Sozomeni, sive, ut dicitur, ab Apostolis, sive a Patribus editi fuerant, non aliud præscribunt, nisi, Subdiacono & superioribus Ordinibus nefas esse, post sui Ordinationem, uxorem ducere: sic Apostolicus vigesimus sextus: *Ex iis, qui non ducta uxore ad Clerum promoti sunt, jubemus, si velint, uxorem ducere, Lectores & Cantores solos. Et Neocæsariensis I. Presbyter, si uxorem duxerit, ordine suo moveatur*. Nullum tamen vel Apostolicum, vel Paternum Canonem reperire est, qui prohibeat, ductarum ante Ordinationem uxorum, in Orientali saltem Ecclesia, sacratos viros consortio conjugali uti: quin imo exstant nonnulli Canones, qui etsi non expresse, saltem tacite videntur contrarium permittere, aut saltem in hunc sensum a Græcis Scholiastis detorquentur. Ita enim hunc Apostolicum Canonem Quintum, *Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus uxorem suam ne ejiciat, religionis prætextu: sin autem ejecerit, segregetur;& si perseveret, deponatur*; sua Theodorus Balsamon, & Zonaras interpretatione dehonestant: Balsamon quidem: *Ante Sextam Synodum, quæ fuit in Trullo palatii, licebat Episcopis habere uxores, etiam post dignitatem Episcopalem, quemadmodum & qui post matrimonium ordinantur Sacerdotes & Diaconi*. Zonaras autem: *Meminit autem Canon & Episcoporum conjuges habentium, quia liberum tunc erat Episcopis etiam legitimum cum mulieribus conjugium: namque Synodus in Trullo, nuncupata Sexta, prohibuit istud in duodecimo suo Canone*. Similiter istum Gangrensem Quartum: *Si quis de Presbytero conjugato contendat, non oportere eo sacra celebrante, oblationi communicare, sit anathema*: ita Balsamon exponit: *Præsens Canon eos anathematizat, qui non sine hæsitatione communicant sacris Sacerdotum qui habent uxores*. Et Zonaras. *Siquis Sacerdote conjugato sacra faciente, incruentumque Sacrificium celebrante, communicare ambigat, hoc est, subducat se, ac recuset, cum Canon anathemati subjici jubet*. Et quamquam Balsamoni

ni & Zonaræ non est adhibenda fides, asserentibus, *ante Sextam Synodum licuisse Episcopis habere uxores etiam post dignitatem Episcopalem*, eam tamen morum corruptelam per Diœcesim Orientalem olim viguisse, testatur Socrates lib. 5. cap. 21: inquiens: *non pauci illorum, dum Episcopatum gerunt, etiam liberos ex uxore legitima procreant*. Sanctus quoque Hieronymus lib. adversus Vigilantium scribit, Episcopos quidem antiquos, sed paucissimos in illam consensisse Vigilantii incontinentiam, nec ordinare voluisse Diaconos, nisi qui prius conjugali se vinculo innexuissent: *Proh nefas! Episcopos sui sceleres dicitur habere consortes: si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi prius uxores duxerint*.

Ad propositam quæstionem redeo. Quamquam Arcudius, Papadopoli, & Juveninus dicant, inita a Græcis Subdiaconis, Diaconis & Presbyteris post Ordinationem matrimonia non esse irrita; contrarium tamen est omnino tenendum, primo quidem, ex ipsis Græcorum principiis: nam, ut ante dixi, tam Justinianus, quam Trullana Synodus, ea sacratorum virorum conjugia, esse nulla & invalida, liberosque ex iis natos spurios & illegitimos, declarant. Deinde accedit suprema Sedis Apostolicæ auctoritas, quæ omnem dubitandi locum tollit; dum matrimonium quidem Subdiaconorum, Diaconorum & Presbyterorum cum unica & virgine ante Ordinationem contractum non reprobat; sed post Subdiaconatum, Diaconatum & Presbyteratum initum, irritum esse pronunciat. En tibi verba Benedicti XIV. Pontificis Maximi in Constitutione LVII. Tom. 1. Bullarii §. VII. num. XXVI. pag. 179. *Etsi expetendum quammaxime esset, ut Græci, qui sunt in sacris Ordinibus constituti, castitatem, non secus ac Latini, servarent: nihilominus, ut eorum Clerici, Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri, uxores in eorum ministerio retineant, dummodo ante sacros Ordines, Virgines, non Viduas, neque corruptas, duxerint, Romana non prohibet Ecclesia. Eos autem, qui Viduam, vel corruptam duxerunt, vel ad secunda*

cunda vota, prima uxore mortua, convolarunt, ad Subdiaconatum, Diaconatum & Presbyteratum promoveri omnino prohibemus. Præterea ſiquis Subdiaconus, Diaconus, vel Presbyter, poſt ſacram Ordinationem, uxore mortua, aliam duxerit, vel ſi uxorem non habebat, ducere præſumpſerit, nedum excommunicationis latæ ſententiæ pœna, aliiſque noſtro, & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis, ſeveriſſime punietur; verum etiam ſtatim ab Ordine erit deponendus, & ab illegitima uxore ſeparandus. Matrimonium enim poſt recenſitos Ordines contractum, nullum irritumque declaramus. Huic Pontificiæ Conſtitutioni præluxerat Decretum Synodi Zamoſcianæ a Ruthenis Epiſcopis anno Chriſti 1720. habitæ, *quam Synodum* (inquit idem Benedictus XIV. in Conſtitutione XCVIII. Tom. I. Bullar. pag. 348.) *ab Innocentio Papa XIII. confirmatam fuiſſe dici poteſt, dum is, prævio conſilio tum Congregationis S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, cui Nos tunc a ſecretis operam dabamus, tum alterius, Propagandæ Fidei negotiis præpoſitæ, approbavit; id quod deinde Benedictus Papa XIII. per ſuas Literas ſpeciales in forma Brevis fecit.* His enim verbis Seſs. IV. Tit. III. §. VIII. de Matrimonio concipitur: *Siquis autem Preſbyter, poſt collatos Ordines, matrimonio jungi, aut prima uxore defuncta, ſecundas inceſtas nuptias inire præſumpſerit, per Epiſcopos a communione atque Altari arceatur, captivetur, & aliis pœnis Canonicis afficiatur, ut peregrinam ſpuriamque conjunctionem abjiciat:*

Sed de Conjugiis hujuſmodi a Subdiacono, Diacono, & Presbytero apud Græcos initis, recole quæ ſunt jam a nobis obſervata Tom. I. hujus Bibliothecæ a pag. 498. ad pag. 527. Nunc ad Subdiaconos redeat oratio, cur nempe a Græcis Epiſcopis, uti Simeon Theſſalonicenſis ſcribit, Subdiaconatus ſimul cum Diaconatu confertur? Cauſam ex dictis accipe. Subdiaconatus, etſi in claſse Minorum Ordinum apud Græcos cenſetur, adnexam tamen habet celibatus Legem æque ac Diaconatus & Presbyteratus, ita ut poſtquam quis Subdiaconus ordi-

ordinatus est, non amplius possit uxorem ducere. Quia igitur nonnulli, etiam postquam ordinationem Subdiaconi accepissent, ad nuptias sibi fas esse convolare putabant, ex eo, quod Ordo Subdiaconatus æque ac Lectoratus, inter Minores, non inter Majores sacrosque tam ab ipsis, quam ab aliis censetur (Syri enim, Chaldæi, Ægyptii post Subdiaconatum uxorem ducunt): id circo Græcorum Ecclesia, quæ post acceptum Subdiaconatum ex Canonibus Apostolicis Trullanisque nuptias denegat, ut omnem pravæ illius consuetudinis occasionem tolleret, in morem induxit, ut unacum Diaconatu ordo Subdiaconatus traderetur: sic enim fit, ut si non Subdiaconatus, saltem Diaconatus ratione, ii qui in posterum Subdiaconi simulque Diaconi ordinarentur, a nuptiis post collatos Ordines contrahendis omnino abstinerent.

Id vero an recte a Græcis Episcopis peragatur, (peragitur certe, non modo in Oriente, sed etiam Romæ, ut supra dixi:) definire non ausim. Thomas a Jesu in opere de *conversione gentium procuranda* (1) lib. 7. Par. 2. cap. 5. pag. 483. & sequentibus exhibet *Interrogationes aliquot factas Gregorio Papæ XIII. a Patriarcha Maronitarum super fide & ritibus Catholicis, manifestandas in Synodo celebranda circa festum Paschatis anno* 1578. in quibus hæc erat *Interragatio de Ordine*, §. 6. pag. 489. *Secundo, creamus insuper pueros quinque vel sex annorum Subdiaconos*. Responsio autem pag. 490. *Ad secundum, sapienter Ecclesia* (dist. 77. & 78.) *in Ordinandis non solum usum rationis requirit, sed perfectam magis minusve ætatem pro Ordinum varietate, idque tum ratione characteris, qui quum sit potestas exercendi, conferendique quæ ad Dei cultum pertinent, tradi non debet, nisi in ea ætate, quæ hujus potestatis exercendæ sit capax: cum ratione annexi voti castitatis, quo nullus nisi sciens & volens debet obstringi. Itaque in Sexta Synodo* (2) *Constantinopolitana* *Ca-*

(1) Prodiit Antuerpiæ sumptibus Viduæ & Hæredum Petri Belleri anno 1613.
(2) Imo, in Trullana quinisexta. Sed parcendum ætati, quo hæc Responsio tradita fuisse dicitur.

Canon. 14. *&* 15. *statuitur, ne Diaconus ante* 25. *annum creetur, nec Subdiaconus ante* 20. *nec Presbyter ante* 30. *quæ tempora licet varie mutata sint, inducendi tamen sunt Maronitæ, ut Tridentini Concilii tempora observent sess.* 23. *cap.* 12. *dummodo intelligatur Ordines ante usum rationis collatos valere ex communi Sententia Theologorum in* IV. *Sentent. dist.* 25. Verum in *Synodo Nationali, in Monte Libano anno* 1736. *habita*, cui ego, tamquam Ablegatus Apostolicus præfui, quamque Benedictus Papa XIV. per *Literas* (1) *Apostolicas die* 1. *Septembris anno* 1741. *Pontificatus Secundo*, confirmavit, Par. 2. cap. 14. statutum fuit, de Interstitiis quidem can. 23. *Nisi aliud Episcopo magis expedire videatur, per temporum Interstitia Cantoratus, Lectoratus, & Subdiaconatus conferatur.* Can. 24. *Promoti ad sacrum Diaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur.* Et infra. *Hi vero nonnisi post annum a susceptione postremi gradus Minorum Ordinum, ad Sacros Ordines promoveantur: nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat.* Can. 29. *Duo Sacri Ordines non eodem die, etiam Regularibus, conferantur. Minores vero Ordines uno eodemque die conferri possunt, si ordinandus in ætate legitima sit constitutus. Quod autem de unius anni intervallo inter Minores Ordines & primum Majorem, & inter unum Majorem & alterum, supra dictum est, id Episcopi arbitrio ac judicio relinquitur, ut stata inter Ordinum susceptionem sive de anno in annum, sive de mense in mensem, sive etiam de hebdomada in hebdomadam intervalla temporum servet, prout Ecclesiæ necessitas exiget.* Quo vero ad Ordinandorum ætatem, in eadem Synodo cit. cap. 14. decretum fuit. Can. 21. *Ad Tonsuram, & Cantoratum nullus promoveatur, nisi testimonia Episcopo exhibeat de legitimo natali, de Baptismo, de Confirmatione, de ætate, quæ septennio sit major, & quod Fidei rudimenta edoctus fuerit, quique legere & scri-*

(1) Initium: *Singularis Romanor. Pontificum.*

scribere sciat. Can. 22. *Ad Lectoratum & Subdiaconatum evehendus, exhibeat literas testimoniales de inferiore Ordine suscepto, de vita & moribus, ut supra: de servitio Ecclesiæ & exercitio collati Ordinis Cantoratus: quod legere & canere sciat quæ ad ipsius Ordinem Syriace vel Arabice spectant: & de ætate quæ in Lectore septennio sit major, & in Subdiacono sit saltem annorum quatuordecim, ut infra dicetur*. Can. 24. *Quamquam vero Subdiaconatus in Ecclesia nostra Syriaca inter Minores computetur, non est tamen ab Episcopo conferendus, nisi in ætate saltem* (1) *quatuordecim annorum constitutis. In sancta autem Ecclesia Romana, in qua Majorum Ordinum classi multis ab hinc seculis Subdiaconatus est adscriptus, requiritur ætas annorum viginti duorum: apud Græcos autem, qui illum adhuc in classe minorum Ordinum habent, exigitur ætas annorum viginti*. Can. 26. *Nullus ad Diaconatus Ordinem ante vigesimum primum, & Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur. Etsi enim antiquis Canonibus sancitum sit, ut Presbyter ante annum trigesimum non ordinetur, nec Diaconus ante annum vigesimum quintum: & Sacra Tridentina Synodus in Presbyteris annum vigesimum quintum, & in Diaconis vigesimum tertirm requirat: in Pontificali tamen nostro, propter Ecclesiæ necessitatem vel utilitatem permittitur Episcopo, ut Diaconum ordinare possit anno ætatis vigesimo primo; Presbytero autem Sacrum Ordinem conferre anno trigesimo, vel saltem vigesimo quinto*.

Atque hæc de Syris Maronitis. Ad Græcos quod spectat; Benedictus XIV. in Constitutione LVII. edita die 6. Maji anno 1741. *De dogmatibus & ritibus ab Italogræcis tenendis atque servandis*, Tom. 1. Bullar. §. VII. de Sacramento Ordinis, num. XVI. & seqq. pag. 177. Interstiti-

(1) Hugo Victorinus de Sacram. lib. 2. par. 3. cap. 2. Sua adhuc ætate testatur, Subdiaconatum non dari ante annum ætatis 14. Thomassinus Par. 1. lib. 2. cap. 70. n. 3. Hi erant antiqui mores, quum necdum satis Subdiaconatus à minorum Ordinum classe emersisset. Concil. Viennense anno 1311. habitum in Clement. lib. 1. tit. 6. c. 3. „ Decernimus, ut alio non obstante impedimento Canoni„ co, possit quis libere in decimo octavo ad Subdiaconatus, in vigesimo ad Diacona„ tus, & in vigesimo quinto ætatis suæ anno ad Presbyteratus Ordines promoveri.

terstitiorum, & ætatis Ordinandorum Græcis seu Albanensibus legem hanc præscribit in hæc verba: „ Quum „ ex Ecclesiæ disciplina à Græcis olim recepta, promoti ad aliquem Ordinem Sacrum, si per aliquod „ temporis intervallum in eo non fuerint versati, ad „ altiorem gradum ascendere non possint, quo nimi- „ rum Ordinandorum fides morumque probitas eo tem- „ poris spatio cognosci valeat; qua lege Græci, seu Al- „ banenses in Italia & Insulis adjacentibus commoran- „ tes, dubio procul tenentur: Nihilominus quum præ- „ dicti Græci seu Albanenses, Ordinarios suos, quibus „ subjiciuntur, habeant Latinos, à quibus, tamquam „ alieni Ritus, Sacris Ordinibus initiari prohibentur; „ ac proinde quum Romam, vel in Calabriam, ubi sunt „ Episcopi a Sancta Sede Apostolica ad Ordinationes „ Ritu Græco exercendas deputati, repetitis vicibus, „ non sine quamplurimis incommodis & expensis, ad „ Sacros Ordines juxta temporum intervalla suscipien- „ dos sese conferre deberent; nos eosdem Græcos seu „ Albanenses, gratiis & favoribus prosequi, eorumque „ incommodis consulere volentes, de Apostolicæ ple- „ nitudine potestatis, præfatis Episcopis Græcis Romæ „ & in Calabria pro tempore degentibus, licentiam & „ facultatem impertimur, ut Græcos seu Albanenses hu- „ jusmodi, ex longinquis regionibus accedentes, qui „ Minoribus sive Majoribus Ordinibus initiari cupiunt, „ ad omnes Ordines promovere in posterum valeant „ tribus diebus festivis, non autem continuis, sed ali- „ quo temporis intervallo, Antistitis ordinantis arbi- „ trio, separatis, non servata Interstitiorum lege, nec „ requisita ad hoc ab iis, qui initiantur, suorum re- „ spective Ordinariorum Latinorum licentia, sive di- „ spensatione. At cum illis Græcis seu Albanensibus, „ qui domicilium habent seu alias commorantur in ea „ Provincia, in qua Episcopus ritus Græci solet Sacras „ Ordinationes exercere, ad quem propterea sine gra- „ vi incommodo per temporum intervalla accedere „ possunt, ab Interstitiorum lege minime dispensamus,

„ præterquam cum Alumnis & Convictoribus ritus Græ-
„ ci Collegii Græci Urbis, & Italo Albanensium in Ca-
„ labria & Sicilia, si eorumdem Collegiorum necessitas
„ vel utilitas. arbitrio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardi-
„ nalis Administratoris, & Protectoris præfati Colle-
„ gii Græcorum Urbis, & Episcopi præsidentis, seu
„ Rectoris utriusque Collegii Italo-Albanensium prædicti
„ respective pro tempore existentium exegerit, ut præ-
„ fati Alumni & Convictores absque temporis interval-
„ lo tribus diebus festivis, non tamen continuis, ut
„ præfertur, ad Ordines promoveantur; quo casu eos
„ sic initiari posse, plenam facultatem facimus atque
„ concedimus. Illis autem, qui non servata Interstitio-
„ rum lege, sunt hactenus bona fide ordinati, ex Apo-
„ stolica benignitate etiam concedimus, ut in suscep-
„ tis Ordinibus ministrare, & ad majores etiam serva-
„ tis servandis ascendere, absque alia dispensatione va-
„ leant. Quod tamen de ætate Ordinandorum à Sacro-
„ sancto Tridentino Concilio præscriptum est, omnino
„ servari volumus. Nullus proinde ex prædictis Græcis,
„ seu Albanensibus, ad Subdiaconatus Ordinem ante vi-
„ gesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum
„ tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum
„ suæ ætatis annum, absque Apostolica dispensatione;
„ promoveatur „. Primo igitur ait Pontifex, Tribus diebus festivis, non tamen continuis, si ex longinquis regionibus Italogræci se conferant, ad Ordines ab Episcopo Romæ vel in Calabria constituto, suscipiendos, ordinari posse. Secundo, non tamen Interstitiorum legem cum iis dispensari, qui domicilium habent seu commorantur in ea provincia, in qua Episcopus ritus Græci solet Sacras Ordinationes exercere. Tertio, At vero Alumnis & Convictoribus Collegii Græcorum Urbis, & Italogræcorum in Calabria & Sicilia concedit, ut tribus diebus festivis, non tamen continuis, ordinari possint, si Collegiorum utilitas vel necessitas exegerit. Quarto, cum iis, qui non servata Interstitiorum lege sunt hactenus bona fide ordinati, dispensat, ut in susceptis Ordini-

dinibus ministrare valeant, & ad majores etiam ascendere. Quinto demum jubet, ordinandorum ætatem servandam esse juxta præscriptum Tridentinæ Synodi, ita ut ad Subdiaconatum requiratur ætas annorum 22. ad Diaconatum, 23. ad Presbyteratum, 25. Porro hinc colligitur, Primo, ubi de ætate & Interstitiis (absque Apostolica dispensatione) agitur, mentem Benedicti XIV. fuisse, ut ab Italogræcis servandum sit, quod à Sacra Tridentina Synodo præscriptum est. Secundo, quum tribus diebus festivis, non tamen continuis, eos ordinari posse indulgeat, quos supra commemoravi, expressis verbis videtur, Episcopo ritus Græci ad Sacras Ordinationes peragendas deputato denegare facultatem, ut una eademque Ordinatione Subdiaconatum cum Diaconatu conferat. Tertio, quum in hac Pontificia Constitutione de Italogræcis & Albanensibus in Italia & adjacentibus Insulis degentibus diserta fiat mentio, perspicuum fit, ea, quæ hactenus ordinandis est præscripta, lege eos non teneri, qui in quatuor Orientis Patriarchatibus, Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno & Hierosolymitano Græcum Ritum sequuntur: qui proinde quoad ætatem & Interstitia memoratam supra consuetudinem suam absque ulla hæsitatione servare possunt.

CAPUT XV.

Animadversio in Canonem Trullanum XVI.

AD alios Trullanos Canones pergo. Canone XVI. *Neocæsariensem Synodum, quæ Can. XIV.* dixit: *Diaconos septem esse debere, etiamsi sit magna civitas, idque ex libro Actuum probare contendit, ubi septem Diaconi ab Apostolis electi leguntur*; admodum indigne corrigunt Trullani Patres, dicentes: „ Quoniam Actuum „ liber septem Diaconos ab Apostolis constitutos esse tra„ dit, Neocæsariensis autem Synodus sic in a se editis „ Canonibus aperte disseruit, quod septem debent esse „ Diaconi ex Canone, etiamsi sit magna Civitas: ex li-

 „ bro

„ bro porro Actum persuadeberis „ : Nos quum dicto „ Apostolico, Patrum mentem adeptassemus, invenimus eos „ esse loquutos, non de viris, qui ministrant mysteriis, „ sed deministerio quod in usu mensarum adhibebatur „ : & postquam verba Actuum Apostolorum cap. 6. a v. 1. ad 6. usque ad ea verba: *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum*, produxissent; subjungunt : „ Hæc interpretans Ecclesiæ Doctor Joannes Chrysostomus, sic „ prosequitur . „ Est operæ pretium admirari, quomodo „ non est scissa multitudo in Virorum electione, quo„ modo non sunt ab ipsis rejecti ac reprobati Apostoli. „ Quamnam autem habebant hi auctoritatem, & quam „ acceperunt Ordinationem, scire est necessarium. Num„ quid Diaconorum? Atqui hoc non est in Ecclesiis: „ sed & Presbyterorum dispensatio? Atqui nullus ad„ huc erat Episcopus, sed soli Apostoli. Unde nec Dia„ conorum, nec Presbyterorum nomen existimo aper„ tum esse ac manifestum. *Mox concludunt*: Post hæc „ ergo nos quoque prædicamus, ut prædicti Septem „ Diaconi, non de iis accipiantur, qui mysteriis ser„ viunt, ut est prius exposita doctrina: sed eos esse, „ quibus fuit concredita ac tradita dispensatio eorum, „ quæ tunc collecta fuerant: qui nobis in hoc quoque „ forma fuere humanitatis & studii in eos qui indigent „. Duo hic statuunt Trullani Præsules: Primum, non esse necesse, ut sint *septem tantum Diaconi* in unaquaque civitate, etiamsi magna sit; non obstante Canone Neocæsariensi, qui vult septenarium dumtaxat Diaconorum numerum esse debere. In hoc quidem non erraruntः nam Diaconorum in Ecclesiis numerum recte inter mobiles consuetudines refert Sozomenus lib. 7. cap. 19. *Diaconi apud Romanos hactenus non plures sunt, quam septem, ad similitudinem eorum, qui ab Apostolis ordinati fuerant*; *apud alios vero numerus eorum promiscuus est*. Etenim in Synodo Berytensi dixit Ibas Episcopus Edessenus: *Est Clerus noster nominum ducentorum, plus minus, aut etiam plurium*. Et Supplicationi ad eandem Synodum missæ subscribunt Ecclesiæ Edessenæ Presbyteri 14.
Dia-

Diaconi 39. In Ecclesia Constantinopolitana, præter Ostiarios, Clericos fuisse 425. quos inter erant Presbyteri 60. Diaconi 100., testatur Justinianus Augustus in Novella ad Epiphanium Patriarcham Cp. Septenarius proinde numerus congruebat primis Ecclesiæ Hierosolymitanæ exordiis, congruebat etiam Ecclesiis Ponticæ ac Orientalis Diœceseos, quarum quidam Episcopi Synodo Neocæsariensi interfuerant. Is igitur numerus pro Canone neque datus ab Apostolis, nec unquam ab Ecclesia receptus. In hoc, inquam, Trullanus Canon bene procedit: & recte ab Aristeno exponitur his verbis: „ Propterea ab Ecclesiis non exigetur, secundum illum „ Canonem, ut singulæ septem habeant Diaconos ad di- „ vinorum mysteriorum ministerium; sed quæque se- „ cundum reditus suos, & Presbyterorum, & Diacono- „ rum, & reliquorum Clericorum numerum habebit „. Alterum vero, quod Trullani Præsules statuunt, septem scilicet primos Diaconos ab Apostolis creatos, Sacramentali consecratione non fuisse initiatos, sed tantummodo ei ministerio, quod in usu mensarum adhibebatur, deputatos; in hoc turpiter à veritatis orbita aberrarunt: nec minus ab illis, & cum illis decepti recentiores Græci Scholiastæ, Theodorus Balsamon, Zonaras, Aristenus, dicunt: „ Præsens Canon dicit: Liber Actuum non „ tractat de Diaconis, qui in sacro tribunali ministrant, „ sed de ministris, qui alimenta dispensant eorum, qui „ Christi Evangelium prædicant. Quoniam tunc nec „ erant Episcopi, neque Diaconi, neque Presbyteri. „ Quare & verbis, ad dicti sui confirmationem, ex li- „ bro Actuum, & Magni etiam Chrysostomi interpreta- „ tione usi, statuerunt, dictum Canonem non esse se- „ quendum. Quare (*ut addit Zonaras*) etiam ante hunc „ Canonem editum, Neocæsariensi Constitutioni mini- „ me obtemperatum est. Sexaginta siquidem Presbyte- „ ris, Diaconis centum, quadraginta Diaconissis ma- „ gnam Ecclesiam censeri Justinianus voluit, ut Basi- „ lic. lib. 3. tit. 2. videre est: eumque numerum, tam „ in Sacerdotibus & Diaconis, quam in reliquo omni „ Cle-

„ Clero, Heraclius amplificavit, quum utrumque tamen
„ Imperatorem ante hujus Sextæ Synodi tempora vixisse
„ constet. Reliquæ quoque Constantinopolitanæ urbis Ec-
„ clesiæ plures Clericos habuere, aucto etiam numero qui
„ præfinitus iis ab earum conditoribus initio fuerat, quem-
„ admodum lib. 3. Basil. tit. 1. licet animadvertere „.
Errarunt, inquam, Trullani Antistites, negantes, *Diaconos ab Apostolis institutos ex iis fuisse, qui mysteriis inserviunt*. Nam primo, Patres Diaconis, de quibus agitur, sacra munia credita fuisse docuerunt: *Quid sunt Diaconi* (inquit Ignatius Martyr in Epist. ad Trallianos) *nisi imitatores Christi, ministrantes Episcopo, sicut Christus Patri, & operantes illi operationem mundam & immaculatam*? Cyprianus Epist. 65. ad Rogatianum Episcopum asserit, Apostolos eadem officia Diaconis quos ordinarunt, credidisse, quibus suæ ætatis Diaconi fungebantur: *Diaconos* (inquit) *post ascensum Domini in cælos, Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui & Ecclesiæ Ministros*. Concilium Neocæsariense, ineunte quarto sæculo celebratum, dum statuit, *septem debere esse juxta regulam Diaconos, idipsum autem & Actuum Apostolorum Librum insinuare*, manifeste ostendit, *Septem Diaconos*, quos idem Concilium præcipit ordinari in unaquaque civitate, etsi magna sit, *Sacrorum esse Ministros*: adeoque *etiam eos*, de quibus Lucas in Actibus Apostolorum loquitur. Præterea *Diaconi* illi, quos Apostoli instituerunt, jure tum prædicandi Evangelii, tum conferendi Baptisma potiti fuere, quamvis eo loci, ubi Lucas agit de eorum institutione, ejusmodi officiorum non meminerit: ab ipsis etiam Apostolis in numero Sacratorum Virorum censentur. Unde Apostolus Paulus in Epist. ad Philippenses 1. v. 1. *Cum Episcopis & Diaconibus*: & 1. ad Timotheum cap. 3. n. 8. *Diaconos similiter pudicos*. & n. 12. *Diaconi sint unius uxoris viri*. In Euchologio denique, dum ordinatur Diaconus (ritu certe ab Apostolis accepto) conceptis verbis dicit Pontifex, dextera manu capiti ordinandi imposita: *Dominus Deus noster, qui in præscientia tua super destinatos ab im-*

per-

perscrutabili tua virtute, ut Ministri fiant, & illibatis mysteriis tuis deserviant, Sancti tui Spiritus copiam effundis: ipse Domine & hunc, quem tibi a me promoveri complacuit in Diaconi ministerium, in omni honestate, fidei Sacramentum in pura conscientia tenentem conserva: gratiam vero Stephano Protomartyri tuo in opus ministerii hujus a te primum vocato concessam largire. Et iterum dicit Pontifex: *Deus Salvator noster, qui incorrupta tua voce, ministerii legem Apostolis tuis sauxisti, & Protomartyrem Stephanum ejusmodi renunciasti, primumque ipsum Diaconi opus adimpleutem prædicasti*. Hæc igitur semper fuit Ecclesiæ Græcæ mens, ut ordinati ab Apostolis Diaconi, intelligerentur, non solum ut iis concrederetur ministerium quod in usu mensarum adhibebatur, sed etiam ut sacris ministrarent mysteriis. Nam in primitiva Ecclesia primum quidem Sacra Mysteria celebrabantur, deinde Agapæ quas vocant, seu convivia fiebant: de quibus Apostolus 1. Cor. cap. XI. v. 20. *Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam Cœnam manducare. Unusquisque enim suam Cœnam præsumit ad manducandum*. Et reliqua. Ad utrumque ministerium delecti ab Apostolis Diaconi, non tantum ut mensarum, ac viduarum curam gererent, sed etiam ad Altaris Ministerium aliaque non pauca spiritualia munia. Nec obstant, quæ a Trullanis ex Chrysostomo proferuntur. Chrysostomus enim non solum non negat, sed expresse affirmat, sacrum Diaconatus ministerium illis fuisse ab Apostolis per manus impositionem collatum. *Vide* (inquit homil. 14. in Acta Apostolor. num. 3.) *quam non superflue scriptor loquatur; non enim dicit quomodo; sed simpliciter quod ordinati sint per orationem. Hoc enim est, ἡ χειροτονία, ordinatio. Manus viro superponitur: totum vero Deus operatur, ejusque manus est quæ tangit caput ordinati, si, quemadmodum oportet, ordinetur*. Ergo veram in illis ordinationem agnoscit Chrysostomus, qualis ætate sua circa Diaconos, Presbyteros, & Episcopos peragebatur: *& orantes* (inquit) *imposuerunt illis manus. Hinc palam est, quod segregaverunt illos a multi-*

multitudine. Quid enim aliud est, illos a multitudine segregari, nisi *sacra munia accepisse*? Pergit porro Chrysostomus. „ Quam ergo dignitatem habuerunt illi, & „ quam acceperunt ordinationem χειροτονίαν, jam dis-„ cendum est. Num Diaconorum? Atqui hæc in Eccle-„ siis non erat; sed Presbyterorum erat œconomia. At-„ qui nullus adhuc Episcopus erat, præter quam Apo-„ stoli tantum: Unde puto nec Diaconorum, nec Pres-„ byterorum tunc fuisse nomen admissum, nec manife-„ stum. Sed jam ad hoc ordinati sunt; nec simpliciter „ hoc munus illis concreditum est; sed precati sunt, ut „ potestas illis concederetur „. Antequam facta fuisset illa Diaconorum ordinatio, non erat tunc temporis (ut inquit Chrysostomus) nomen Diaconorum nec Presbyterorum manifestum. Apostoli hæc omnia munia Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum obibant. Igitur post illam septem virorum ordinationem, tunc primum Diaconatus nomen & potestas emersit: idque non simpliciter concredito illis munere, sed per chirotoniam precati sunt Apostoli, ut potestas illis concederetur. De Stephano enim idem Chrysostomus hom. xv. subjungit: „ Vide quomodo inter septem illos unus præcellens „ esset, ac primas teneret. Etsi enim ordinatio, χει-„ ροτονία, communis esset, at hic majorem gratiam „ attraxit. Antea vero signa non faciebat; sed ubi ma-„ nifestus fuit, ut ostenderetur non solam gratiam suffi-„ cere, sed ordinationem requiri, ut Spiritus accessio „ fiat. Quodsi antea Spiritu pleni erant, at id in Lavacro „. Tunc manifestum fuisse Sanctus Doctor Stephanum asserit, quum Ordinationem accepit. Habemus igitur *sacram ordinationem*, eamque a Presbyteris & Episcopis diversam: habemus, tunc temporis quum facta est septem illorum ordinatio, *nullum adhuc Episcopum fuisse præter Apostolos, neque Diaconorum neque Presbyterorum tunc fuisse* (1) *nomen* δῆλον καὶ φανερόν, *manifestum & clarum*. Mens igitur Chrysostomi non est, uti ineptiunt Trullani, quod septem illi viri ad profanum tan-

tum-

(1) Ita Græcus textus.

tummodo mensarum ministerium ab Apostolis sunt constituti, sed ad sacrum etiam mysteriorum ministerium ita deputati, ut tunc primum cœperit *Diaconorum* nomen sacratum audiri, sicuti & *Presbyterorum & Episcoporum* nomina emersere, quæ hactenus omnia in *Apostolatu* continebantur. Alioquin *Diaconorum* dignitatem Chrysostomus cum *Presbyteratu & Episcopatu* non conjunxisset, nisi æque *Diaconorum*, ac *Presbyterorum*, & *Episcoporum* sacer Ordo fuisset.

CAPUT XVI.

Animadversio in Canonem Trullanum XLII.

Canone XLII.: ,, Eos qui dicuntur Eremitæ, qui ,, quidem nigris vestibus induti, & capite comati ,, urbes obeunt, & cum viris sæcularibus ac mulieribus ,, versantur, & propriæ professioni faciunt injuriam, statuimus, si elegerint quidem tonsis comis reliquorum ,, Monachorum amictum suscipere, eos in Monasterio ,, constitui, & inter fratres referri. Quodsi hoc non ,, elegerint, ex urbibus expelli, & solitudines habitare, ,, ex quibus sibi etiam denominationes confinxere ,,. Hunc Canonem Balsamon, Zonaras, & Aristenus iisdem fere verbis exponunt, ut nempe ii, qui dicuntur suntque Eremitæ, nigris vestibus induti, comaque nequaquam detonsa, sed in cincinnos plexa & intorta, atque in pectus humerosque defluente, urbes obeuntes & cum viris laicis ac mulieribus versantes, aut Monachorum amictum suscipiant, tonsisque comis unacum fratribus in Monasterio degant; aut si hoc nolint, ex urbibus pulsi, in Eremum, unde nomen sunt sortiti, recedant. Unde patet primo, nigras vestes esse antiquum omnium Monachorum atque Monacharum Orientalium colorem. Secundo, Monachos in Monasteriis degentes radere sive tondere capillos consuevisse: hinc in antiquis picturis Monachi omnes tonsis comis depicti repræsentantur: uti cernere est etiam in Menologio Basiliano, quod autographum in Bibliotheca Vaticana servatur, fuitque a

nobis anno 1727. Urbini editum, nec non in Tabulis Menologii Rutheni, quas Tom. 5. & 6. anno 1755. Romæ evulgavimus. Jam vero non sacratis tantum viris, sed etiam laicis quibuscumque, capillitii brevitatem & modestiam præceperat Apostolus 1. Corinth. 11. V. 14. inquiens: *Vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi: mulier vero si comam nutriat, gloria est illi*. Et de Papa Aniceto legitur in Pontificali, id præcipue Clericis præscripsisse: *Constituit, ut Clericus comam non nutriat, secundum præceptum Apostolicum*: quo videtur ad illam legem Moysis alludi, qua vetantur Sacerdotes tam crines promittere, quam caput radere: *Caput suum non radent, neque comam nutrient, sed attondebunt capita sua*: unde Hieronymus in cap. 44 Ezechielis. ,, Perspicue demonstratur, nec rasis capitibus, ,, sicut Sacerdotes cultoresque Isidis atque Serapis, nos ,, esse debere: nec rursus comam dimittere, quod pro- ,, prie luxuriosum est, barbarorumque & militantium; ,, sed ut honestus habitus Sacerdotum facie demonstre- ,, tur. Discimus, nec calvitium novacula esse facien- ,, dum, nec ita ad pressum tondendum caput, ut ra- ,, sorum similes esse videamur; sed in tantum capillos ,, esse demittendos, ut opertum sit caput ,,. Idem Hieronymus in vita Hilarionis narrat, quod semel anno quolibet in die Paschæ caput tonderet: excandescit vero Epist. 2. adversus Monachos quosdam, qui feminea pene mollitie comam alerent, barbam promitterent, nudisque incederent pedibus: *Viros fuge, quibus feminei contra Apostolum crines, hircorum barba, nudi in patientia frigoris pedes*. Clemens quippe in Constitutionibus Apostolicis lib. 1. cap. 3. hortatur fidelem quemque, ut sit *non capillum nutriens, nec pexus, nec comatus*. Consonat his Constitutionibus Clemens alter Alexandrinus *Pædagog.* lib. 1. cap. 11. *Virorum sit rasum caput, nisi forte pilos crispos habent: barba autem hirsuta*. Ea enim erat fidelium Græcorum consuetudo, ut breviore capillo essent, barba prolixiore. Hinc Epiphanius hæresi 80. adversus hæreticos quosdam Monachos, insana quadam singu-

singularis cultus affectatione, contrarium in usum sese componentes: *Hi* (inquit) *barbam, formam viri, resecant; capillos autem capitis saepe nutriunt*. Et de barba quidem in Constitutionibus Apostolicis dicit divina Scriptura ac doctrina, ne corrumpas, hoc est, ne feces barbae pilos, neque meretricius cultus ob comam assumatur. Docet enim Scriptura, moestitiae luctusque signum esse, siquis capillos & barbam radat: *Omne caput calvitium, & omnis barba rasa*, Hierem. 48. & Hieronymus: *Apud antiquos, barbae capitisque rasura luctus indicium fuit*: & Chrysostomus serm. 3. de Propheta Job: *Inter nos flentes multi nutriunt comam, Job totondit. Quare? Id nimirum propositum est ei, qui flet, ut contrariam in formam constituat habitum. Ubi enim honoratur coma, signum fletus est tonderi; ubi vero tondetur, signum fletus est non tonderi. Ubique enim a flentibus contraria sumitur forma*. Igitur tam Clerici, quam Monachi in Oriente, laicorum adinstar, longiores tantum fugiebant capillos, coma ornati, sed breviore: ut proinde Sozomenus lib. 7. histor, Ecclesf. cap. 25. tamquam rem novam, & ab aliis non usurpatam, de Theotimo Scytharum Episcopo scribat, prolixo illum semper capillo fuisse: *Ajunt, quod in coma nutrienda perseveraverit, Philosophiae studium, ut caeperat, prosequutus*. Philosophiae quippe, cujus sectator Theotimus erat, studium omne in eo erat, ut aliud semper sequeretur, quam quod vulgus; alia semper via pergeret, quam turba. Nisi potius dicamus, eum fuisse Scytharum aliarumque Septentrionalium gentium, inter quas Theotimus degebat, morem antiquissimum, patriamque consuetudinem, ut prolixiorem caesariem gererent, quemadmodum de Visigothis, Francis, aliisque Borealium tractuum incolis observat Thomassinus Par. 1. lib. 2. c. 42. num. 8. qui & num. 9. de Tonsura Polonorum loquens, refert, quod, quum Polonis Benedictus Papa Nonus, Casimiro Misceonis II. Regis filio, vitae Monasticae votis apud Cluniacenses jam obstricto, & Ordine sacro Diaconatus initiato, uxoris ducendae potestatem fecisset, vi-

cissim expressit ab eis, ut longiores capillos, priscæ barbariei reliquias, resecarent, seque attemperarent ad usum & consuetudinem Provinciarum Occidentalium Romani Imperii, videlicet ad usum illum Pauli Apostoli præceptis concinentem, comamque breviorem, quum ut aures totas contegeret, *Duglosso seu Longino* in historia Polonica sic scribente: *Cæsariem capitis & comam barbaro more non nutrire, sed auribus patentibus, instar religiosorum Latinarum nationum, tonsuratum caput gestare*. Nec plura necesse est hic acervari, ad ostendendum priscum morem radendæ comæ, tam a Clericis & Monachis, quam a Laicis olim in Oriente, & Occidente servatum, & ad abstergendam (inquit Thomasinus ibid. num. 8.) *invidiam a Decreto Concilii Turonensis anni* 1583. (cap. 5.) *quo pristinæ auctoritati redditus est Canon Trullanæ Synodi adversus eos, qui ornandæ comæ immoderatius studebant, erantque cæteris fidelibus offendiculo*. Ideoque ex Concilii generalis (1) Constantinopolitani in Trullo habiti Decreto, *excommunicationi subjacere eos omnes diffinimus, qui capillos ad viventium detrimentum scite excogitatis nexibus adornant, & componunt, & infirmis animis escam ea ratione objiciunt*.

Mihi sane admirationi semper fuit, quod quum Græci Trullanorum Canonum sese observantissimos, tamquam ab Œcumenica Synodo editorum, profiteantur, eorum tamen *Monachi*, & *Præsules*, ex Monachis assumpti, aut ante Episcopalem consecrationem, Monastico habitu induti, comam prolixiorem & ad humeros diffluentem gerant contra expressam ejusmodi Synodi auctoritatem, quæ Canone 42. statuit, ut *Eremitæ, qui nigris vestibus induti, & capite comati sunt, si elegerint quidem tonsis comis, reliquorum Monachorum amictum suscipere, eos in Monasterio constitui, & inter fratres referri: quod si hoc non elegerint, ex urbibus expelli, & solitudines habitare*. Sed magis admirandum est, quod quum ipsi Græci sint Canonum hac in re violatores,

(1) Jam diximus, a Latinis per errorem, hanc Trullanam Synodum cum Sexta œcumenica confundi.

tores, ausu tamen temerario Latinam Ecclesiam criminentur ob morem radendæ barbæ: ita ut in re usque adeo arbitraria & versatili, imo & pene frivola, Latinos sua communione arcerent, temporibus Michaëlis Cerularii Patriarchæ Constantinopolitani, qui hanc litem, post Photii obitum consopitam exsuscitavit: de Græcis quippe apud Baron. ad ann. 1054. num. 24. sic scribit Humbertus Cardinalis, S. Leonis IX. Papæ ad Constantinum Monomachum Imperatorem Legatus: *Capillos capitis, & barbæ nutrientes ipsi, eos qui comam tondent, & secundum institutionem Romanæ Ecclesiæ barbas radunt, in communione non recipiunt*. Et Constantinopolitanus Patrum Prædicatorum tractatus: *Presbyteri Latini radunt barbas more suorum militum, præter Apostolicam institutionem*. Hoc falsum (inquit Lupus in Not. ad octavam Photii calumniam, pag. 1440.) *Etenim nos Latini adserimus esse datum nobis Canonem a S. Petro Apostolo, de quo incogniti Auctoris Compilatio Chronologica, „ Petrus a Paganis captus, & ad ludibrium Christianorum barba rasus, & capite decalvatus, & in gyrum attonsus, hoc deinceps ipse in mysterio in Ecclesia fieri instituit „*: Sed quidquid de hujus auctoris testimonio sit, Clericos Latinos nunc rasis, nunc promissis barbis indiscriminatim fuisse, constat. Nam Barcinonense Concilium anni 540. statuit, *ut nullus Clericorum comam nutriat, aut barbam radat*. Et Carthaginense IV. Can. 44, *Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat*. Alii hunc Canonem sic legunt: *Clericus nec comam nutriat, & barbam radat*, contrario sensu: de germano autem ejusdem Canonis textu certant rerum antiquarum periti, & lis etiamnum pendet indecisa: Latinorum tamen consuetudini barbam radentium non adversari, contendit Lupus pag. 1441. *Eum enim* (inquit) *exponit in libro de fœminarum cultu Tertullianus* (c. 8.) *Et viris propter fœminas vitio naturæ ingenita est placendi voluntas, nuptiasque præstigias formæ & hic sexus agnoscit, barbam acrius cædere, intervellere, sibi circumradere „ Barbæ evulsionem ac omnimodum virilis*
faciei

faciei lævorem, tamquam gentilem mollitiem semper detestata est omnis sub cælo & Latina & Græca Christianitas; ideoque & Latinæ quædam Ecclesiæ suis Clericis interdixere, ut piorum oculorum offensivam, rasuram barbæ, quam non multum a lævore & vulsione abesse, veraciter dicit in *Pædogogo Christiano* (lib. I. cap. XI.) *sanctus* (1) *Clemens Alexandrinus*. At vero etiamsi detur Lupo, hunc morem tenuisse Africanam Ecclesiam; quid tamen de Hispana dixerit, quæ Canone Barcinonensi, *radi barbam Clericis prohibet*? Quid de Romanis Pontificibus, quos olim fuisse barbatos norunt eruditi, qui antiquas Basilicarum Urbanarum picturas adhuc extantes illustrarunt? Multi enim barbam non despexere, & inter eos Gregorius Magnus, ut videre est in Icone, quam producit Magrius in Hierolex. v. *Baculus*. Nec desunt recentiores, quos barbatos proferamus, ac inter hos Gelasium II. cujus Iconem videre est penes Constantinum Cajetanum in vita Gelasii II: ut superioris sæculi multos omittamus. Dicam ergo, morem barbæ sive promittendæ, sive radendæ in Latina Ecclesia fuisse promiscuum; frequentius autem Romanos Clericos barbam rasisse, *ritu Romanorum*, uti Chronicon Alexandrinum, de Justiniano Imperatore agens, rasa illum barba fuisse affirmat: *Justinianus erat mento rasus, ritu Romanorum*. De Hereclio quoque Imperatore, ubi Glycas & Cedrenus illius expingunt formam, hæc habent: *Fuit fulvo crine, barba lata atque prolixa. Sed Imperator factus, extemplo comam totondit, ac mentum rasit, qui est Imperatorum habitus*. Quippe ii, qui in Occidente Romanorum Imperatores fuerunt, mento rasi fere omnes in nummis, in statuis, in vetustis picturis cernuntur. Si Græci autem tum Imperatores qui Constantinopoli imperarunt, ejusmodi erant, exemplum scilicet eorum, qui in Occidente Romanum tenuere Imperium sequuti; insulsissima fuit illa Græcorum sequentis ævi in Latinos debacchatio, quod barbas raderent. Ubi autem insana isthæc

(1) *Sanctus Clemens Alexandrinus*. De quo vide doctam Præfationem SS. D. N. Benedicti XIV. Papæ in Martyrologium Rom.

isthæc Græcorum post Photium, & post Michaëlem Cerularium erupit in Latinos Clericos criminatio, quod barbas raderent; tunc Latina etiam Ecclesia id, quod a suis indiscriminatim gerebatur, atque pro re indifferenti habebatur, ad retundendas Græcorum calumnias, utque Romanus Clerus a Græco distingueretur, voluit, ut Clerici omnes a promittenda barba abstinerent. Hinc antiqui Latinarum Ecclesiarum libri Rituales inter Cleri faciendi ritus habent & *barbæ rasuram*. Eam solemniter initiabat ipse Episcopus cum solemnibus precibus *Ad barbam tondendam*, & *Ad barbam rasam*. Et pravos sui temporis Clericos fuisse solo *barbiraslo* a laicis distinctos, queritur lib. 1. Epist. 15. ad Alexandrum Secundum Pontificem Sanctus Petrus Damiani, qui Epist. 20. ad Cadolaum Episcopum Parmensem addit, Sanctum Petrum Apostolum in *barbirasio* apparuisse. Et ad Orzocum Sardiniæ Rectorem de Jacobo Calaritano suis manibus consecrato Archiepiscopo (1) scribit lib. 8. Epist. 10. Sanctus Pontifex Gregorius Septimus: „ Nolumus prudentiam tuam „ moleste accipere, quod Archiepiscopum vestrum Ja„ cobum consuetudini Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, matris „ omnium Ecclesiarum, vestræque specialiter, obedire „ coëgimus, scilicet, ut quemadmodum totius Occi„ dentalis Ecclesiæ Clerus ab ipsis fidei Christianæ pri„ mordiis barbam radendi morem tenuit, ita & ipse „ frater noster, vester Archiepiscopus, raderet. Unde „ Eminentiæ quoque Tuæ præcipimus, ut ipsum seu Pa„ storem & Patrem spiritualem suscipiens, & auscul„ tans, cum consilio ejus omnem tuæ potestatis Clerum „ barbas radere facias, atque compellas. Concilium (2) Avenionense anni 1337. Can. 46. Centesima Ecclesiasticorum redituum parte multavit Clericos, qui singulis quibusque mensibus *barbam coronamque* non raderent. Concilium Lateranense anni 1514. sub Leone X. Sess. 9. statuit, ut Clerici non *barbam, non Comam nutriant*. Concilium Senonense anni 1528. Can. 24. *Nec Comam relaxent*.

(1) Vide Baron. ad ann. 1073. n. 67.
(2) Ex Thomassino Par. 1. lib. 2. cap. 41.

xent, *nec barbam nutriant*. Moguntinum anni 1549. Can. 74. *Barbam non nutriant*. Narbonense anni 1551. Can. 15. *Barbam radant semel in mense Clerici Sacros Ordines consecuti, maxime Canonici*. Concilium Mediolanense 1. anni 1565. Can. 23. *Comam & barbam ne studiose nutriant*. Sanctus Carolus Borromæus, Mediolanensis Archiepiscopus, & S. R. E. Cardinalis in Epist. ad Clerum (quæ extat in Actis Eccl. Mediol. p. 1061.) ad Presbyteros Clericosque omnes adducendos, ut barbam raderent, producit Statutum Concilii Carthaginensis IV. & Gregorii VII. & usum totius Ecclesiæ Occidentalis, cujus rei fidem faciunt (inquit) tabellæ pictæ antiquissimæ, sicut & Presbyteri quidam ætate provectissimi & antiquitatis tenaciores. Idem in Quinta Synodo Mediolanensi anni 1579. can. 4. compendiarie congerit, quæ latius sparserat in Epistola Pastorali. „ Barbæ radendæ institutum a Patribus in Concilio Carthaginensi (2) sancitum, quodque ex Summi Pontificis Gregorii VII. literis longe antiquissimum esse perspeximus, jam olim in omni fere Ecclesia, & in nostra hac Ambrosiana ad hæc usque tempora, ut nos videmus a plerisque Sacerdotibus antiquæ sanctioris disciplinæ studiosis conservatum, ac deinceps nostris literis per nos ad usum consuetudinemque revocatum; ita in perpetuum retineri præcipimus, ut unusquisque Sacerdos & Clericus, quocumque gradu dignitateve præditus, barbam radat „. Huic Mediolanensi Sanctioni adhæsere Concilium Aquense anni 1585. & Aquilejense anni 1596.

Hactenus de promiscuo apud Latinos barbæ sive radendæ sive promittendæ more. Nicolaus Comnenus Papadopoli in Prænot. mystag. Responso IV. Sect. 1. Barbam & Comam Græcorum a calumnia quidem defendendas suscipit adversus Catumsyritum in Palinodia cap. 8. & Ligurem quemdam lib. 3. de hæres. cap. 9. Verum dum in eum recentiorum Monachorum Ministrorum-

(1) De quo supra. Vide etiam Papadopoli in Prænot. Mystag. pag. 214. ubi de Latinis barbam non radentibus agit, ac præsertim de Carthaginensi V. ut putat Baron. ad ann. 398. n. 73. sive ut melius Cabassutius in Carthagin. IV. Can. 44.

rumque morem inquirit, qui neque capillos tondent, id a ſe fieri dictitantium in quandam Nazaræorum ſpeciem, temperare ſibi non potuit, quin pag. 214. col. 2. pronunciaret: „ Eam revera corruptelam eſſe omnibus modis emendandam. Etenim manifeſtum eſt, (inquit) priſcos illos Patres majoreſque noſtros a deradendis quidem (1) capitibus abſtinuiſſe, Tonſuram vero uſurpaſſe perpetuo. Quod, ſi cætera deeſſent, nobis apprime inſinuarent antiquiſſimæ tabulæ, atque icones, in quibus nullum ex Sanctiſſimis Patribus videre erit promiſſa cæſarie propoſitum „. Mox, ad corruptelam Photianam (ut inquit) apertius demonſtrandam, manifeſtiſſimam rem probat ex Euchologiis, ex Gregorio Theologo, ex Baſilio, ex Germano, ex Cyrillo Monacho, ex Evagrio, ex Dionyſio, ex Athanaſio, ex Socrate, ex Theophane, ex Cedreno „: penes quos capitis detonſio in Græcia recepta, more confirmata, ceremonia perpetua comprobata palam agnoſcitur. Unde colligit, ſacris hominibus ex more Eccleſiæ Græcæ præcidendam cæſariem: idque ait ad refringendam Photianorum audaciam, qui corruptelas ſuas authoritate confictæ antiquitatis defendunt, negantque unquam uſu veniſſe in Græcia Tonſuram, *quemadmodum mendaciſſimus Margunius* Nota 35. ad Can. Antioch. autumat. dicens: *Semper in Græcia mos obtinuit, ut Clerici Nazaræos imitentur, intactas forficibus comas gerentes, barbamque ſimiliter. Cave igitur, ne, ſpretis Sanctis Patribus, novantes omnia imitere Latinos, qui tondent ſuos Sacerdotes omnino, quo magis juvenes, atque ſponſi ſemper appareant libidinis. Propterea enim Tonſuram, coronam appellant, non legitimam ſane, ſed libidinoſam.* Sed noſcant Photiani (ſubdit Papadopoli) mendacitatem Margunii ex uno antiquiſſimo Patre Epiphanio, cujus hæc verba ſunt hæreſi 88. Meſſalianorum num. 6. *Eſt ab Eccleſia Catholica, &*

(1) Ad cutem intellige, quemadmodum Iſidis ſacrificuli in Ægypto conſueverant: & Magentinus lib. 1. cap. 4. de moribus Aſiaticis, ſcribit: „ Monachorum „ Cilicum id inſtituti fuiſſe, ut ſeſe penitus ad cutem pilis omnibus denudarent „.

ab Apostolorum doctrina prorsus alienum, cilicium palam præ se ferre, ac Comam summittere. Vir enim, inquit Apostolus, Comam nutrire non debet, quum imago Dei sit & gloria. Negat ergo Epiphanius, esse in Ecclesia morem *promittendæ Comæ*, eaque inficiatione mendacitatem Margunii manifestat, dicentis, nunquam in Græcia Ministris Sacrorum, Comam fuisse detonsam. Addere poterat Papadopoli & supra memoratum *Canonem XLII.* Trullanum, quo Monachos in Monasteriis degentes *tonsis Comis* esse debere decernitur: & Canonem XXI. quo Clericalem Tonsuram Trullana Synodus largitur Clericis, quos sua sacro gradu ejecerunt flagitia, ut nempe pergant Coronam gerere Clericalem, dummodo resipiscentiæ fervor & pœnitudo sincera id præstet: Alioquin jubet illos, Laicorum more, capillos promittere: *Qui Canonicorum quidem criminum rei facti, & propterea perfectæ ac perpetuæ depositioni subjecti, in Laicorum locum detrusi sunt, si quidem ad conversionem sua sponte respicientes, peccatum deflent, propter quod à gratia exciderunt, & ab eo se penitus alienos efficiunt, Clerici habitu tondeantur; sin autem non sua sponte hoc elegerint, Comam, sicut Laici, nutriant, utpote qui mundanam conversationem vitæ cælesti præposuerunt.* Balsamon in hunc Canonem: *Eos solos, qui à peccato recesserint, propter quod depositi fuerunt, à fornicatione forte vel aliquo alio, decernit Canon esse tondendos capite, ut Clericos, idest,* ἔχειν παπαλήθραν, καὶ ἐνδύεσθαι σχῆμα κληρικοῦ, *habere Papalem* (1) *Tonsuram, & Clerici habitu indui. In eos enim est mitior ac clementior, propter pœnitentiam: ii autem, qui in peccato perpetuo hærent, Comam nutrire jubentur, ut Laici; ut majori pudore afficiantur, nec in Cleri participatione ullo esse modo eis permittatur, sed ipso etiam amictu priventur.* Itaque usque ad tempora Balsamonis, idest usque ad annum Chr. 1180. apud Græcos hæc regula obtinuerat, ut & Clerici, & Monachi tonsis capillis incederent,

(1) *Papas* Græcis est *Presbyter*. Unde *Papalis* idest, Presbyteralis, Tonsura.

derent, nec cæſariem promitterent: id enim Eremitarum in Eremo degentium, & Laicorum proprium erat, Cæſariem promittere.

Quoad *Barbam*, nemo eſt, qui Græcis litem moveat: conſtat enim, antiquiſſimum perpetuumqne fuiſſe Orientalium morem, barbam ad ſacra promiſſam ferendi. Hoc unum addit loc. cit. Papadopoli, eos impugnans, qui ignorantiſſime affirmant, à Græcis (1) ineptos Ordinibus ſacris reputari, qui capillum, barbamve totonderint. „ Nuſquam (ait) aut ex Canonica re no„ ſtra, aut ex conſuetudine in Græcia recepta, has ine„ ptias probaverint, quas potius calumnias meras actu„ tum oſtendam. Nam Theodorus noſter (2) ubi reji„ ciendos ab Ordinibus docuit eos, qui calvi fæde, pla„ neque glabri, ae depiles ita natura ſunt, ut riſum „ provocent ſpectatorum, horroremve; addit: „ At „ eos, qui forficularum tonſuræ ſubjecti ſunt, & Comam „ penitus totonderunt, nefas rejicere. Tonſura enim ſi„ gnum Eccleſiaſticum Sacerdotii, & neceſſarium ini„ tiatis juxta leges. Quare nec dedecens, licet vehe„ mentius impacta. „ Quo teſtimonio pariter evinci„ tur, & Tonſuram à Græcis agnoſci contra Photianos, „ eandemque impedimento non eſſe Sacris Ordinibus con„ tra maledicos nebulones. Utroſque premit Harmeno„ puli (3) authoritas dicentis. „ Tonſura ſane decus „ eſt Clericorum: quare Ordinibus recipiendis impedi„ mento non eſt. Qui enim impedimento erit, quæ in „ ipſa manuum impoſitione neceſſaria eſt „? Addit Arſenius (2) Hieromonachus. „ Decet Eccleſiaſticos Cæ„ ſariem tondere, juxta Divum Epiphanium. Nam pro„ miſſæ homo Comæ inter Clericos vituperandus. Er„ go intonſos hoſce non licet ſacris initiare; eos vero, „ qui juxta morem tondentur, recipimus „. Adſtipulatur Joannes (5) Citri: nam interrogatus: „ An deton-

(1) Prænot. Myſtag. pag. 219.
(2) Prodromus ſcil. de Interpret. ad Can. Pœnit. S. Baſilii.
(3) In Prochiro Juris Canon. ad Can. Poenit. S. Baſilii.
(4) In Collect. a. Canon. cap. 104.
(5) Reſponſ. 29. ad Cabaſilam.

„ sum ad Ordines admittere fas „ ? respondit : „ Si non „ ex contumelia , & infamia detonsus est, sed vel sponte, vel ex more regionis ; nihil obest , quin sacris „ initietur „ . Hæc de tonsura capilli . Quid de radentibus Barbam ? Idem sane penes Græcos Juris est . Quamvis enim Eustratius Patriarcha, qui præfuit anno 1081., decreverit, *Siquis tondet mentum, sicut solent Latini, segregetur a Clero, tamquam deturpans morem Ecclesiæ nostræ, & venerabilem Sacri speciem adspectus, in voluptarium mulierum, & Eunuchorum opprobrium commutans*; attamen, ut bene notat Canonarcha *de Vi Canonum Schol.* 37. id intelligendum est de sacratis jampridem hominibus, qui promissam jamdudum barbam demetere, gravitatemque Ministris nostris (h.e. Græcis) debitam lædere ausi sint : cæterum siqui sine Barba ad Ordines Sacros recepti sunt, ii, si Diaconi, aut Hypodiaconi, usque ad Sacerdotium, demetunt barbam, leviter sane sine novacula, ut malæ semper hirsutæ nihil deliciarum referant, demetunt tamen . Quod aperte docuit Coressius (1) ad Synopsim Nili, his verbis . *Si Sacerdos promissam, quam habet fortassis, barbam corrumpat, ineptus est ministerio sacro : quippe infamis penes nos, quando id agens suspectus est vel amatorii ornatus, vel potius vanitatis, atque stoliditatis . Quod si quis eorum, qui minori funguntur Ordine Sacerdotali, corrumpat barbam, nullo id modo vituperandum : neque enim promissioris barbæ necessitas ulla est Diaconis & Hypodiaconis. Decet tamen eos, si per ætatem licet, hirsutas habere genas . Unde arbitrator, siquis laicorum sese ad cutem radat, non ineptum Sacris Ordinibus* . Hunc in modum Coressius : ante quem Leo Monachus *in Ecthesi Canonum ad Trullan. Barba* (ait) *nullatenus necessaria est ad* Ordines *recipiendos : nam vel quispiam à natura barbam desperat, & sacris initiatur, si cæteroqui dignus, quemadmodum & spado juxta* (2) *Canones Apostolorum. Quod si quis sese rase-*

(1) Ad Can. Carthagin.

(2) Can. 21. Apostolor. Similiter Can. Nicæn. 1. „ Siquis in ægritudine a „ Medicis sectus est, vel à barbaris castratus, placuit, ut iste permaneat in Clero „ .

„ Et

raserit, si quidem ante Ordines, fas erit; at post primos Ordines, si ad cutem usque, male: si forficula, hirtas tamen relinquens genas, bene. Sed, si se raserit post Sacerdotium, ut mente captum & turpem, decet a Sacris cessare, neque deinceps provehi: quippe qui contemsit gravitatem Sacerrimæ dignitatis. Eadem censet Arsenius Chartophylax *in Sylloge Canon. in Nicæn.* Antonius Chrysochiras *in explanat. Synod. S. Nicephori*: Manuel Malaxus *in Nomocan. in fin. ad Can. Pœnitent.* Elias Cretensis *in Respons. ad Solitarium*: Leo Numodotes *in Ecthesi Canon. in Carthagin.* Maximus Planudes *de Chirotonia cap.* 12. aliique penes Joannem Lascarem *de Jure Græco & Latino, tit. de Ordin.* Et novissime penes Nicephorum Melissenum Comnenum Episcopum Crotoniatem *lib. de Ritib. Eccl. Orient. cap:* 6. quorum suffragiis (ut concludit doctus auctor pag. 220.) adstipulatur hodieque praxis, mos, & consuetudo, qua constat, Diaconos & Hypodiaconos non sane novacula, sed heræle forficulis sibi barbam minuere, eam passuri promississime undulatimque fluentem, ubi ad Sacerdotium pervenerint. Adeo falsum est, abigi à Sacris Jure nostro, id est Orientalis Ecclesiæ, eum qui sibi ante postve receptos Ordines barbam totonderit. Sed de his hactenus.

CAPUT XVII.

Animadversio in Canonem Trullanum LIII.

CAnone LIII. statuunt, eos, qui ex Baptismo Infantes suscipiunt, non debere matrimonium cum matribus eorum viduis contrahere. *Quoniam spiritalis necessitudo seu affinitas, corporum conjunctione major est, in nonnullis autem locis cognovimus quosdam, qui ex sancto & salutari Baptismate Infantes suscipiunt, postea quoque cum matribus illorum viduis matrimonium contrahere*;

„ *Et infra*. Si aliqui a barbatis vel dominis castrati sint, inveniantur autem & ii „ alioqui digni, tales in Clerum admittit Canon „. Cujusmodi fuere Constantinopolitani Patriarchæ Eunuchi Ignatius, Photius, & Theophylactus: utique imberbes.

re; statuimus ut in posterum nihil fiat ejusmodi. Si qui autem post præsentem Canonem hoc facere deprehensi fuerint, ii quidem primo ab hoc illicito matrimonio desistant; deinde & fornicatorum pœnis subjiciantur. Balsamon, Zonaras, & Aristenus, dissolvendum esse dictum conjugium asserunt, tamquam illegitimum. Addit Balsamon, extare in sacri Chartophylacis secreto Constitutionem, quæ verbatim sic habet: *Mense Majo, die 17. Feria 2. Indiction. xv. Præsidente Sanctissimo nostro Domino & œcumenico Patriarcha Nicolao, Assidentibus Senatoriis Magistratibus, & Judicibus politicis his & illis, & religiosissimis Metropolitanis. Vir longe clarissimus incomparabilis Gregorius Xerus scripturam hodie ad Synodum attulit, quæ sic habet. Maria habens filium germanum Constantinum, susceptrix fuit Irenes ex divino Sanctoque Baptismate. Constantinus genuit Theodorum, & Irene Theodoram, & Theodora rursum genuit Annam. Theodorus itaque legitimum matrimonium cum Anna contrahere flagitans, an hoc fieri liceat, scire rogavit. Lectus ergo est in Synodo Canon 53. Sanctæ œcumenicæ in Trullo Synodi, & etiam Decretum vi. cap. x. Tit. xxviii. sic habens expresse: Qui quampiam a Sacro Baptismate suscepit, non potest eam postea uxorem ducere, ut quæ facta sit ipsius filia, neque matrem ejus, filiamve; sed nec filius ejus: quandoquidem nihil aliud æque potest inducere paternam affectionem, justamque matrimonii prohibitionem, ac hujusmodi nexus, quo, Deo intercedente, animæ eorum conjunguntur. Et decretum est, dictum contractum prohibitum esse, ut qui ad quintum gradum non perveniat; propterea quod, juxta quæ in hac lege continentur, spiritualis cognatio naturali sive carnali præferatur.* Quum Ecclesiastico tantum jure cognatio spiritualis in Baptismo inducta sit, eademque matrimonium dirimat, primus apud Orientales, qui mentionem illius fecerit, est Justinianus Imperator, qui tamen de illa non tamquam de re nova, sed de usu jam in Ecclesia recepto loquitur Lib. 5. Codicis, Tit. 4. cap. 26. in hæc verba: *Ea persona omnino ad nuptias venit*

venit prohibenda, quam aliquis sive alumna sit, sive a Sacrosancto suscepit Baptismate, quum nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem, & justam nuptiarum prohibitionem, quam hujusmodi nexus, per quem Deo mediante, animæ eorum copulatæ sunt. Hanc eandem Justinianeam legem in Basilicis *Themate 6. cap.* 10. *Tit.* 28. insertam, laudarunt Græci Præsules unacum Nicolao Patriarcha in Synodo habita die 17. Maji, Ind. v. Sed longe ante Justiniani tempora cognationem spiritualem fuisse impedimentum dirimens ad contrahendum matrimonium, probatur ex eo quod Julius Papa, & Innocentius I. & Cælestinus, de casu ad illud impedimentum pertinente consulti fuerint ipso quarto Ecclesiæ sæculo, teste Deusdedit Papa in sua ad Gordianum Hispalensem Epistola. *Pervenit ad nos* (inquit) *Diaconus vester, Sanctitatis vestræ Epistolam deferens, quod quidam viri & mulieres præterito Sabbato Paschali die, præ magno populorum incursu, nescientes, proprios filios suscepissent ex Lavacro Sancto. Cupis ergo scire, si pro tali accidenti ratione debeant viri ac mulieres ad proprium usum redire, an non. Nos vero mœsti ex hac re inquisivimus priorum patrum nostrorum dicta: invenimus autem in Archivis hujus Apostolicæ Sedis jam talia contigisse in Ecclesiis Isauriæ, Ephesiorum simulque Hierosolymæ, aliarumque civitatum, Episcopis etiam earum civitatum ab hac Apostolica Sede volentibus scire, utrum viri ac mulieres redirent ad proprium thorum. Beatæ memoriæ Sanctissimi Patres, Julius, Innocentius, & Cælestinus, cum Episcoporum plurimorum & Sacerdotum consensu, in Ecclesia Beati Apostolorum Principis prohibentes talia, præscripserunt & confirmaverunt, ut nullo modo jam se in conjugium reciperent mulieres ac viri, quicumque alia ratione susceperunt natos proprios, sed separent se, ne suadente Diabolo tale vitium inolescat*. Excipit casum necessitatis, in quo quis proprium ex legitimo matrimonio filium baptizat: nullam enim cum sua uxore illum contrahere cognationem declarat Joannes PP. VIII. apud Gratianum causa xxx. quæst. I. c. 7.

„ Si

„ Si ſupradictus genitor filium ſuum corpore morien-
„ tem aſpiciens, ne animam perpetua morte pereun-
„ tem dimitteret, ſacri unda baptiſmatis lavit ....
„ bene feciſſe laudatur, & idcirco ſuæ uxori ſibi jam
„ legitime ſociatæ impune, quamdiu vixerit, judica-
„ mus manere conjunctum, nec ob hoc aliquatenus ſepa-
„ rari debet „. Exſtant & aliorum Romanorum Pontificum teſtimonia vetuſta de cognatione ſpirituali. Nicolaus I. reſpondens ad Conſulta Bulgarorum c. 2. „ Si
„ ergo inter eos non contrahitur matrimonium, quos
„ Adoptio jungit, quanto potius a carnali oportet in-
„ ter ſe contubernio ceſsare, quos per cœleſte ſacra-
„ mentum regeneratio Sancti Spiritus vincit? Longe
„ igitur congruentius filius patris mei, vel frater meus
„ appellatur is, quem gratia divina, quam quem huma-
„ na voluntas, ut filius ejus, vel frater meus eſset, ele-
„ git „. Zacharias Papa apud Gratianum cauſsa xxx. quæſt. 4. cap. 3. „ Bene tua ſancta fraternitas comper-
„ tum habet, quod Dominus præceperit per Moyſen,
„ dicens: Turpitudinem patris tui, vel matris, vel ſo-
„ roris, non revelabis; turpitudo enim tua eſt. Quum
„ ergo a propria conſanguinitate jubemur abſtinere; mul-
„ to magis a ſpirituali noſtri patris filia, omni excu-
„ ſatione aut argumento ſepoſito, ſub nimia diſtrictio-
„ ne nos cavere convenit „. Idem Nicolaus Papa loc. cit. Cognationem ſpiritualem cum conſanguinitate, & cum cognatione legali ſeu Adoptione comparat: „ Un-
„ de (*inquiens*) inter eos non arbitramur eſse quodli-
„ bet poſse conjugale connubium: quandoquidem nec
„ inter eos qui natura, & eos qui Adoptione filii ſunt,
„ venerandæ Romanæ leges matrimonium contrahi per-
„ mittunt „. Balſamon quoque loc. ſupra cit. in Canon. 53. Trullanum, ſpiritualem cognationem cum Adoptione æquat, quinimo & naturali ſive carnali conjunctione majorem eſſe declarat: „ Propterea quod, ju-
„ xta quæ in hac lege continentur, ſpiritualis cognatio
„ naturali ſive carnali præferatur. Ut hoc autem & in
„ Adoptione valeat, cautum eſt, eo quod quæ ex ea e-
„ tiam

„ tiam contrahitur cognatio, a Deo & per divinarum „ precum myfteria conftituitur, juxta inclyti Imperatoris Domini Leonis Sapientis novellam „. Confequenter cognationem fpiritualem iifdem gradibus, quibus confanguinitas definitur, circumfcriptam effe docet Joannes Citri Epifcopus ad Conftantinum Cabafilam Archiepifcopum Dyrrachii apud Freherum in Jure Græco-Romano Tom. 1. Lib. v. cap. 325. „ Interrogatio V. „ Sufcepit quis ex fancto Lavacro filium alterius: vult fuo „ filio conjungere filiam fratris, patris ejus qui fufceptus „ eft. Licet hoc fieri, an non? Refponfio. Quum piæ „ Leges, & facri Canones aperte cenfuerint, fpiritalem „ cognationem carnali effe potiorem; igitur neque præ„ fens contractus procedere permittetur: Propinquitas „ enim inde oritur confobrinorum. Carnalis enim con„ fobrina fufcepti, propter fpiritalem cognationem, „ etiam filii fufceptoris confobrina cenfetur, quafi per „ Baptifmum fratris effecti ejus, quem pater ipfius fu„ fcepit. Nam & uxoris frater, item viri invicem: il„ le quidem viro uxoris frater, hic autem uxori levir „ nominatur propter propinquitatem. Facta autem eft „ actio Synodica tempore Sancti . . . . (1) Patriarchæ „ Conftantinopolitani, decernens, confequenter quin„ quagefimo tertio Canoni Sanctæ & œcumenicæ Syno„ di in Trullo, & fexto themati, decimo capite, titu„ li quinti, libri 28. Bafilicon, iifdem gradibus circum„ fcribi fpiritalem cognationem, quibus naturalis feu „ carnalis definitur. Quam ob caufam contractus, de „ quo interrogatio facta eft, non permittetur: utpote „ ad quartum ex tranfverfo gradum perveniens. *Inter„ rogatio*. Præterea, an poteft & compatris fui filiam, „ fororem ipfius fufceptitii exiftentem, ducere uxorem „ filio fuo, vel fratris filio, vel confobrino? *Refpon„ fio*. Eadem fufficiet ratio ad præfentis dubitationis „ folutionem „. Jus etiam antiquum apud Latinos tres agnovit cognationis fpiritualis fpecies: *Paternitatem*

(1) Deeft nomen apud Freherum pag. 326. fed fcribendum *Nicolai*, ut apud Balfamonem loc. cit.

nimirum, in Ministro, qui Baptismum contulisset, nec non in sponsore respectu illius quem susceperat de sacro fonte. *Compaternitatem*, inter Sacramenti ministrum & patrem & matrem baptizati: inter susceptores & patrem & matrem suscepti: inter uxorem baptizantis, & parentes baptizati: inter uxorem susceptoris, & patrem & matrem suscepti: *Confraternitatem* denique, inter filios ministri, & baptizatorum: inter natos ex sponsore, & eum quem de sacro fonte levarat. Verum Sacra Tridentina Synodus Seff. 24. cap. 2. de Reform. Matrimonii 1. absolute *Confraternitatem* abrogavit. 2. restrinxit *Paternitatem* ad eum solum, qui Sacramentum contulerit, & ad susceptores: unde nunc ad illorum uxores nequaquam extenditur, sicut antea. 3. reduxit *Compaternitatem*, ita ut jam non reperiatur inter Sacramenti ministrum & susceptores, sicut antiquitus reperiebatur. *Docet experientiâ* (inquit) *propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque Sancta Synodus huic incommodo providere, & a cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta Sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus & una, baptizatum de Baptismo suscipiant; inter quos, ac baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum, spiritualis cognatio contrahatur*. Addit de cognatione spirituali, quæ contrahitur ex Sacramento Confirmationis. *Ea quoque Cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, Confirmantem & Confirmatum; illiusque patrem & matrem, ac tenentem, non egrediatur . . . Omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis Impedimentis omnino sublatis*. Cognatio, quæ contrahitur ex Confirmatione, apud Græcos non exprimitur, neque ulla mentio de ea fit (inquit Arcudius lib. 7. de Matrim. cap. 30. pag. 554.) eadem tamen concedenda est, quæ & Baptismi. Siquidem Græci, simul

mul & ſemel baptizant, & confirmant, atque unus ſuſceptor utrique Sacramento inſervit. Idem Arcudius de cognatione ſpirituali quæ oritur ex Baptiſmo, primum quidem refert Græcorum opinionem, qui ex Trullano Canone 53. & ex lege Civili, tot gradus vetandos numerant, quot etiam in conſanguinitate, nimirum *ſeptem*. Deinde addit: *Alii vero melius, & quidem major pars, ſentiunt, non niſi nominatim contentas atque expreſſas in Lege civili perſonas prohiberi*. Lex vero ſic habet. Ὁ μέντοι ἀπὸ τοῦ ἁγίου Βαπτίσματος τινὰ δεξάμενος, οὐ δύναται αὐτὴν ὕστερον εἰς γάμον ἀγαγέσθαι, ὡς ἤδη γενομένην αὐτοῦ θυγατέρα, οὐ δὲ τὴν ταύτης μητέρα ἢ θυγατέρα. ἀλλ᾽ οὐ δὲ ὁ υἱὸς αὐτοῦ. ἐπεὶ οὐδὲν ἄλλο δύναται οὕτως εἰσαγαγεῖν πατρικὴν διάθεσιν, καὶ δικαίαν γάμου κώλυσιν, ὡς ὁ τοιοῦτος δεσμός, δι᾽ οὗ, θεοῦ μεσιτεύοντος, αἱ ψυχαὶ αὐτῶν συνάπτονται. *Qui vero a ſacro Baptiſmate aliquam ſuſcepit, eam poſtea in matrimonium ducere non poteſt: quippe quæ effecta ſit ejus filia. Sed neque ejus matrem, aut filiam ducere poteſt: neque filius ejus. Quandoquidem nihil æque inducere poteſt paternam affectionem ac juſtam conjugii prohibitionem, atque tale vinculum, per quod Deo intercedente, eorum animæ conjunguntur. Quod ergo major appelletur conjunctio, intelligitur, quod attinet ad ſanctitatem & conjunctionem animorum, quum ſit ſpiritualis cognatio: non autem quoad majorem extenſionem graduum*. Quidquid tamen ſit de Græcis in Oriente degentibus; ad Græcos quod attinet ſeu Albanenſes in Italia & adjacentibus Inſulis commorantes, Benedictus XIV. Pontifex Maximus in Conſtit. LVII. §. VIII. de Sacramento Matrimonii num. VI. (Tom. 1. Bullar. pag. 180.) jubet illos in gradibus cognationis ſpiritualis præſcriptum a Sacra Tridentina Synodo obſervare. *Item in cognationis ſpiritualis, quæ in Baptiſmo & Confirmatione contrahitur, gradibus, ſervatur id quod in Tridentina Synodo definitum eſt. In Baptiſmo videlicet inter Suſcipientem & Baptizatum, & illius patrem & matrem; nec non inter Baptizantem & Baptizatum, baptizatique patrem & matrem tantum, cognationem contrahi*

trahi: *eamque rursus*, *quæ ex Confirmatione oritur*, *Confirmantem & Confirmatum*; *illiusque patrem & matrem*, *ac tenentem*, *non egredi*: *omnibus inter alias personas spiritualis hujus cognationis Impedimentis matrimonii sublatis*. Idem ipsum scriptis ad Patriarchas Maronitarum Antiochenos Michaëlem an. 1577. & Josephum an. 1599. literis Gregorius XIII. & Clemens VIII. præscripserant quemadmodum in Synodo Nationali in Monte Libano habita anno 1736. cui ego tamquam Apostolicus Ablegatus præfui, adnotatur cap. XI. de Sacramento Matrimonii Canone VII. num. IV.

CAPUT XVIII.

Animadversio in Canonem Trullanum LIV.

CAnone LIV. Enumerant quosdam cum quibus nefas esse dicunt matrimonium contrahere. *Quum divina Scriptura* (inquiunt) *nos aperte doceat*, *non ingredieris ad omnem consanguineam carnis tuæ ad revelandam ejus turpitudinem*; *Divinus Basilius nonnullas prohibitas nuptias in suis Canonibus enumeravit*, *multis silentio præteritis*, *& his utrisque nobis utilitatem attulit*. *Turpium enim nominum multitudine evitata*, *ne verbis orationem pollueret*, *generalibus nominibus impuritates complexus est*, *per quas legibus vetitas nuptias nobis in summa ostendit*. *Quoniam autem propter ejusmodi silentium*, *& quod non discerni posset illicitarum nuptiarum probibitio*, *seipsam natura confudit*: *nobis visum est*, *ea paulo apertius exponere*, *ab hoc deinceps tempore decernentes*, *ut qui cum patrui sui filia matrimonii societatem coierit*, *ut pater & filius qui cum matre & filia*, *vel cum duabus puellis sororibus pater & filius*, *vel duobus fratribus mater & filia*, *vel fratres duo cum duabus sororibus*, *in septennii Canonem incidant*, *iis procul dubio separatis a nefario contubernio*. Circa vetitas nuptias, hi sunt Trullanis antiquiores Canones & Leges. Apostolorum Canon XIX. *Qui duas sorores duxit*, *vel consobrinam*, *non potest esse Clericus*. Balsamonis Scholion:

lion : *Eum qui ducit in uxorem vel duas sorores , vel Amitam , & Consobrinam , non permittit Canon fieri Clericum , licet omnino matrimonium irritum fiat* . Neocæsariensis Canon 2. *Femina , si duobus fratribus nupserit , extrudatur usque ad mortem , si matrimonium solvere non persuadeatur* . Sancti Basilii Magni (1) Canon LXXXVIII. ex ejusdem ad Diodorum Tarsensem Episcopum Epistola , de eo , qui duas sorores in matrimonium duxit : *Primum ergo , quod in hujusmodi rebus maximi momenti est , consuetudinem apud nos objicere possumus , legis vires habentem , eo quod a sanctis viris ritus nobis traditi sunt . Ea autem est ejusmodi : siquis unquam impuritatis affectu superatus , ad inhonestam duarum sororum societatem lapsus sit , nec hoc matrimonium existimandum , nec eos ad Ecclesiasticum cœtum prius admittendos , quam si invicem separentur* . Et post pauca. *Illud enim: non ingredieris ad quemvis consanguineum carnis tuæ , ad revelandam eorum turpitudinem , hoc quoque consanguinitatis genus comprehendit . Quid enim esse possit homini , sua uxore magis consanguineum , vel potius sua carne ? non sunt enim amplius duo , sed una caro : quare per uxorem soror ejus transiit ad viri consanguinitatem . Quemadmodum enim uxoris matrem non accipiet , nec ejus filiam : quoniam nec suam matrem , nec suam filiam ; sic nec sororem uxoris , quoniam nec suam sororem : & viceversa nec uxori licebit viri affinibus cohabitare : sunt enim in utrisque communia cognationis jura* . Balsamon Schol. in Canon. 54. Trullanum . *Quidam* (inquit) *octogesimo sexto Magni Basilii Canone utentes , qui nuptias propter cognationem vetitas enumerat , dicebant , omnes alias , his exceptis , non esse prohibitas . Divini ergo Patres* (Trullani scilicet) *hoc subvertentes , primum quidem dixerunt , omnem cum sua cognatione conjunctionem prohiberi per Mosaicam Legem , quæ sic habet : non ingredieris ad omnem consanguineam carnis tuæ , ad revelandam ejus turpitudinem . Deinde , veluti*

(1) Apud Balsamonem in Canon. 54. Trullanum , Basilianus hic Canon dicitur LXXXVI.

veluti prædictum magnum Patrem defendentes, subjunxerunt, quod etiamsi non expresse hic divinus Pater in suis Canonibus omnes propter cognationem interdictas nuptias comprehenderit, sed quoniam has impuras nominavit, ut quæ sint propter cognationem prohibitæ, omnes communi ratione comprehendit, & paucis verbis non solum enumeratas prohibuit, sed & omnes quæ a cognatione deducuntur. Addit in fine Balsamon. *Quoniam autem de vetitis nuptiis latius scripsimus in 2. cap.* XIII. *Tituli* (1) *præsentis operis, id lege, & quæ in ipsum scripta sunt longe utilissima*. His verbis indigitatur ejusdem Balsamonis Scholion in *Titulum* XIII. Nomocanonis Photiani *cap.* 2. cujus titulus (2). *De Clericis iterum, sæpiusque matrimonium contrahentibus, & vetitis nuptiis, ac commistione*. Incipit autem Scholion *de vetitis nuptiis* pag. 1080. his verbis. Περὶ δὲ κεκωλυμένων γάμων ἀνάγνωθι τὸ α. καὶ β'. Κεφάλαιον τοῦ ε. τίτλου τοῦ κη. Βιβλίου. *Porro de vetitis nuptiis lege* 1. & 2. *caput Tituli* V. *Libri* XXVIII. *nimirum, Basilicorum*. Mox subjungit. *Dividunt enim cognationem trifariam: in Ascendentes, Descendentes, & qui contingunt ex transverso. Ex quibus Ascendentes quidem sint, parentes, avi, & deinceps: Descendentes vero, filii, nepotes, pronepotes, & deinceps. Ex transverso autem, fratres, fratris sororisve filii, patrui, vel avunculi, patrueles, & deinceps. Deinde alteram etiam abusive cognationem dicunt, quæ ex Affinitate, sive conjunctione socerorum, est. Ubi autem hac de re sermonem habuerunt, atque cujusque cognationis gradus docuerunt; Ascendentium atque Descendentium nuptias, etiamsi ex legitimis nuptiis nati non sint, in infinitum prohiberi asserunt: ex transverso autem cognatorum conjunctionem ab octavo gradu liberam faciunt, ac similiter Affinium nuptias usque ad sextum gradum connumerandum impediunt.* Jam vero, ut quæ olim vel civili lege, vel canonibus interdictæ fuerint, quoad cognationem ex consanguinitate

(1) *Præsentis operis*. Hinc colligitur, quæcumque a Balsamone scripta fuerant in Scholiis ad Canones Conciliorum & Patrum, quam ad Nomocanonem Photii, unum idemque opus ab eodem appellari.

(2) In Biblioth. Juris Canonici apud Voellum & Justellum Tom. 2. p. 1075.

tate provenientem, nuptiæ, explicemus; tenendum est primo, per priora quatuor Christi sæcula valuisse & licita fuisse matrimonia in secundo gradu lineæ collateralis rectæ, sive in quarto juxta Græcorum supputationem, hoc est inter consobrinos & consobrinas, sive inter filios & filias fratrum aut sororum. Ratio est (inquit Juveninus dissert. x. de Matrim. quæst. VII. cap. 4. art. 2. §. 2.) quia Fideles iis sæculis aut præscriptas in Levitico, aut sancitas ab Imperatoribus Leges in nuptiis celebrandis adamussim servabant. Quare S. Augustinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 16. asserit, prioribus sæculis nec divina, nec humana lege prohibita fuisse matrimonia consobrinorum cum consobrinis, quamquam tamen raro fierent. *Experti etiam sumus* (inquit) *in connubiis consobrinarum nostris temporibus propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum quam raro per mores fiebat, quod fuerit, per leges licebat, quia id nec divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana: verum tamen factum etiam licitum, propter vicinitatem horrebatur illiciti, & quod fiebat cum consobrina, pene cum sorore fieri videbatur*. Secundo, Labente quarto sæculo, Theodosius senior legem tulit, per quam à nuptiis exclusus fuit secundus gradus consanguinitatis in linea collaterali recta. Legis illius, quæ non extat, meminit Aurelius Victor in epitome historiæ: *Tantum* (inquit) *pudori tribuens & continentiæ, ut consobrinorum nuptias vetuerit, tamquam sororum*. Eadem lex à S. Ambrosio recensetur Epist. 48. ad Paternum: *Theodosius Imperator etiam fratres, patrueles, & consobrinos vetuit inter se conjugii convenire nomine: & severissimam pœnam habuit, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora*. Ad eandem legem alludit Sanctus Augustinus loc. supra cit. *Verumtamen* (inquiens) *quis dubitet honestius hoc tempore etiam consobrinarum prohibita esse conjugia?* Arcadius & Honorius Imperatores anno 405. legem tulere, qua rescissa fuit lex lata a Theodosio seniore de non ineundis inter consobrinos nuptiis. Extat lex illa, quæ inscribitur, *Celebrandis*, libro

bro v. Codicis Justinianei art. iv. de nuptiis, sic autem habet. *Celebrandis inter consobrinos matrimoniis licentia legis hujus salubritate indulta est, ut revocata prisci juris authoritate, restinctisque calumniarum fomentis, matrimonium inter Consobrinos habeatur legitimum, sive ex duobus fratribus, sive ex duabus sororibus, sive ex fratre & sorore nati & ex matrimonio editi legitimi & suis patribus successores habeantur.* Verum legem illam, *celebrandis*, etsi Honorius & Theodosius anno 406. lege lata Ravennæ, cui titulus, *Si nuptiæ ex Rescripto petantur*, commemorant, innuere tamen videntur, tunc solum valere, quum Imperatores oblatis precibus annuerent, in matrimonio consobrinorum se velle dispensare. *Quidam* (inquiunt) *vetusti juris ordine prætermisso, obreptione precum nuptias, quas pro se intelligunt non mereri, de nobis æstimant postulandas, se habere puellæ consensum confingentes; quapropter tale sponsaliorum genus præsentis legis definitione prohibemus. Siquis igitur contra hanc definitionem nuptias, precum subreptione, meruerit, amissionem bonorum, & pœnam deportationis subiturum se esse non ambigat, & amisso jure matrimonii quod prohibita usurpatione meruerit, filios se juste hac ratione susceptos non habiturum, nec unquam postulatæ indulgentiæ adnotationisve Principis indulto, efficacem se veniæ effectum meruisse. Exceptis his, quos consobrinorum, hoc est, quarti gradus conjunctione, lex triumphalis memoriæ patris nostri exemplo indultorum supplicare non vetavit.* Certe formulam, qua concedebatur ineundi hujusmodi consobrinorum conjugii, refert Cassiodorus lib. vii. Variarum cap. 6. num. 47. qua Theodoricus Rex facultatem facit viro, ut nuptias ineat cum consanguinea in secundo gradu. *Institutio divinarum legum* (inquit) *humano juri ministrat exordium.* Et mox. *Et ideo supplicationum tuarum tenore permoti, si tibi illa tantum oonsobrini sanguinis vicinitate conjungitur, nec alio gradu proximior approbatur, matrimonio tuo decernimus esse sociandam, nulli, nullamque exinde jubemus fieri quæstionem, quando & leges nostra permitti voluntate*

tate consentiunt, & vota vestra præsentis beneficio authoritatis firmaverunt. Erunt vobis itaque, Deo favente, posteri hæredes solemniter, castum matrimonium, gloriosa permixtio, quando quidquid à nobis fieri præcipitur, necesse est, ut non culpis, sed laudibus applicetur. At in Ecclesia Catholica prævaluit lex Theodosii senioris excludentis consobrinorum connubia, præ legibus Arcadii & Honorii, Honorii ac Theodosii, ipsa consobrinorum matrimonia permittentium. Quare Concilium Agathense anno 506. habitum: *Hos* (inquit) *incestos censemus esse... Siquis consobrinæ suæ se sociaverit.* Sic etiam Concilium Turonense secundum anno 567. celebratum Can. 21. *Item ait sacra sententia legum quæ in hac explanatione omni homini tam docto, quam indocto aperta est, ut quisquis aut sororis aut fratris filiam, aut certe gradu consobrinam, aut fratris uxorem sceleratis sibi nuptiis junxerit: huic pœnæ subjaceat, ut de tali conjugio separetur.* Quin & Sanctus Gregorius Magnus rescribens ad Augustinum Anglorum Episcopum, docet, legis, de qua Arcadius & Honorius, nullam haberi debere rationem. *Quædam* (inquit) *terrena lex in Romana Republica permittit, ut seu duorum fratrum germanorum, seu duarum sororum filius, & filia misceantur: sed experimento didicimus, ex tali conjugio sobolem non posse succrescere; & sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Unde necesse est, ut jam tertia, aut quarta generatio fidelium licenter sibi jungi debeat; nam secunda quam diximus, a se omnino debet abstinere.* Tertia generatio sextum gradum, quarta octavum comprehendit. Quia ergo in Anglia utpote ad Christifidem ab Augustino nuper conversa, initæ extra quartum gradum nuptiæ valebant ex ejusdem S. Gregorii Magni dispensatione: ideo Felix Messanensis Episcopus ad ipsum Gregorium scribens: *Perlatum est* (inquit) *Sanctitatem vestram Anglis scripsisse, ut quarta progenie conjuncti non separentur*: id quidem fatetur Sanctissimus Pontifex, sed asserit, id factum œconomiæ causa. *Ideo nolumus nos in hac re à vobis, sive a ceteris fidelibus reprehendi, quia*

quod in his Anglorum genti indulsimus, non formam dando, sed consideratione, ne Christianitatis bonum, quod ceperant, imperfectum dimitterent, egimus. Ceterum ad eumdem Felicem Messanensem lib. 12. epist. 22. sic loquitur: *Progeniem vero suam unumquemque de his, qui fideliter edocti sunt, & jam firma radice plantati, stant inconvulsi, usque ad Septimam observare decernimus generationem*. Gregorio I. concinit Gregorius III. Pontifex Epist. 1. ad Bonifacium Episcopum, inquiens: *Progeniem vero suam unumquemque usque ad Septimam generationem observare decrevimus*. Et Zacharias Papa in Concilio Romano anni 743. Can. 6. *Ut consobrinam, neptem, novercam, fratris uxorem, vel etiam de propria cognatione nullus præsumat in conjugio copulare*. Hic Canon, ut nempe intra Septimum gradum sint omnino interdictæ nuptiæ, obtinuit usque ad Alexandri II. Papæ tempora, qui anno Chr. 1061. creatus est Pontifex. Ipse enim Epist. 38. generationem ultra Septimum gradum non extendi docet, concluditque irritas esse nuptias, quæ intra Septimum gradum tentatæ fuerint. Tandem ad Octavum gradum, seu Quartum (ut Latinis supputare placet) anno 1215. in Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio redactæ sunt Canone 50. his verbis. *Prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum Consanguinitatis & Affinitatis gradum de cætero non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari... Quum ergo jam usque ad quartum gradum prohibitio conjugalis copulæ sit restricta: eam ita esse volumus perpetuam... ut si qui contra prohibitionem hujusmodi præsumpserint copulari, nulla longinquitate defendantur annorum*.

Græci usque ad annum Chr. 692. quo Trullana Synodus est habita, non ultra secundum gradum consanguinitatem inter collaterales extenderunt, consobrinarum & non ulterius matrimonia prohibentes, juxta Theodosii senioris Constitutionem, ut ex laudato Canone 54. patet. Post Trullanum Concilium, usque ad annum circiter millesimum, Lex Sextum gradum dumtaxat prohibuit.

hibuit. Sub Alexio Patriarcha, qui ab anno 1025 ad 1043. Sedem Constantinopolitanam rexit, tertius gradus in linea collaterali recta exclusus fuit, vetitæque in Septimo gradu nuptiæ, ne procederent; si processissent, permissæ quidem, sed pœnis Ecclesiasticis subjectæ. Duæ autem personæ duplicem gradum secundum civilem computandi modum, quo Græci pluribus abhinc sæculis utuntur; unicum vero, secundum Canonicum, constituunt. Balsamon in Tit. XIII. Nomocan. Photii, cap. 2. quum dixisset: *Ex transverso cognatorum conjunctionem ab octavo gradu liberam esse*, subjungit: *Verum postquam temporibus Sanctissimi illius Patriarchæ Domini Alexii, de septimo gradu consanguineorum dubitatio incidit (negabant enim quidam posse quempiam patrui magni nepotis filiam ducere uxorem, propterea quod à legibus consanguineorum nuptiæ ab initio octavi gradus permittantur; alii vero opponebant, cognationis sextum gradum prohiberi dumtaxat, ac proinde septimum gradum impedimento vacare debere, utpote qui prohibitus non sit:) statuit dictus Sanctissimus Patriarcha cum Synodo tunc coacta hæc ad verbum. "Quandoquidem igitur BasiliusTheoctisten Septimo gradu contingit, & Lex Octavo gradu se invicem contingentibus matrimonium permittit, at vero Sexto contingentibus interdicit, Septimo autem nequaquam ordinatum est, ut istiusmodi matrimonium priusquam procedat, non permittatur; postquam autem processerit, non divellatur; sed qui ita conjuncti fuerint, pœnis subjiciantur.* Extat hæc Synodalis Alexii Patriarchæ sententia Tom. I. Juris Græco Rom. lib. 3. p. 204. Titulus: *De nuptiis Septimi gradus*: Sic autem habet: *Georgius & Nicolaus fratres. Filia Georgii Theodote, Helena autem Nicolai: & rursus Theodotæ filius Demetrius, Helenæ autem Basilius. Demetrii Filia* (1) *Theodote cum Basilio nuptiis conjuncta est: quærebat* (Joannes Cubicularius a Synodo) *legitimæ essent nuptiæ necne? Quoniam igitur Basilius Septimo gradu Theodotæ constitutus est, Lex autem nuptias permittit iis, qui Octo gradibus*

(1) Balsamon *Theoctiste* legit.

a se invicem distant: iis autem qui Sex, prohibet: at iis, qui Septimo sunt gradu, nec permittit, nec vetat. Et ob eam rem quum similes sæpe motæ essent controversiæ, institutum (1) *est, hujusmodi nuptias, antequam processerint, non permitti; postquam vero factæ fuerint, non distrahi quidem, sed eos qui sic conjuncti sunt, pœnis subjici: Idem fieri rursus definitum est, literis Dominicis de simili specie scriptis ad Leonem piissimum Metropolitanum Athenarum & Syncellum.*

Sextæ personæ septimam addidit Michaël Cerularius, qui Alexium excepit, seditque ab anno 1043. ad 1059. Illius Decretum Juri Orientali, quod nunc Græci sequuntur, insertum est Tom. 1. Lib. 3. pag. 206. Titulus: *Exemplum editæ Synodalis sententiæ sub Michaële sanctissimo & universali Patriarcha, a Niceta religiosissimo Protosyncello & Chartophylace magnæ Ecclesiæ anno 6565.* (Chr. 1057.) *Indictione Quinta*: Ne *nuptiæ fiant septimo gradu*. Initium. *Retulisti, sanctissime, ad nostram mediocritatem, quum quidam sobrinis nati, nuptias secum invicem inirent, te in præsenti eas prohibuisse, & quæsisti, an non oporteat eos prohibere, sed permittere ulterius progredi*. Et post multa. *Itaque propter has sordes, & inquinationem, confusionemque generis, & commixtionem cognatici sanguinis, piissime, in iis, qui septimi sunt gradus ex transverso, nuptiæ non connumerantur, neque a bene sentientibus agnoscuntur, e numero legitimorum conjugiorum religiose explosæ.* Addit, a Sisinio Patriarcha, qui ab anno 996. ad 999. sedit, sextum dumtaxat gradum fuisse interdictum. *Quum Beatus inter Patriarchas Dominus Sisinius inveniret* (*ut videtur*) *sua ætate qui se impudenter sexto gradu Affinitatis miscerent, & extra reprehensionem esse, fratres duos cum duabus consobrinis alterius cognationis, aut cum amita materterave majore & fratris sororisve filia congredi, nec turpes esse videri nuptias, hoc quidem novella sanctione vetuit: extra hæc autem, cætera indefinita nec prohibita reliquit.* Extat Sisinii Patriarchæ decisio seu

(1) Græc. οἰκονόμηται, oeconomice constitutum est.

ſeu Tomus Synodicus editus die 21. Februar. Indict. x. anno 6505. (Chr. 997.) (Tom. 1. Jur. Græc. Rom. lib. 3. pag. 197.) *Ne duo fratres accipiant duas conſobrinas*, cujus epitomen ſic Zonaras deſcribit pag. 203. *Tomus hic Synodalis, tametſi multis digreſſionibus utitur, in ſumma tamen hoc concludit. Prohibet enim, ne duo fratres, duas conſobrinas uxores accipiant; ac viceverſa, ne duæ conſobrinæ duobus fratribus nubant: neve patruus aut avunculus, & fratris ſororiſve filius, ſorores duas ducant: & rurſum ne fratribus duobus, amita materterave cum fratris ſororiſve filia nubat. Præterea nihil continet.* Hanc Siſinii deciſionem confirmavit Manuel Comnenus Imperator, qui ab anno 1143. ad 1180. imperavit, edita Conſtitutione, cujus Epitome Tom. 1. Jur. Græc. Rom. lib. 3. pag. 167. refertur in hæc verba. *De Tomo Siſinii, qui eſt de nuptiis duorum fratrum cum duabus conſobrinis, publicata menſe Junio, Indict. VIII.* Idem Manuel altera Conſtitutione ibid. pag. 165. edita *menſe Aprili Indict. XIV. diſſolvit ac reſcidit contractum ſeptimi ex cognatione gradus matrimonium; &, ſi factum non ſit, prohibet*. Initium. „ Tam Sanctiſſimus Dominus meus & univerſalis Patriarcha, quam Chriſti Pontificum conventus, etiam modo de divinorum ſacrorumque Canonum obſervatione ſolliciti, receptamque uſu in actis Synodicis de communibus cauſis conſuetudinem retinentes, ad religioſam quoque majeſtatem noſtram referre decreverunt, quæ eſſent ab ſe ſtatuta recteque definita de iis, quæ in diſceptationem Synodicam vocata fuerunt; an ſcilicet ii, qui ſeptimo ſe gradu ſanguinis contingunt, propinquitatem cognationis haud ignorantes, & curioſe tamen Eccleſiam de futuro contractu non conſulentes, atque ita in matrimonium coëuntes, indiremti quidem manere, ſed pœnis ſubjici debeant, an potius talis facinoris reos divelli ab ſe invicem oporteat. Et quidem expoſitum de hac quæſtione ſcriptum poteſtati noſtræ obtulerunt, jus majeſtati noſtræ debitum, ceu principi gubernationis gnaro, integrum ſervantes, &

„ ipſam

„ ipsam quoque censuerunt interrogandam, an ejus e-
„ tiam judicio, quæ decreta essent, probarentur. Hoc
„ enim in primis esse necessarium perspexerunt, idque
„ rectissime, ac justa sane de causa. Prorsus autem ip-
„ simet matrimonialem ex hoc gradu conjunctionem
„ prohibuerunt, ac plane non permittendam sancive-
„ runt. Neque solum si res ad Ecclesiæ consultationem
„ referatur; sed etiam ante hanc interrogationem in
„ opus deductam copulationem dirimendam ac rescin-
„ dendam, veluti quæ & in naturam, & legem divinam
„ impingat. Exceptis tamen iis nuptiis, quæ ante id
„ tempus ex hoc gradu contractæ fuissent. Nec id mo-
„ do, verum etiam siqui præter hanc sanctionem syno-
„ dicam agere ausi fuerint, eum divortio segregationis
„ quoque pœna multandos. Itidem & eos qui eis assensi
„ fuerint, severitatem canonicam experiri debere. Præ-
„ terea Sacerdotes ab officio removendos, qui nuptias
„ precibus sacris initiaverint. *Probat Synodicam deci-*
„ *sionem*, *inquiens*. Enimvero nostra quoque majestas
„ synodicum hoc de re quæsita responsum, vel verius
„ loquendo determinationem, veluti sacris Canonibus
„ quam convenienter & Apostolicis expositam legibus,
„ suo decreto comprobat, & in posterum vigere, ra-
„ tamque manere citra mutationem aliquam in perpe-
„ tuum statuit; eandem in quæstionis propositæ solutio-
„ ne sententiam cum sanctissimo Domino meo & uni-
„ versali Patriarcha, cumque sacra & divina Synodo
„ amplectens „. Loquitur de Synodo habita die XI.
Aprilis, Indictione XIV. sub Luca Chrysoberge Patriar-
cha anno Mundi 6674. (Chr. 1166.) quæ extat Tom. I.
Jur. Græc. Rom. lib. 3. pag. 217. „ Ne fiant nuptiæ se-
„ ptimi gradus cognationis. *Initium*: Mense Aprili die
„ XI. Indict. XIV. præsidente Luca sanctissimo & œcu-
„ menico Patriarcha in dextris Alexiacis Catechume-
„ niis. *Et post pauca*. Sanctissimus Metropolitanus Athe-
„ narum Nicolaus Hagiotheodoritus . . . . synodaliter
„ retulit nostræ mediocritati, quosdam ea, quæ a bea-
„ tæ mem. Sanctissimo Patriarcha illo Domino Alexio
„ Syno-

„ Synodice constituta sunt de contrahentibus matrimonium in septimo cognationis gradu, data opera depravare, dum non ad eorum sententiam respiciunt, sed verbis oscitanter inhærent. Nam illo quidem synodice nuptias septimi gradus prohibente, si earum petita fuerit venia; sin minus, eas indivulsas manere permittente, sed eos, qui contraxerunt, pœnis subjiciente, idque omnino sic fieri definiente, etsi qui coëunt, ignorantes quoto gradu a se invicem distent, tales nuptias contraxerint, . . Propter hæc igitur, mediocritas nostra cum sacrosancta fraternitate, factam a sanctissimo Patriarcha Domino Alexio synodalem dispensationem in nuptiis septimi gradus cognationis nominatam non prohibitis lege civili, neque manifeste permissis, corroborans & firmans, ac veluti interpretans & declarans; simul etiam multorum fraudem & versutiam resecans, & quasi ab radice extirpans, ne ullæ amplius iniquitatis exoriantur propagines, & reprehensionem merentibus liberis Respublica impleatur, filiorumque a divinis legibus alienorum crescat numerus; nuptias septimi gradus non solum postulatas procedere vetat; sed & ante postulationem contractas distrahi jubet; ab hodierno die decernens, ut hujusmodi nuptiæ omnino fieri desinant; quæ autem jam factæ sunt, manere debeant indivulsæ „. Hujusce synodici Decreti, necnon Manuelis Imperatoris Constitutionis mentionem facit Balsamon in lib. XIII. Nomocanon. Photii cap. 2. inquiens: „ Obtinuit itaque synodicum hoc (*Alexii Patriarchæ*) oraculum usque ad tempora sanctissimi illius Patriarchæ Domini Lucæ. Tunc autem, sive mense Aprili, Indict. 14. anno 6676. ubi quondam sacratissimus Metropolitanus Atheniensis & Venerabilis Domnus Nicolaus Hagiotheodoritus, magnam inde animarum jacturam aliquibus, qui in jurisdictione sua pœnarum metu clam in septimo gradu matrimonium contraxissent, obvenire in Concilio retulisset: factum est synodicum statutum, quod hæc complectitur. Propter hæc

„ hæc igitur moderatio nostra cum Sanctorum Fratrum cœtu, factam a Sanctissimo illo Patriarcha Domino Alexio de consanguineorum in septimo gradu matrimonio, a civili lege neque expresse prohibito, neque evidenter permisso, synodicam ordinationem corroborans & confirmans, ac veluti interpretans & explanans, simul vero quod multis noxium est & supervacaneum resecans, quasique ab ipsa radice revellens; ut ne amplius illegitima suppullulent germina, neque vituperabiles multiplicentur liberi, neque filiorum a divinis legibus alienorum inaugescat numerus; istius gradus matrimonium, non modo quum ejus contrahendi facultas petitur, prohibet; verum etiam ante petitionem contractum distrahi jubet: ut ab hodierno die hujusmodi matrimonium prorsus cesset, censens: tamen ut jam contracta istiusmodi matrimonia modis omnibus indivulsa manere debeant. Qui itaque hujuscemodi matrimonium de cætero contrahere audebunt, non solum proposito sibi fine omnino non fruentur; verum post ejus contractus distractionem, tamquam præsentis Synodalis statuti contemptores, quique cognatum sanguinem confundunt, excommunicationi etiam subjicientur. Qui vero ita matrimonium contrahentibus assensum præbuerint, austeritate canonica tentabuntur. Et qui tale matrimonium consecrare ausi fuerint, dejectioni de Sacerdotio subjicientur. *Prosequitur idem Balsamon*. Edita est etiam præterea mense Majo, ejusdem Indictionis, potentis atque sancti nostri Imperatoris jussio, quæ partim hæc statuit: Quocirca etiam Imperatoria nostra majestas, eandem de solutione propositæ quæstionis sententiam cum sanctissimo Domino meo œcumenico Patriarcha, & Sancta divinaque Synodo sustinens, Synodale hoc ad eandem quæstionem responsum, aut, ut quod res est, dicam, statutum, uti quod secundum divinos Canones civilesque Leges editum sit, in posterum obtinere oportere judicavit, & ut nullo unquam tempore subvertatur, statuit. Atque de septimi quidem gradus

„ nu-

„ nuptiis controversia hunc in modum concilietur „. Mirari subit, a Balsamone (imo & a Luca Patriarcha ejusque Synodo) nullam fuisse factam mentionem Synodici statuti *Michaëlis Cerularii*, qui (ut supra diximus) in eandem sententiam definierat, prohibens nempe septimi gradus nuptias in posterum contrahendas. Miratur & Arcudius, sic scribens lib. VII. de Matrimonio cap. XXX, *Jam verò non a tempore Lucæ Patriarchæ, qui fuit imperante Manuele Porphyrogenneto, ut Demetrius Chomatenus Archiepiscopus Bulgariæ, & Matthæus Blastarius* (addere debuit, & Theodorus Balsamon) *falsò existimant, sed Michaëlis Patriarchæ, qui Lucam longe antecesserat, & fuit anno Domini* 1050. *ac deinceps, usque ad nostra tempora Græci prohibuerunt fieri matrimonia usque ad septimam personam inclusive. Nam antea tempore Alexii Patriarchæ, qui Michaëlem præcesserat, vetabant usque ad sextam inclusive, ut videre licet in Jure Orientali. Scio, Lucam Patriarcham edidisse ejusdem tenoris decretum, non quasi de re nova, sed forte quia male a Græcis prædecessorum ejus decreta negligi cernebat; idcirco coactus fuit ipse quoque idem statuere ac promulgare; prædictos vero auctores, qui aliter sentiunt, decretum Michaëlis Patriarchæ, quod extat in Jure Orientali, erroris manifeste redarguit*. Atque hæc quidem pro veritate dicta sunt. Verum existimo, idcirco Michaëlis Patriarchæ nullam fuisse factam rationem, quia & a Constantino Imperatore depositus fuit, & ejus decretum approbationem Imperatoriam non obtinuit.

Cæterum res est explorata, ab anno Chr. 1157. quo Synodus Constantinopolitana sub Luca Chrysoberge septimi gradus nuptias interdixit, addita Imperatoria Manuelis Comneni approbatione, usque ad hanc diem apud Græcos Orientales hæc disciplina obtinet, obtinebatque etiam anno 1061. juxta decretum Alexandri II. Romani Pontificis, uti supradictum est. Verum quia in Ecclesia Latina ab anno 1215. in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. *usque ad quartam gradum*, hoc est, usque ad octavam personam inclusive, *prohibitio conjuga-*

lis copulæ restricta fuit; idcirco Innocentius IV. qui ab anno 1243. ad 1254. Romanam Cathedram tenuit, Epistola x. ad Ottonem Cardinalem Episcopum Tusculanum in Regno Cypri Sedis Apostolicæ Legatum, memoratam Græcorum praxim improbavit, sic num. 22. scribens. *Et quoniam apud eos* (Græcos) *consueverunt contrahi matrimonia inter personas contingentes se juxta eorum computationem octavo gradu, qui secundum computationem & distinctionem graduum, quam nos facimus, apud nos quartus habetur; ne id præsumatur deinceps, firmiter prohibemus; districte præcipientes, ut quum in ulterioribus gradibus licite matrimonia contrahantur, in prædicto quarto Consanguinitatis vel Affinitatis gradu copulari ulterius non præsumant; statutum in hoc generalis Concilii* (Lateranensis sub Innocentio III.) *observantes. Illos tamen, qui jam in gradu hujusmodi contraxerunt, dispensative permittimus in sic contracto matrimonio permanere*. Ad hanc Innocentii IV. Constitutionem notat Juveninus dissert. x. de matrim. quæst. VII. cap. 4. art. 2. §. 2. *Verum quum ea Innocentii Papæ IV. Decretalis in Regno Cypri, aut in aliis Græcorum regionibus, pacis & œconomiæ causa, promulgata non fuerit, nihil per eam mutationis invectum est in Græcorum disciplina*. Græci tamen & Albanenses, qui in Italia & Insulis adjacentibus commorantur, utpote Episcoporum Latinorum jurisdictioni subjecti, quartum Consanguinitatis & Affinitatis gradum in contrahendis nuptiis, æque ac Latini observare tenentur, quemadmodum declaravit Benedictus XIV. Pontifex Max. in Constit. LVII. Tom. I. Bullar. §. VIII. num. V. (pag. 180.) in hæc verba. *Et quoniam apud Græcos consueverunt contrahi matrimonia inter personas contingentes se, juxta eorum computationem, octavo gradu, qui secundum computationem & distinctionem graduum, quam Latini faciunt, apud hos quartus habetur; ne id præsumatur deinceps, firmiter prohibemus; ac districte præcipimus, ut, quum in ulterioribus gradibus licite matrimonia contrahantur, in prædicto quarto Consanguinitatis, vel Affinitatis gradu copu-*

copulari ulterius non præsumant; *statutum, quoad hoc, Generalis Concilii observantes*. An hæc Constitutio Græcos in quatuor Orientis Patriarchatibus constitutos afficiat, idem doctissimus Pontifex non significat. Alibi tamen docuit, Orientales in rebus ad disciplinam Ecclesiasticam spectantibus, non ligari Pontificiis Constitutionibus, nisi quum diserta illorum sit mentio. Et Arcudius loc. supra cit. postquam Græcorum praxim retulit, nuptias nempe in septimo consanguinitatis gradu & non ulterius prohibentium, primum quidem affert caussam, *cur Græci potius sequuti fuerint supputationem civilem, quam Canonicam, & quum ex una parte prohibeant quartam personam posse contrahere cum tertia in transverso ordine ex altera parte stipitis*; *non etiam prohibeant quartam personam ex altera parte stipitis, quum par utriusque ratio esse videatur*: non enim personæ in ordine transverso conjunguntur, nisi ratione stipitis, a quo procedunt: & similiter distant inter se, quo magis vel minus distant a stipite: quodsi inæqualiter a stipite distent, tunc ab eo sumitur regula, qui est a stipite remotior. Quo casu (inquit Arcudius) Græci, qui alioquin indulgentiores esse videntur, aliquando tamen illud negant, quod Canonistæ concedunt, ut ex subjecta figura clare constabit. *Andreas* generat *Petrum* & *Paulum*. Paulus generat *Dorotheam*, Dorothea *Theodoram*. Theodora *Irenem*, Irene *Eudoxiam*. Canonistæ permitterent *Petro* ducere uxorem *Eudoxiam*: quando enim in ordine transverso inæqualiter a stipite distant, tunc eo gradu inter se distabunt, quo distat a stipite ille, qui est remotior: Quoniam igitur *Eudoxia* superat quartum gradum Canonicum: licitum est ei matrimonium contrahere cum *Petro*, qui in primo gradu est cum *Paulo*. Id quod minime concederent Græci, eo quod *Petrus* & *Eudoxia* non excedant numerum septenarium personarum. Neque casus contingere non potest; si *Andreas* generet juvenis *Paulum* primogenitum, & *Petrum* in senectute. Deinde concludit, eandem Græcorum praxim a Sede Apostolica tolerari posse, inquiens: *Hæc tamen*,

quod non sint de jure divino, possunt dispensari, & , si est aliqua differentia inter Græcos & Latinos , parva quidem ea est , quæ nimirum queat sine detrimento fidei tolerari ; modo aliud non obstet . *Quare idem Pontifex Innocentius IV. ibidem subjicit ; illos tamen , qui jam in gradu hujusmodi* (octavo) *contraxerunt , dispensative permittimus , in sic contracto matrimonio remanere* . Idque ipsum in Græcorum praxi eo tolerabilius esse videtur, quod eadem apud Latinos disciplina, nuptias scilicet ad *septimum* dumtaxat gradum prohibendi, usque ad tempora Alexandri II. Romani Pontificis, vigebat, imo & viguit usque ad ann. 1215. quo per Concilium Lateranense sub Innocentio III. ad *octavum* gradum reducta fuit.

Atque hæc de *Consanguinitate* . In *Affinitate* vero, seu *Propinquitate*, quam maritus contrahit cun consanguineis uxoris suæ, & uxor cum consanguineis mariti, longius distat Græcorum praxis ab illa , quæ apud Latinos obtinet . Jura quidem antiqua Affinitatem dividunt in tria genera . Primum , contrahitur cum consanguineis uxoris, aut mariti . Secundum, cum ea, quam maritus , vel cum eo , quem mulier , postea ducunt . Tertium, cum ea, quam secundus maritus postmodum assumit. Triplex illud Affinitatis genus, sic explicat Juveninus verbis Sancti Thomæ in Sententias . *Si Maria fratri meo sit matrimonio conjuncta , est mihi , & sorori meæ Affinis in primo genere . Si autem fratre meo defuncto , eadem Maria nuberet Petro , Petrus foret mihi , & sorori meæ Affinis in secundo genere . Si vero Maria defuncta , Petrus nuberet cum Anna , Anna efficeretur mihi Affinis in tertio genere* . Tria illa Affinitatis genera usque ad annum 1215. matrimonium dirimebant . Anno vero 1215. in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Canon. 50. duobus posterioribus penitus sublatis, prius solum retentum est : unde secundum disciplinam, quæ nunc obtinet, pater & filius possunt ducere matrem & filiam ; duæ sorores nubere possunt cum duobus fratribus: frater & soror, cum fratre & sorore : filius uxoris cum filio viri . Quia nimirum Affinitas Affinitatem non pa-

rit.

rit. Nuptiæ denique inter Affines in iis gradibus sunt prohibitæ, intra quos vetitæ sunt inter Consanguineos, ad quartum nempe gradum inclusive, sive ad octavam personam. At vero Græci in Affinitate sextum gradum tantummodo prohibent: adeoque adhuc amplius unum gradum civilem, quam in Consanguinitate remittunt. Balsamon Schol. in Lib. XIII. Nomocan. Photii cap. 2. *Ex transverso cognatorum* (idest Consanguineorum) *conjunctionem ab octavo gradu liberam faciunt, ac similiter Affinium nuptias usque ad sextum gradum connumerandum dirimunt*. Et post pauca. *Cæterum quoniam matrimonio Affinium in sexto gradu conjunctorum* (*ut diximus*) *probibito, temporibus Sanctissimi illius Patriarchæ Domini Sisinii, duo patrueles* (*uti videtur*) *duas sorores uxores ducebant, proposita a Patriarcha decisio est, quæ circa finem hæc complectitur „ Moderatio nostra decrevit, ne istiusmodi matrimonia inter Christianos de reliquo amplius locum habeant, neque ullo unquam tempore contrahantur*. Extat hæc Sisinii Patriarchæ decisio edita die 21. Febr. Indict. x. anno Mundi 6505. (Chr. 997.) Tom. 1. Jur. Græc. Rom. p. 197. in qua prohibet, ne duo fratres, duas consobrinas uxores accipiant, ac viceversa, ne duæ consobrinæ duobus fratribus nubant; neve patruus aut avunculus; & fratris sororisve filius, sorores duas ducant, & rursum ne fratribus duobus, amita materterave, & fratris sororisve filia. *Quodsi quis* (inquit) *quæ hic definita sunt nihili faciens, se in tale conjugium præcipitaverit, aut liberos elocaverit; toto vitæ suæ tempore ab Ecclesia ejectus erit; nec prius ad pœnitentiam admittetur, quam nuptias diremerit, etiamsi ex iis liberos procrearit. Sacerdos autem, qui hujusmodi nuptiis preces conceperit, perpetuæ depositioni subjicietur*. Hac autem Sisinii Patriarchæ decisione non obstante, *exstat jussio Alexii Comneni Imperatoris ad suggestionem* (ut ait Balsamon loc. cit.) *Proëdri illius & beteriarchæ Bardæ Xeri, Mense Martio, Indict. XV. edita, & ad illius temporis Sanctissimum Patriarcham Dominum Nicolaum Grammaticum,* (*qui ab anno* 1084. *ad*

LIII.

1111. *sedit) ac Sanctam divinamque Synodum missa, quæ amitam & ex fratre neptem cum patruo & ex fratre nepote, tametsi sexti gradus cognationem ex Affinitate obtineant, citra impedimentum jungi statuit. Quam Jussionem Synodali commentario, qui in memorati Patriarchæ Domini Nicolai Codice reperitur, insertam legas.* Titulus Jussionis Alexii Comneni, Tom. 1. Jur. Græc. Rom. lib. 2. cap. 134. *De nuptiis Amitæ, & fratris filiæ, cum filio fratris, & patruo, quæ statuit, absque ullo impedimento Amitam & fratris filiam cum filio fratris & patruo jungi, tametsi cognatione sexti gradus ex Affinitate sese contingant.* Titulus autem Constitutionis Nicolai Grammatici Patriarchæ Tom. 1. Jur. Græc. Rom. lib. 3. p. 215. *De nuptiis patrui avunculive, & fratris sororisve filiæ, cum amita materterave & fratris sororisve filio per Affinitatem.* Initium. *Mense Majo, die 15. feria 7. Indict. XV. Præsidente Nicolao Sanctissimo Domino & œcumenico Patriarcha in Thomaite, assidentibus Senatoriis Magistratibus septem, & civilibus Judicibus, Joanne magno Drungario Viglæ, Georgio Protoproëdro Manganæ, Joanne Protoproëdro Solomonis, & piissimis Metropolitanis XXV. & Archiepiscopis sex, assistentibus etiam Dominicis Magistratibus: Deo carissimus Metropolitanus Philippopolis in Sacra Synodo proposuit, interrogationem faciens, An oporteat patruum & avunculum, & fratris sororisve filiam coire cum Amita materterave & fratris sororisve filio per Affinitatem: quia id discere vellet, & in posterum in sua provincia observare. Et ad illius hujusmodi interrogationem responderunt nobiscum omnes, aliquatenus dubium esse contractum. Sed postquam potens & sanctus noster Dominus & Imperator judicasset nobiscum & cum Sacra Synodo de contractu Proëdri Bardæ Xeri, & postea interpretatus esset, quæ in hujusmodi judicio apparebant dubitationes, de eo cognovit & pronunciavit, huic judicio contradicit nemo, quod hujusmodi contractus nullo modo vetiti appareant. Et hæc quidem alii omnes. Claudiopolitanus autem & Cariensis, & præter hos Euchaniensis, de hoc in promptu responde-*

re

re se non posse dixerunt, licet lecta essent ipsis & cognita quae venerandi illius erant judicii, & interpretationis ad ipsum factae, & siqua de hoc contractu synodalis processit subnotatio. Philippopolitanus a Tomo Patriarchae Domini Sisinii se impulsum esse dixit ad hanc interrogationem, & in eo adhuc insistere, & interpretationem requirere. Quamobrem dilata fuit decisio usque ad mensem Junium, *quo haec facta dicitur Interrogatio ad eos Pontifices, qui ad aliorum sententiam non accesserant in ea causa, quae superiori notatione exponitur; & eorumdem Responsio. Mense Junio, die xv. Indict. xv. Praesidente Nicolao sanctissimo Domino nostro & oecumenico Patriarcha in Thomaite, assidentibus ei piissimis Metropolitanis XIII. assistentibus etiam Magistratibus Dominicis: quaestione proposita a piissimo Philoppopolis Metropolitano Basilio interrogati sunt illi de eo, An oporteat patruum vel avunculum, & fratris, sororisve filiam, cum amita vel matertera, & fratris sororisve filio per Affinitatem convenire: qui cum aliis Antistitibus non consenserunt, neque simul cum iis responderunt secundum ea, quae tunc ab his ad praedictam Philoppopolitani interrogationem dicta sunt, & subnotationi tradita: Joannes videlicet Claudiopolitanus, Joseph Cariensis, & Joannes Euchaniensis: qualem scopum attingant hujus quaestionis causae, quum tamdiu de ea deliberarint, & quid iis de hac videatur: utrum consentiant aliis, an adversentur & contradicant. Et tres illi unanimiter responderunt & affirmarunt, nullo modo discrepare a suis comministris, sed idem cum iis per omnia sentire, & esse unanimes, quod legerint, & jam cognoverint tam ea, quae prius pronunciata & subnotata sunt a piissimo & sancto nostro Imperatore, & a sanctissimo nostro Domino & oecumenico Patriarcha, & Sacrosancta Synodo, quam quae posterius emissa ac exposita sunt ab amante Christi majestate ipsius: de quibus habere dubia quaedam videbantur, nihil amplius in ullo contradicentes, quasi non vetiti appareant hi contractus, quemadmodum etiam prius subnotatum est.* Verum Balsamon loc. cit. narrat, *quod quae*

quæ in præsenti Imperatoria Alexii Comneni *Jussione ad abrogandam Sisinii decisionem continentur*, *interea suis ipsius Balsamonis temporibus nullam habuerint efficaciam: Atque precor equidem* (inquit) *ne unquam ullam habeant*: *quum causam*, *ob quam statuta sunt*, *in nuda voluntate sitam esse*, *ac propterea nihil boni adferre*, *sciam*. Hæc ille : qui tamen paulo superius, factum nuda voluntate in septimo gradu consanguinitatis matrimonium non improbavit. Verba illius accipe. *Scias tamen*, *quod licet Synodalis hæc* Alexii Patriarchæ *decisio*, *&* *ipsam confirmans Imperatoria jussio*, *consanguineorum in septimo gradu matrimonium minanter prohibeat*; *Indictione tamen IV. Anno* 6694. (Chr. 1186.) *quum Dominus Basilius Camaterus Patriarcha esset*, *ab Imperatore nostro sancto Domino Isaacio Angelo Jussio facta sit*, *quæ statuit*, *ne ex dictis actis*, *matrimonio post illa inter longe felicissimos Cæsares*, *Dominum Joannem Cantacuzenum videlicet*, *atque germanam Imperatoris sororem Dominam Irenem contracto*, *quamquam in septimum consanguineorum gradum referatur*, *præjudicetur*: *sed quantum ad illos*, *&* *quidem solos*, *quæ a Synodo*, *atque ab Imperatore Domino Manuele de istiusmodi nuptiis determinata sunt*, *inefficacia sint*. Ita nimirum Græci Patriarchæ & Imperatores in lege Civili, & in Canonibus Ecclesiasticis dispensandi facultatem sibi tribuebant : &, quod absurdum est, *legem divinam* vocant interdictas in septimo gradu nuptias, in qua tamen Lege Alexius Patriarcha dispensaverat. Hæc enim sunt verba Manuelis Imperatoris confirmantis statutum a Luca Patriarcha in Synodo anni 1166. factum de interdicendis septimi gradus nuptiis: *Prorsus autem ipsimet matrimonialem ex hoc gradu conjunctionem prohibuerunt*, *ac plane non permittendam sanciverunt*: *neque solum si res ad Ecclesiæ consultationem referatur*, *sed etiam ante hanc interrogationem in opus deductam copulationem dirimendam ac rescindendam*, *veluti quæ* *&* *in naturam*, *&* *Legem divinam impingat*. Non enim *Lege naturæ*, neque *Lege divina*, sed *Ecclesiastica* tantum, prohibitæ fuere septimi gradus nuptiæ, uti supra est ostensum. CA-

CAPUT XIX.

Animadversio in Canonem Trullanum LXXIX.

CAnone LXXIX. Α'λόχευτον τὸν ἐις τῆς Παρθένȣ θεῖον τόκον ὁμολογȣ̃ντες &c. *Absque puerperio editum ex Virgine divinum partum esse confitentes, ut qui sine semine constitutus sit, idque toti gregi annunciantes; eos qui ex ignorantia faciunt quod non decet, correctioni subjicimus. Quare quoniam aliquos post Sanctæ Christi Dei nostri Nativitatis diem, similam coquere compertum est, & eam sibi invicem impartiri, honoris scilicet prætextu Puerperii impollutæ Virginis Matris; statuimus, ut deinceps nihil tale fiat a fidelibus. Neque enim hoc honor est Virgini, quæ supra mentem & sermonem, quod comprehendi non potest, Verbum peperit carne, ex communibus & iis quæ in nobis fiunt, inenarrabilem ejus partum definire ac describere. Siquis ergo deinceps hoc facere aggressus fuerit, si sit quidem Clericus, deponatur; si vero Laicus, segregetur*. In Græco textu, τὰ ἐπιλόχεια & τὰ λοχεία, dicitur, quod Beveregius *Puerperium*, & Latinus Trullani Canonis interpres *Secundinas* vocat sic. *Absque ullis* (1) *secundinis ex Virgine, partum esse confitentes, ut qui sine semine constitutus sit.* Subditur: *Quare, quoniam aliqui post Sanctæ Christi Dei nostri Nativitatis diem, similam coquere ostenduntur, & eam sibi invicem impertiri, honoris, scilicet, prætextu, secundinarum impollutæ Virginis Mariæ.* Zonaras in hunc Canonem exponit quid sit λοχεία, seu ἐπιλόχεια. λοχεία δ' ἐςὶν ἡ μετ' ὠδίνων τȣ̃ βρέφȣς ἀπότεξις, καὶ ἡ τῶν αἱμάτων ἀκόλȣθος ῥύσις. „ Est vero λολεία, (*Puerperium*) „ emissio fœtus, quam doloris sensus ac profluvium san„ guinis comitantur. *Et subdit*: Quibus quidem malis „ nullatenus obnoxiam fuisse Deiparam credimus. Par-

(1) Franc. Suarez in 3. Par. quæst. 35. disp. 13. sect. 2. advertit, in aliquo Codice non legi, *absque secundinis*, sed, *absque ullo dolore*. Verum, mentem esse Patrum, *absque secundinis*.

„ tus etenim naturales ista consequuntur; ejus vero Conceptio fuit supra naturam: nam a Spiritu Sancto effecta est; ejusdemque partus nequaquam iis, quæ partum naturalem proprie consequuntur, obnoxius fuit. Quæ igitur λοχείαν (*Puerperium*) non agnovit, quid nos ei, τὰ τῶν λοχευομένων, quæ puerperarum sunt, exhibebimus? Est id quidem Sacrosanctæ Virgini contumeliosum potius, quam honorificum, eorum aliquid in ejus eximio partu, quale in aliarum mulierum foetura contingit, usurpari. *Et Balsamon in eandem sententiam*. Dei matris enim partum, *inquiunt*, talem non fuisse profitemur, quemadmodum a reliquis fit mulieribus, ἀλλὰ ἀλόχευτον sed absque puerperio: quoniam conceptio & supra naturam & ex Sancto Spiritu facta est: Ei ergo, quæ λοχείαν Puerperium non novit, quomodo nos ea quæ ad Puerperas pertinent, τὰ τῶν λοχευομένων, peregerimus? Quare non est hoc honor Sanctæ Virginis, quæ supra mentem & sermonem Deum Verbum peperit carne, absque ullis maternis in partu doloribus. Quocirca non oportet ea, quæ sunt supra naturam, iis quæ secundum naturam, exæquare, & ea veluti communia reddere, ex nostrisque terrestribus describere & metiri. *Eadem habet ibidem Aristenus*. *Addit Balsamon*: Hanc ergo ob causam, Christi Dei gratia, in hac urbium Regina, nemo tale quidpiam audet facere, sed post ineffabilem Christi Dei nostri Nativitatem, fidelium cœtus, Sanctissimæ Deiparæ festum celebrat divinis Canticis Hymnisque Ecclesiasticis „. Atque hæc Græcorum est communis sententia.

At vero Christianus Lupus hunc Canonem Trullanum interpretans, summatim sic scribit: „ Proinde præsens Canon secundinarum festivitatem, ut nugas in ipsa fieri consuetas, rectissime proscribit: at illas Domino denegans, ab antiquo Ecclesiæ dogmate recedit. Errat, virginalem partum communibus naturæ regulis non fuisse directum „; & primum quidem, adversus Marcionem, humanæ Christi naturæ veritа-

ritatem propugnans, inquit. „ Secundinas aliaque id
„ genus Domini nostri Jesu Christi naturalia secreta,
„ malim ego silentio honorare. Video tamen eadem a
„ Marcione ac reliquis duplicis Divinitatis fabulonibus
„ impugnata, eorumque ut sordium Deo Verbo indi-
„ gnorum causa, negatam illi carnis ac omnis humanæ
„ naturæ veritatem. & introductum phantasmatis men-
„ dacium „. At neque Græci veritatem carnis & om-
nis humanæ naturæ Christi Domini negant. Pergit porro
Lupus, In Virgineo Partu *Secundinas* adstruens: „ Hor-
„ res (*inquit ad sceleratissimum blateronem in libro de*
„ *carne Christi cap.* 4. *Tertullianus*) & infantem cum
„ suis impedimentis profusum & oblitum. *Et infra*. Sed
„ videris, si tibi displices, aut si aliter natus es: Cer-
„ te Christus dilexit hominem illum in immunditiis, in
„ utero coagulatum, illum per pudenda prolatum, il-
„ lum per ludibria nutritum. Proinde & ipse Dominus
„ per eas naturæ contumelias volutatus est, & more no-
„ stro in mundum prodiit, verum ex Virgine. Habuit
„ atque transivit cuncta naturæ nostræ solennia, utpote
„ Dei optimi maximi instituta & opera, dempta sola
„ carnali concupiscentia, quæ per Diabolum est generi
„ nostro inflicta. Idem in Libro contra Helvidium do-
„ cet Sanctus Hieronymus, profitens Dominum ex Vir-
„ gine, attamen nostro solenni more processisse. *Junge*,
„ (inquit cap. 9.) *si libet & alias naturæ contumelias*,
„ *novem mensibus uterum insolescentem, fastidia partus*,
„ *sanguinem, pannos: Ipse tibi describatur infans teg-*
„ *mine membranarum solito involutus. Non erubescimus*,
„ *non silemus. Quanto sunt humiliora, quæ pro me pas-*
„ *sus est, tanto illi plus debeo. Et quum omnia repli-*
„ *caveris, cruce nihil contumeliosius proferes, quam*
„ *profitemur. Et in Epist.* 22. *ad Eustochium cap.* 17. *Dei*
„ *filius pro nostra salute, hominis factus est filius: no-*
„ *vem mensibus in utero ut nascatur exspectat, fastidia*
„ *sustinet, cruentus egreditur*. Eum fuisse more nostro
„ in utero, at Virginali, conceptum, formatum, nu-
„ tritum, ac exinde processisse, docet etiam in Li-

„ bro LXXXIII. quæstionum S. Augustinus adversum
„ Manichæos, naturam divinam ab istis naturæ nostræ
„ solennibus maculandam blaterantes, assidue inculcat
„ illam Soli esse similem, qui fœtidissimas etiam cloa-
„ cas illuminat, & non fœdatur. Absit tamen, ut huma-
„ num, istum præsertim Virginalem, uterum cum fœ-
„ do Marcione, dicam esse cloacam. Recte adversus il-
„ lum lib. 3. cap. XI. ait Tertullianus: *Age jam, pero-*
„ *ra in illa sanctissima & reverenda naturæ opera, car-*
„ *nis & animæ originem destrue, cloacam voca uterum,*
„ *tanti animalis, idest, hominis, producendi officinam.*
Hactenus Lupus; qui quum carnis & naturæ humanæ veritatem in Christo adstruit, nostro etiam more Christum ex utero Virginali prodiisse, tegmine membranarum solito involutum, cruentumque affirmat; erroris proinde arguit Græcos, qui *Secundinas* Domino denegant, qui *fastidia partus* non admittunt, qui *Partum B. Virginis Matris nequaquam iis, quæ partum naturalem consequuntur, obnoxium esse* profitentur. In eandem cum Lupo sententiam inclinat Abulensis in cap. 12. Levit. quæst. 2. 3. 4. & 13. & clarius in cap. 20. Idem asseruit Erasmus Luc. 2.

Verum, B. Virginem peperisse absque ullo dolore, & in partu suo non emisisse Secundinas, unacum Græcis asserunt cæteri Patres. Audiatur Eminentissimus Baronius ad annum 1. ubi de Christi Domini Nativitate disserit. „ Sed jam ad ipsum sacrosanctum Virginis
„ puerperium redeamus: Quum naturæ Dominus gigni-
„ tur, naturæ legibus non tenetur. Quæ conceperat si-
„ ne viro, parit sine dolore: & quæ Virgo semper fue-
„ rat ante partum, æque permansit in partu, ac proin-
„ de eadem perseveravit post partum. Unde in Eccle-
„ sia Dei a perpetua Virginitate consequuta est cogno-
„ mentum. *Et mox*. Quæ ergo & in partu & post
„ partum Virgo, divina virtute permansit, æque si-
„ ne dolore parturiit, nec aliquo indiguit obstetri-
„ cantis obsequio: sed ipsa genitrix & (1) obste-
trix,

(1) Apud Cyprian. de oper. Card. in Nativ. Christi.

„ trix, devotam dilectæ soboli exhibet clientelam, at-
„ trectat, amplectitur, jungit oscula, porrigit mam-
„ mam, totum negotium plenum gaudio, nullus dolor,
„ nulla naturæ contumelia in puerperio: nihil sane com-
„ mune cum cæteris mulieribus habuit, ut non sicut
„ illæ, peccati pœna id exposcente, cum dolore pare-
„ ret, vel quæ partum sequuntur, experiretur molestias
„ lassitudinis. Quæ sine dolore aliquo mater fuit (1), ea-
„ dem & obstetricis munere functa est, quum a nulla
„ muliere didicisset: non enim permisit quemquam im-
„ puris manibus attrectare partum ab omni labe purum:
„ illa per se eum, qui ab ipsa & pro ipsa genitus est,
„ suscepit, pannis involvit, & in præsepio reclinavit „.
S. Thomas in 3. Part. quæst. 28. art. 1. 2. & 3. probat
B. Mariam fuisse Virginem in concipiendo, Virginem
in partu, & Virginem post partum: ita ut Christus Dominus
exierit per Virginis uterum clausum, sicut januis clau-
sis ad discipulos intravit. Cornelius a Lapide in Luc.
cap. 2. vers. 7. „ Sicut ipsa concepit, ita & peperit
„ manens Virgo, ac consequenter Christus natus est,
„ clauso Matris utero, eumque nascens penetravit, si-
„ cuti radii Solis penetrant vitrum. Hinc Beata Vir-
„ go uti concepit sine concupiscentia, ita peperit si-
„ ne dolore, sine lassitudine, sine Secundinarum fluxu
„ & illuvie, aliisque sordibus partus, sine obstetrice.
„ Ita Patres passim. Audi S. Gregorium hom. 26. in
„ Evang. *Illud corpus Dominicum intravit ad discipulos*
„ *januis clausis, quod ad humanos oculos per nativita-*
„ *tem suam clauso exiit utero Virginis* „. Adde S. Au-
gust. tract. 121. in Joann. „ Moli corporis, ubi divi-
„ nitas erat, ostia clauso non obstiterunt: ille quippe
„ non eis apertis intrare potuit, quo nascente Virgi-
„ nitas Matris inviolata permansit „. Franciscus Suarez
ad 3. Partem, Quæst. xxxv. Disput. xiii. Sect. 2., Chri-
sti Nativitatem absque dolore matris & sordibus puer-
perii perfectam esse, ostendit ex Patribus. Et primum
quidem, B. Virginem peperisse absque ullo dolore, as-
serit

(1) S. August. Serm. de Nativ. Christi.

ferit Greg. Nazienz. in Tragœdia de Christo patiente, Virginem introducens de se dicentem: *Parens expers laboris & doloris exstiti*. Idem docent Greg. Nyssen. orat. 1. de resurrect. Jo. Damascenus lib. 4 de fide cap. 15. Augustinus serm. 14. de Nativ. & serm. 1. de Assumptione. Bernardus hom. 3. in *Missus est*; S. Thomas in 3. Par. quæst. 35. art. 6. & Ecclesia in officio Nativitatis: *Nesciens Virgo virum, peperit sinè dolore Salvatorem sæculorum*. Deinde, Virginem in partu suo non emisisse *Secundinas*, probat ex Sophronii Epistola, quæ recitata est in Sexta Synodo Act. XI. ubi Partum Virginis vocat *incorruptibilem*, quia scilicet *sine fluxu sanguinis aut simili passione perfectus est*. Idipsum docent, Epiphanius lib. 3. contra hæres. *Natus est* (inquit) *per genitales meatus citra padefactionem, impollute, absque inquinamentis*. Cyprianus Serm. de Nativ. Christi: *Maria genitrix & obstetrix, nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio*. Augustinus contra Faustum: *Stulte, unde sordes in Virgine Matre, ubi non est concubitus cum homine patre?* Tum exponit modum, quo conceptio Christi sive facta dicatur absque Secundinis, sive cum Secundinis, necessarium tamen fuerit aliquod miraculum, a Deo eligendum, quod & dignitati divini partus, & conservationi perpetuæ Virginitatis Matris accomodatius esset, & facilius, ut omnia possint optime expediri. Denique ad illud Hieronymi contra Helvidium; *Junge, si libet, nostras contumelias, novem mensibus uterum intumescentem, fastidia, partum, sanguinem, pannos non erubescimus*: hæc verba (inquit) per exaggerationem intelligi possunt, sensu quasi conditionato, ut quando alteri respondendo dicimus, etiamsi totum quod assumit, concedatur, non sequi quod intendit. Sic inquit Hieronymus, licet necessarium esset concedere adversario illa, quæ in humana conditione vilia & abjecta esse videntur, non propterea negandum fuisse, Christum natum fuisse ex Virgine, & illam Virginem permansisse. Quo fit, ut si necessarium non sit omnia illa concedere, magis convincatur hæreticus, quod

sine

sine occasione vel causa in illam sententiam inciderit. Et quia revera illa concedere non erat necessarium, quasi se corrigens subdit Hieronymus: *Sed, ut hæc, quæ scripta sunt, non negamus, ita illa quæ non sunt scripta, renuimus*. Hæc Suarez: qui subjungit, hanc quidem responsionem satis facere posse huic loco, nisi idem Hieronymus in Epist. 22. ad Eustochium de custodia Virginitatis, mentem suam amplius explicuisset, dicens: *Novem mensibus in utero ut nascatur expectat, fastidia sustinet, cruentus egreditur*: Quorum verborum, inquit, nullam commodam expositionem invenio: nihilominus sententia a nobis explicata magis probanda videtur. Ego vero producta Hieronymi verba æque commodam expositionem habere ajo, ac ceteras Patrum locutiones, qui de Partu Virgineo loquentes, *Christum ex Maria vere natum, & naturaliter genitum* dicunt, adduntque, *eumdem e matris utero effusum, matris uterum aperuisse*: Quod quidem ex vulgata loquendi consuetudine (1) usurpatum est, non ad significandam Virginei claustri apertionem, sed exitum dumtaxat prolis ex utero: quemadmodum adversus Basnagium demonstravi Tom. 3. operum S. Ephræmi Græc. Lat. edit. Rom. 1746. in Epist. ad Cardin. Quirinum Sanct. Rom. Eccl. Bibliothecarium cap. x. a pag. LIX. Sic enim dicit Christus de seipso Joann. 16. *Exivi a Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mundum: & vado ad Patrem.* Et Joann. 6. *Quia descendi de Cælo*. Et infra: *Ego sum panis vivus, qui de Cælo descendi*. Quomodo enim exit a Patre, nisi Patrem relinquat? Quomodo vadit ad Patrem, nisi a mundo abscedat, & ad Cœlum pergat? quomodo de Cœlo descendit, nisi Cœlo relicto, in terram veniat? Et omnibus tamen fatentibus, hæc omnia sunt ex vulgata loquendi consuetudine usurpata, non ut significent id totum, quod nos facimus, quum eximus, quum vadimus, quum descendimus, quum ascendimus, nimirum, locum unum relinquentes, & alium occupantes; sed, ut nobis indicent, Verbum Patris e Cœlo in terram

(1) Ita Huetius in Origen. lib. 2. quæst. 4. pag. 66.

terram descendisse, quum simul in Cœlo esset, & in terra: a Patre exiisse, quum simul cum Patre & in Patre maneret: & cœtera similiter. Sic Patrem dicimus, & Filium, & Spiritum Sanctum, non omnia intelligentes, quæ his nominibus sunt primitus ab hominibus imposita: Pater enim, & Filius, ex communi loquendi more, sine matris opera non intelliguntur: & Spiritus, aura est, quæ movetur: Ab his tamen mentem erigimus ad alia materiei expertia, dum de Deo loquimur. Sic demum in Scripturis Deus dicitur videre, loqui, ambulare, manus habere, oculos, aures, pedes, & similia: quæ tamen non in sensu proprio, sed metaphorico tantum intelligimus. Eodem igitur modo loquuntur Patres de Christi nativitate, quum dicunt, a Christo Domino uterum Mariæ apertum, scilicet, *non ad significandum Virginei claustri apertionem, sed exitum dumtaxat prolis ex utero*. Hoc ipsum Patres docent, dicentes, Christum Dominum non aperto, sed clauso Virginis utero prodiisse: hoc Hieronymus profitetur in Ezechiel. cap.44. scribens: *Porta hæc clausa erit, & non aperietur. Pulchre quidam Portam clausam, per quam solus Dominus Deus Israël ingreditur, & Dux, cui porta clausa est, Mariam Virginem intelligunt, quæ & ante Partum, & post Partum Virgo permansit*: Hunc sensum denique reddit usurpatus ille tum in Symbolo, tum in omnibus utriusque Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis officiis, loquendi modus: *Conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*. Non esset utique ex Virgine natus, si Virginea claustra nascendo aperuisset. Sed de his fusius a me tractata sunt in Epistola Tomo tertio Operum S. Ephræmi Syri præfixa cap. x. quam vide.

CA-

CAPUT XX.

Trullani Canones, qui ad Armenios spectant.

SECTIO I.

Armeni haeretici Vinum purum sine Aqua offerunt in Sacra Liturgia.

Quinque sunt Trullani Canones in Synodo editi, qui ad Armenios referuntur. Videlicet, Can. 32. 33. 56. 81. & 99.

Primus est Canon XXXII. quo Graeci Armenos jure coarguunt, quod in Sacra Liturgia *Vinum purum sine Aqua* offerunt. *Quoniam* (inquiunt) *ad nostram cognitionem pervenit, quod in Armeniorum regione Vinum tantum in Sacra mensa offerunt, Aquam illi non miscentes qui incruentum Sacrificium peragunt, adducentes Ecclesiae doctorem Chrysostomum haec dicentem in interpretatione Evangelii secundum Matthaeum*: Quamobrem non aquam bibit, quum surrexit, sed vinum? *Improbam sane haeresim exstirpans. Quoniam enim nonnulli Aqua in mysteriis usi sunt; ostendens quod & quando mysteria tradidit, & quando, postquam resurrexisset, absque mysteriis solam ac nudam mensam apposuit, usus est Vino*, ex gemine, *inquit*, vitis: *Vitis autem Vinum, non Aquam generat: & ex eo Aquae in sacro Sacrificio adjunctionem Doctorem subvertere existimant: Ut non ab hoc tempore in posterum ignorantia teneantur, Patris sententiam orthodoxe aperimus. Quum enim improba Hydroparastatarum, hoc est, eorum qui Aquam offerebant, antiqua esset haeresis, qui pro Vino sola Aqua in proprio Sacrificio usi sunt, refellens hic vir divinus ejusmodi haeresis doctrinam, & ostendens, quod directe Apostolicae traditioni adversantur, id quod jam dictum est affirmavit. Nam & suae Ecclesiae, ubi est illi Pastoralis administratio tradita, Aquam Vino miscendam tradidit, quando incruentam*

peragi Sacrificium oportet, ex Christi nostri Redemptoris latere ex Sanguine & Aqua contemperationem ostendens, quæ in totius mundi vivificationem effusa est, & peccatorum redemptionem; & in omni verò etiam Ecclesia, ubi spiritualia lumina refulserunt, hic ordo divinitus traditus servatur. Nam & Jacobus Christi Domini nostri secundum carnem frater, cui Hierosolymitanæ Ecclesiæ thronus primum est creditus, & Basilius Cæsareensium Ecclesiæ Archiepiscopus, cujus gloria omnem terrarum orbem pervasit, mystico nobis in scriptis tradito Sacrificio, ita consecrandum in divina Missa ex Aqua, & Vino sacrum Calicem ediderunt. Et qui Carthagine convenerant Sancti Patres, his verbis aperte & præcise mentionem fecere, ut in Sanctis nihil plus, quam Corpus & Sanguis Domini offeratur, ut ipse Dominus tradidit, hoc est, Panis, & Vinum Aqua mixtum. Siquis ergo Episcopus vel Presbyter, non secundum traditum ab Apostolis ordinem facit, & Aquam Vino miscens sic immaculatum offert Sacrificium, deponatur, ut imperfecte mysterium enuncians, & quæ tradita sunt, innovans. De Jacobi Adelphothei, Clementis, Marci, Basilii, & Chrysostomi Liturgiis, recole quæ scripsi Tom. 3. hujus Bibliothecæ cap. 3. a pag. 48. ad 62. Trullani Patres, auctoritate Liturgiarum S. Jacobi, & S. Basilii, demonstrant, in Calice Vinum esse Aqua temperandum. Idipsum probant etiam ex iis, quæ S. Joannes Chrysostomus Constantinopolitanæ, cui Patriarcha præfuit, Ecclesiæ tradidit. Ostendunt denique ex Canone Carthaginensi XL. in quo sic (1) legitur: *Non licere ultra Panem & Vinum Aqua mistum, quidquam in Sanctis offerre. Ut in Sanctis nihil amplius, quam Corpus & Sanguis Domini offeratur, ut etiam ipse Dominus tradidit, hoc est, Panis & Vinum Aqua mistum.* „ *Quoniam vero* (inquit Zonaras in eund. Canonem) *illos* (2) *nonnulli negligebant, inter quos Armenii, qui Vinum solummodo inter Sancta offerebant, neque aliquam aquæ partem admiscebant, ut Se-* xtæ

(1) Apud Bevereg. in Synodico Tom. 1. pag. 565.
(2) Tertium nempe, & quartum Apostolicos Canones.

xtæ (1) *Synodi in Trullo, trigesimo secundo Canone sancitum est; fecit hæc Synodus, ut suum ipsa quoque decretum hac de re interponeret: quo quidem aliud quidquam, præter Panem & Vinum Aqua mixtum, in Sanctis offerri vetat: Panem quidem, qui Dominici Corporis, vinum vero, quod Sanguinis typum ac figuram gerat. Quum vero non solus Sanguis ex Dominico latere, sed Aqua etiam effluxerit, idcirco Vino, quod in Altari offertur, Aquam quoque præterea admisceri necesse est* „. *Hydroparastatarum* seu *Aquariorum* hæresis hæc olim fuerat, cujus mentionem faciunt S. Irenæus, Cyprianus, Philastrius, Augustinus, Joannes Chrysostomus. Principem hæreseos Marcionem constituit Epiphanius: *Aqua hic in mysteriis utitur*: Sequutus est & Tatianus, Marcionis surculus: *Mysteriis usus est ad imitationem Ecclesiæ, verum Aqua sola usus est in eisdem mysteriis*. Pergit Epiphanius de Encratitis: *Utuntur & ipsi mysteriis per Aquam. Vino omnino non utuntur, diabolicum esse dicentes, & bibentes, ac utentes, esse iniquos & peccatores*. Ex eo fonte & *Manichæi* dicunt *Vinum* esse fel principis tenebrarum: ideoque Sancti Leonis Papæ tempore, licet cum Catholicis Sanctum Eucharistiæ Panem dolose sumerent, sacrum tamen Calicem penitus aversabantur. Ex his Magistris (ut observat Lupus in hunc Trullanum Canonem) etiam Mahometes suis sequacibus Vinum interdixit. Sanctus Joannes Chrysostomus erroris duces statuit Ebionitas, de quibus & S. Irenæus: *Nolunt cælestis Vini permixtionem, sed sola illum recolunt Aqua*. Sanctus Cyprianus Epist. 63. ad Cæcilium, aliam Aquariorum speciem in Africa refert ac impugnat: „ Omnis religionis [*inquit*] & „ veritatis disciplina subvertitur, nisi id, quod spiri- „ taliter præcipitur, fideliter reservetur: nisi in Sa- „ crificiis matutinis hoc quis veretur, ne per saporem „ Vini redoleat Sanguinem Christi. Sic ergo incipit & „ a passione Christi in persecutionibus fraternitas retar-

(1) Communi Græcor., & nonnullor. Latinor. errore Trullana Synodus dicitur *Sexta*, quum a Sexta & tempore & auctoritate omnino differat; & *Quinisexta* dici debeat.

„ dari, dum in oblationibus discit de Sanguine ejus & „ cruore confundi „. Gentilium Frumentarii, mysteriorum Ecclesiæ Catholicæ non ignari, Christianos ex matutino Vini odore venabantur, omnemque illud mane redolentem, tamquam de Secta gravissime suspectum trudebant in custodiam. Quod periculum a plebe sua aversuri quidam simplices Episcopi, mane semper in sola Aqua, Vesperi autem dumtaxat in Aqua & Vino offerebant. Erroris causa fuit Episcoporum simplicitas, de qua ibidem S. Cyprianus. „ Viderit, siquis de Antecessoribus „ nostris vel ignoranter, vel simpliciter non hoc observavit, vel tenuit, quod nos Dominus facere exemplo „ suo & magisterio docuit; potest simplicitati ejus de „ indulgentia Domini venia concedi; nobis vero non „ poterit ignosci, qui nunc a Domino admoniti & in„ structi sumus, ut Calicem Domini cum Vino mixtum, „ secundum quod Dominus obtulit, offeramus. Et de hoc „ quoque ad Collegas nostros literas dirigamus, ut ubi„ que Lex Evangelica & traditio Dominica servetur, „ & ab eo, quod Christus & docuit & fecit, non re„ cedatur „. Ad istum ex Africa exstirpandum errorem conditus videtur, quem supra recitavi, Carthaginensis Canon quadragesimus.

Armenii e contrario, *Vinum sine Aqua* in Domini Calice offerebant. Erroris originem edicit Gregorius Sisensis eorum Patriarcha in literis ad Haytonem ex Rege Monachum, patrem Leonis Regis apud Clementem Galanum Tom. 1. Conciliat. Eccles. Armen. cum Romana pag. 86. *Interroga denique Cœnobitas istos, quid narret Albanensis historicus? Id plane, quod universo notum est Orienti: Decem nimirum Episcopos in Thevinensi Concilio permutasse totam pene Legem, quæ a Divo usque Gregorio in nobis inviolata perstiterat*. Ejusdem Conciliabuli meminit antiqua Armena Historia apud eundem Galanum Tom. cit. pag. 85. *Domnus Nierses Pacrievantanus ex oppido Ascdarachensi, annos quinque. Hic jussu Regis Persarum, ut Armenos separaret a Græcis, Synodum coëgit in Civitate Thevin: cujus*

suffra-

suffragio decrevit, Festivitates Dominicæ Nativitatis & Baptismi, esse simul una die concelebrandas; eo quod sicut Christus erat simul conjunctim Deus & Homo, ita pariter Nativitatem & Baptismum ipsius conjuncte uno die, & non pluribus divisim celebrari, fas esset. Præterea quoque superaddidit Trisagio verba illa: Qui crucifixus es pro nobis. Probibuit Armenis, ne Hierusalem amplius proficiscerentur, eosque a Græcis segregavit. De celebratione *Festorum Nativitatis & Epiphaniæ*, dixi in *Libro de Concordia & Discordia Ecclesiarum*, ubi de *Isaaco Armenorum Patriarcha*. De reliquis, quæ ab Armenorum Patriarcha Narsete Ascdarachensi contra Orthodoxam fidem sunt condita in Conciliabulo Thevinensi, infra sermo erit, ubi demonstrabitur Conciliabulum illud anno Chr. 536. celebratum fuisse. Mirari tamen subit, quod in eodem Thevinensi Conciliabulo nulla fiat apud Armenos Historicos mentio de *Aqua e Sacrificio sublata*, deque *Fermentato Pane* ab Armenis rejecto. Certe, quo tempore sub Mauricio Imperatore, Armenis hæreticis Imperio Chosrois Regis Persarum subjectis, præerat *Abrahamus* Patriarcha, orthodoxos vero in Romana ditione constitutos Armenos regebat *Joannes* a Cocolta, sive *Ghocovtanus*; jam invaluerat usus *Azymi* in sacrificio, & *Vini puri sine Aqua*: Sic enim ex Armena Historia scribit Quienus Orient. Christ. Tom. 1. pag. 1384. „ Chosroës grati animi causa (1) Armeniam integram (*anno 591. aut sequenti*) Mauricio Imperatori dedit ad Tiben seu Thevinum usque civitatem: Musilem Armenum exercitus Ducem ad eum Constantinopolim misit: quo, Regiæ hujus urbis fidelium communionem evitante, jussit Imperator Abrahamum (2) Catholicum & (3) Episcopos ad se a militaribus copiis duci. Venire

„ renuit

(1) Antequam bellum ob Mauricii cædem inter Persas & Romanos indictum fuisset; & signate postquam Mauricii ope Chosroes in Regnum Persicum restitutus fuit.

(2) Ita legendum; non *Moysen*, uti habet Galanus. Nam *Moyses* ultra annum 580. vitam non produxit: hæc autem gesta sunt anno 591. vel 592. quo Chosroes Secundus, Mauricii opera, ut modo dictum est, Regnum iniit.

(3) *Episcopos*. ita legendum ex iis quæ mox leguntur: non *Episcopum*, uti Typographi errore scribitur.

„ renuit Abrahamus , hoc dato responso : Absit , ut
„ transeam fluvium Azat , vel furno coctum comedam,
„ aut calidum bibam : significans scilicet , nolle se Eu-
„ charistiam ex Fermentato Pane confectam manduca-
„ re, & Calicem ferventi aqua , Græcorum more , de-
„ libutum potare, quum apud se Azymus Panis offer-
„ retur , & Vinum omni aqua purum . Eodem modo
„ Episcopi provinciæ Aspuran , Imperatoris jussa exce-
„ perunt , utpote qui sub ditione Persarum persevera-
„ bant , Azat fluvio a Romanis discreti . Provinciæ ve-
„ ro Taronis Præsules Constantinopolim profecti , post
„ multam disquisitionem , Catholicam fidem , datis cum
„ jurejurando libellis , professi sunt . Hos in Armeniam
„ reversos , Abrahamus admittere renuit , uti etiam re-
„ liqui de Persica Armenia . Quapropter Imperator ,
„ Taronis Catholicum designavit *Joannem a Cocosta*
„ *regionis Pancratorum* : ἐποίησε δὲ αὐτὸς Καθολικὸν τὸν
„ Ἰωάννην ἀπὸ Κωκοσᾶ παγκράτων χώρας (*quem Galanus*
„ *tom*, 1. *pag.* 125. *Joannem Ghocovtanum dicit* :) Arme-
„ ni hoc modo inter se divisi , mutuo pugnare coepe-
„ runt de duabus Christi naturis , deque Synodo Chal-
„ cedonensi totis quatuordecim annis , quibus in vivis
„ superstes Joannes (1) fuit , ἔτη ιδʹ, ἕως τῆς τελευτῆς
„ Μωσῆ (*Leg.* Ἰωάννη :) idest , quibus Joannes Sedem
Armeniæ tenuit , quam ex dictis patet eum tenuisse ab
anno 592. usque ad annum 606. per annos 14. quibus ex-
pletis ab Abrahamo compulsus fuit alio migrare : quum-
que sedisse dicatur annos 26. , obierit necesse est extra
Armeniam anno Chr. 618. Quo fit , ut Abraham quoque
in vivis superstes fuerit saltem usque ad annum 607. ac
proinde annos sederit non 23. sed 27. quot ab anno 580.
ad 607. numerantur . Pergit quippe Quienus ex Græca
narratione postquam dixisset anno Sedis decimo quarto
pulsum Joannem ab Abrahamo . „ Tum vero Abrahamus
„ Episcopos , Presbyteros , Monasteriorumque præfectos
„ coë-

(1) Apud Galanum , *Moses* . Ita & Quienus , uterque deceptus ab amanuensi narrationis Græcæ , qui pro *Joanne* , obtrusit *Mosen* : quum tamen Moses tempora Chosrois Secundi certe non attigerit .

„ coëgit, ut aut Synodo Chalcedonensi anathema dicerent, aut solum mutarent. Id factum Auctor Græcus eo anno narrat, quo Chosroës Armeniam sibi denuo vindicavit: ἐν ᾧ ἔτει προσέλαβε Χοσρόης Βασιλεὺς τὴν χώραν Ἀρμενίας, ὅτε καὶ Ἀβραὰμ κατεστάθη Καθολικός: *Quo anno Chosroës Rex regionem Armeniæ recepit, tunc & Abraham constitutus fuit Catholicus*, idest, Armeniæ universæ regimen accepit, quum antea Persicæ dumtaxat Armeniæ præfuisset. Qui statim in orthodoxos Armenos debacchari cœpit, auctoritate fretus Chosroïs, qui partem illam Armeniæ, quæ Romanæ ditionis erat, anno Phocæ quinto, Regni sui septimo decimo, Christi 606. subjugaverat. Quare Abraham, qui totam Armeniam invaserat, Joannem illum orthodoxum Patriarcham ejusque Episcopos adegit, ut alii in regionem Tais, alii in Romaniam, alii alio migrarent.

SECTIO II.

Synodus Charnensis Armenorum Orthodoxa.

Duravit istud Armenorum schisma in Thevinensi Conciliabulo anno 536. conflatum usque ad annum Christi 632. quo Synodus *Charnensis*, seu Theodosiopolitana sub *Esdra* seu *Jesere* Patriarcha orthodoxo, curante Heraclio Imperatore, congregata fuit. Ejecto enim *Christophoro*, qui post *Abrahamum* & *Chomitam*, Synodi Chalcedonensis hostes, Armenis Patriarcha per triennium præfuerat, ὁ Ἔσδρας (uti Græcus Annalista apud Combefisium & Quienum scribit) ὁ ἀπὸ Νικᾶ, ἔτη ί. *Esdras a Nica* subrogatus est, *seditque annos decem*. *Jeserem* illum appellat Annalista Armenus, ejusque gesta sic describit: „ Domnus, Sanctus Jeser Necainus, ex „ oppido Parrasnachiert, qui fuerat ab infantia in Patriarchali Palatio educatus, vixitque in Patriarchatu annos decem. Sub ipso celebratum est in urbe Charno „ Concilium, jussu Heraclii Imperatoris, qui ad illud „ convocavit omnes Episcopos & Principes Armeniæ,

„ una-

„ unacum Jesere eorum Patriarcha, necnon plures Græ-
„ corum Sapientes: quibus post menstruam collationem,
„ & diligentissimum examen, omnes prædicti Armeni
„ consenserunt: atque cum Græcis reconciliati, Thevi-
„ nense Concilium anathemate percusserunt: Festivita-
„ tes Nativitatis & Baptismi Domini, rursus ut antea,
„ separatim celebrandas decrevere: & Additionem il-
„ lam, *Qui crucifixus es pro nobis*, a Trisagio remo-
„ ventes, illud erga Sanctam Trinitatem ita deinceps
„ statuerunt decantandum, *Sanctus Deus*, *Sanctus For-*
„ *tis*, *Sanctus Immortalis*, *miserere nobis*: Sacrum de-
„ nique Concilium Chalcedonense, ejusque Decreta,
„ haud aliter ac tres alias præcedentes Sanctas Synodos,
„ honore prosequuti sunt & receperunt „. Hoc ipsum
legitur apud Annalistam Græcum, „ Sedente illo (*idest*,
„ *Esdra*) Heraclius Imperator, vigesimo tertio Im-
„ perii sui anno, & quarto a morte Chosrois, ma-
„ gnam Synodum Episcoporum & Doctorum Majoris Ar-
„ meniæ, accersitis Catholico & Azatis omnibus, Theo-
„ dosiopoli haberi præcepit, inquiri, & dispicere de
„ duabus in Christo Deo nostro naturis, & de Synodo
„ Chalcedonensi. Per mensem integrum quæsierunt, &
„ ex scripturis Armeni convicti sunt, juraveruntque;
„ scripta propria manu schedula, nihil se amplius con-
„ tradicturos „. Annus Heraclii *vigesimus tertius* res-
pondet anno Christi 632. quo *Synodus Charnensis* est ce-
lebrata: de qua Synodo hæc Glauaus Tom. 2. conciliat.
Eccles. Armenæ cum Romana p. 126. & seq. „ Hic igi-
„ tur optimus Armeniæ Patriarcha Jesdras, jussu Hera-
„ clii Imperatoris, quo tempore is, Chosroa profligato,
„ universam Armeniæ regionem sub Romani Imperii
„ ditionem redegerat, magnam coëgit Synodum in ur-
„ be Charno, alias Theodosiopoli, ad quam convene-
„ re omnes, nedum Episcopi ac Magistri, verum etiam
„ optimates Armeni, ac præterea Episcopi Græcorum,
„ & Syrorum nonnulli, Heraclio sic jubente, ut nimi-
„ rum coram Armenis Primoribus, Catholicæ fidei, Sy-
„ nodique Chalcedonensis negotium, ac præteriti schis-
„ matis

„ matis causa, inter utrosque Episcopos accuratius se„ rioque expenderetur. In ea itaque post menstruam „ collationem ac diligentissimam rerum discussionem, „ omnes Armeni Patres Græcis consentientes, Decreta „ Thevinensis Conciliabuli denuo abrogarunt, suscipien„ tes Chalcedonense Concilium, ac duas Christi natu„ ras, Trisagiumque sine Petri Fullonis Appendice. Un„ de Armenam Ecclesiam cum Catholica iterum com„ ponentes, scripta manu propria schedula, nihil se „ amplius ea in re contradicturos juraverunt „. Addit idem Galanus Tom. 1. pag. 187. præter jam dictos articulos de duabus Christi naturis profitendis, de Concilio Chalcedonensi admittendo, deque Trisagii Appendice rejicienda, atque Conciliabulo Thevinensi anathematizando, actum in ea Synodo etiam de Dominicis Festivitatibus Nativitatis & Baptismi, duobus distinctis diebus celebrandis, deque *Mistione Aquæ cum Vino* in sacris mysteriis. In eo tamen (1) fallitur, dum Tom. 1. pag. 186. asserit, eam Synodum anno Chr. 622. habitam fuisse: non enim Heraclius anno 622. Chosroam profligavit, quemadmodum idem Galanus supponit, scribens, *Chosroa profligato, Synodum Charnensem jussu Heraclii congregatam*: sed anno 628., profligato jam Chosroa, & a Siroë filio interfecto, pacem Romanos inter & Persas quum Heraclius composuisset, *urbes Armeniæ, Ægypti, & Syriæ subegit*, sicuti ex Elmacino ostendit Pagius ad ann. 627. n. 10. Adeoque *post quatuor annos*, Synodum in Armenia celebrari jussit, *anno Imperii sui vigesimo tertio* (Chr. 632.) uti Annalista Græcus habet.

Porro meminit hujus *Charnensis Synodi* Gregorius Sisensis Patriarcha in Epistola ad Haytonem Armeniæ Regem (apud Galanum Tom. 1. p. 188.) dicens: „ Heraclius Imperator quum ob Sanctam Crucem profe„ ctus esset in Orientem, omnes Armenos Patres con„ vocavit, qui post menstruum examen, concordiam

(1) In eundem errorem a Galano inductus est cl. Mansius in sua Conciliorum Collectione, ex qua Charnensis Synodus in Labbeanam Veneticam Tom. VI. p. 1418. transcripta est; ubi ad ann. Chr. 622. eadem Synodus perperam ponitur.

„ & unionem iterum componentes, fusceperunt usum „ *Aquae* in Sacrificio, celebrationem Dominicae Nativi- „ tatis die xxv. Decembris, aliaque omnia „. Memoratur etiam eadem Synodus in Actis Concilii Tarsensis, „ in haec verba : „ Jeser Patriarcha noster, tempori- „ bus Heraclii Imperatoris, Unionem composuit, quae „ tamen non firma permansit „ *Et Nierses Lampronensis* „ *Episcopus ad Patres ejusdem Tarsensis Concilii* : Ubi „ relinquemus verba Jeseris Patriarchae, suique Conci- „ lii assensum ?

In Synodo, quam Mechitarus Patriarcha, consentiente Constantino Armenorum Rege unacum Episcopis, Magistris, & Abbatibus Monasteriorum idcirco congregavit, ut Libello errorum a Benedicto XII. Pontifice Maximo anno Chr. 1342. sibi transmisso responderet, ad Articulum xxxv. causam reddit, cur Armeni ab haereticis Syris Monophysitis decepti, Synodum quidem Chalcedonensem rejecerint; ad orthodoxam tamen fidem amplexandam sub Heraclio Imperatore & Esdra Patriarcha sint adducti. *Tamen non est mirum* (inquit apud Martene Tom. VII. Vet. Script. collect. pag. 355.) *si Armeni defecerunt de facto duarum naturarum : quia, ut vos bene scitis, in Synodo Ephesina universaliter a tota Ecclesia condemnatus fuit nefandus Nestorius cum haeresi sua, qui dicebat duas naturas, duas personas, & duos Filios in Christo; & condemnationem istam Nestorii, & haeresis ejus, Armeni condemnaverunt in tota Ecclesia. Sed post modicum tempus facta fuit Synodus Chalcedonensis, in qua determinatum fuit, duas naturas confiteri & unam personam in Christo, licet ii dixerint naturas esse unitas in persona : & in hac Synodo Armeni non erant, ut veritatem scivissent : ideo quoniam audierunt ab Assyriis, quod confirmaverunt haereses Nestorii, tunc inceperunt declinare a Synodo, sicut ab haeresi Nestorii. Sed tamen Ecclesia Armenorum in diebus Erach* (Heraclii) *Caesaris, & Esdrae Catholicon Armenorum, quaerentes veritatem cum solemni Synodo, receperunt Concilium Chalcedonense cum determinationibus suis, cum aliis Sanctis*

Syno-

Synodis, *& a dicto Esdra usque ad septem Catholicon*, *sic tenuerunt*. Idem Mechitarus Patriarcha in Responsione ad Art. XXXVII. pag. 357. de tribus Armenorum, ut vocant, Catholicis, deque eorum circa Orthodoxam fidem discrimine, sic ait: *Catholicon de Alvane* (Columbarum, seu Eccimiazensis) *est antiquus*, *& constitutus a B. Gregorio*; *sed Archamarensis* (Achtamarensis) *Archiepiscopus est*, *& quandoque obediebat Catholicon*, *& de parvo tempore citra*, *nomen Catholicon imposuit sibi*: *quare excommunicatus fuit a Catholico Armenorum*, *& adhuc est in excommunicatione*: *tamen Baptismus*, *fides*, *& officium*, *& ordinationes Ecclesiæ*, *& doctrina eorum trium per unum modum fuerunt usque ad illud tempus*, *quod Catholicon*, *qui est in Armenia minori*, *& Rex*, *simul cum obedientibus eis*, *uniti fuerunt cum Ecclesia Romana*: *Nunc autem ista est differentia inter nos*, *& eos*, *quia nos ponimus* Aquam *in sacrificio*, *& facimus festum Nativitatis XXV. Decembris*, *& dicimus in Christo duas naturas unitas in una Persona Filii Dei*, *& recipimus Sanctam Synodum Chalcedonensem*, *& confitemur Purgatorium*, *& cognoscimus Primatum Ecclesiæ Romanæ*; *sed ipsi secundum antiquam consuetudinem*, *non ponunt Aquam in sacrificio*, *& faciunt festum Nativitatis & Epiphaniæ sexta Januarii*, *& dicunt Christum perfectum Deum*, *& perfectum hominem*, *tamen unam naturam*, *propter ineffabilem Unionem*, *secundum verbum Cyrilli*, *qui dicit*, *quod una est natura Verbi incarnati*; *& adhuc non recipiunt Concilium Chalcedonense*, *neque nomen Purgatorii audiverunt*, *nisi de* (1) *quinquaginta annis citra*, *& non cognoscunt Primatum Ecclesiæ Romanæ*. Denique in Responsione ad Art. XXXIV. pag. 353. causam profert, cur Armeni Aquam in Sacrificio non ponunt; egregie tamen fallitur, dum asserit, tempore S. Joannis Chrysostomi institutum fuisse, ut Aqua in Sacrificio apud Græcos primum poneretur. Sic enim habet Articulus: *Græca vero Ecclesia non est Ecclesia Catholica vel Apostolica*, *quia ponunt Aquam in Vino in Sacri-*

(1) Hoc est, anno Chr. 1292.

Sacrificio, *& quia dicunt duas naturas esse in Christo*, *& quia faciant festum Nativitatis Domini XXV. die mensis Decembris*. Responsio autem ejus hæc est. *Sciendum est*, *quod Græci primo in Sacrificio non ponebant Aquam*, *& festum Nativitatis*, *sicut Armeni*, *faciebant sexto die Januarii : Sed postea in diebus Joannis Osauri*, *Ecclesia Græcorum a Pontifice Romano recepit Aquam ponere in Sacrificio*, *& festum Nativitatis facere XXV. Decembris : sed Ecclesia Armenorum non recipit* (recepit) *quia Catholicon Armenorum Sanctus Isaac dejectus est de Sede sua*, *& non habebat Ecclesia Armenorum Caput quod recepisset supradicta*, *sicut aliæ Ecclesiæ : & sic remansit ad pristinam consuetudinem*. *Græci autem postquam receperunt Aquam in Sacrificio ponere*, *& festum Nativitatis colere* XXV. *Decembris*, *inceperunt opproprium Armenis*, *& Armeni Græcis*. Duo hic afferuntur ab Armenorum Patriarcha : Primum, quod tempore S. Jo. Chrysostomi Ecclesia Græca a Rom. Pontifice accepit, festum Nativitatis Domini die xxv. Decembris esse celebrandum. Hoc verum est, idque à nobis demonstratum in Libro de concordia & discordia Ecclesiarum. Alterum, ejusdem Chrysostomi temporibus Ecclesiam Græcorum a Romana recepisse Aquam ponere in Sacrificio. Hoc falsum: idque ipsum nosse potuisset Mechitarus Patriarcha ex Gregorii, sui decessoris, Armenorum Sisensis Patriarchæ, Epistola ad Haytonem patrem Leonis Armeniæ Regis, qua ostenditur, usum Aquæ in Sacrificio a Christo Domino institutum. En ejus verba apud Galan. tom. 1. Conciliat.Eccl. Armen. cum Romana pag. 436. „ Est enim „ in hac Ecclesia penes nos, qui in aliis quoque Orientis Ecclesiis, & Monasteriis nostris reperitur, Athanasiii liber in Armenum idioma translatus, ubi agens „ de Missæ Sacrificio ille ait, quod Christus Calicem „ Vini mistum accepit. Extantque, quas præsens tibi „ defert literarum fasciculus, Alexandri, & Julii Romanorum Pontificum literæ, in quibus Missæ Sacrificium „ sine Aqua conficientes anathematizantur : & hoc ipsum „ referunt etiam Ambrosius, & Cyprianus. Est insuper

„ apud

„ apud nos, qui prius erat nostri Avunculi, Radifidei, „ Liber Irenæi Apostolorum successoris, ubi Aquæ Vino miscendæ fit mentio, in cujus margine propria „ Avunculi nostri manu notatum legitur: *Vide, quod etiam Aqua in Missa requiritur*. Extabat præterea Canon a nobis nuper transcriptus, in quo Cypriani & „ Carthaginensis Concilii eadem de Aquæ necessitate verba legebantur: illudque Concilium non novum, sed „ vetus est, & prope Nicænum: necnon in Sexto Concilio idem reperitur Canon, excommunicatio, & anathematizatio. *Et post pauca*. Cujus tandem rei testes „ habemus non modo omnium Christianorum Ecclesias; „ verum etiam ipsos Armenos libros; nostros insuper „ laudabiles Assyrios, quorum nullus sine Aqua Sacrificium peragit „. Hoc ipsum quoque discere debuerat ex Actis Synodi Sisensis anno Armenorum 756. Chr. 1307. quam ipsemet Mechitarus Patriarcha non semel laudat: in ea enim Synodo (apud eund. Galan. tom. cit. pag. 462.) de Aqua Vino miscenda sic legitur. „ Cæterum, quod „ talis in Calice mistio necessaria sit, ostendit itidem „ (*Gregorius nempe Patriarcha*) ex Sanctorum Patrum „ traditionibus, hoc pacto. Magnus Chrysostomus in sua „ Liturgia ait: *Accedens unus militum, lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis: hæc dicens, infundat infundat Vinum: & Aqua, infundat Aquam:* „ sic manifesto declarans, Aquæ mistionem in sacris esse „ mysteriis necessariam. Idem indicat divus Basilius in „ sua quoque Liturgia: *Accipiens*, inquit, *Calicem, miscens, benedicens &c.* Similiter & S. Athanasius in tractatu de Baptismo circa finem ait: *Vides hanc mensam in medio Altaris appositam, & ad Ecclesiæ decorem afferendum institutam?* Et post alia subdit: *Hæc est Cœnaculum, in quo cum Redemptore recumbis: ubi comedentibus illis, accipiens Jesus panem, fregit, deditque discipulis dicens: accipite, & comedite: hoc est Corpus meum. Et accipiens Calicem Vini mixtum, gratias egit, & dedit eis, dicens: accipite, & bibite ex eo: hic est Sanguis meus*. Et post pauca. Hoc „ idem

„ idem præterea injunxere Sancti Patres, qui in Sexta
„ Synodo (*idest, in Trullana Quinisexta*) convenerunt
„ tempore Justiniani Imperatoris, ubi multa nobis de
„ Aquæ hujus necessitudine tradiderunt: & hoc itidem
„ ipsum decretum fuit a Sanctis Patribus in Magna Sy-
„ nodo Carthaginensi tempore piissimi Imperatoris Ho-
„ norii celebrata: quæ siquis videre desiderat, legat
„ Sextum (*Quinisextum*) Concilium can. 32. & Conci-
„ lium Carthaginense Can. 37. Præterea quoque Sanctus
„ Alexander, septimus post Petrum in Cathedra Roma-
„ na Pontifex, de hoc sacro mysterio scribens „. Cætera. Pergit citans Julium Papam, Cyprianum, Ambrosium, & alios, qui ex Christi Domini institutione affirmant, non posse Calicem Domini esse Aquam solam, aut Vinum solum, nisi misceatur utrumque. Denique Adanensis Synodus anno Chr. 1316. celebrata, quam idem Mechitarus laudat, monere ipsum debuerat, usum miscendæ Vino Aquæ in Sacrificio, ab ipso Redemptore profluxisse. Lege Acta ejus Synodi apud eund. Galan. tom. cit. a pag. 479. ad pag. 487.

Ad fabulas igitur amandantes, quod de Græcis asseritur, a Romana Ecclesia primum accipientibus tempore S. Joannis Chrysostomi, ut Vinum in Sacrificio Aquæ miscerent; affirmamus verum esse, quod Mechitarus de Esdra Patriarcha & Heraclio Imperatore scribit, solennem nempe Synodum coëgisse, in qua Armeni Synodum Chalcedonensem admiserint, & usum Aquæ in Sacrificio probaverint. Quod autem idem Mechitarus loc. cit. subdit: eandem orthodoxam fidem a dicto Esdra usque ad septem Catholicos ab Armenis retentam fuisse, *sed post hæc Joannem de Ozna fecisse Synodum in Manasgarde cum sex Episcopis Assyriis, & paucis Armenis contra Catholicos prædecessores suos, & fecisse declinare multos a veritate*: id, inquam, ipsum indicant hæc Patrum Synodi Tarsensis verba de unione Armenorum cum Ecclesia Catholica temporibus Esdræ Patriarchæ inita: *Quæ tamen non firma permansit*. Nam Annalista Armenus, postquam de Charnensi Concilio, quæ supra sunt

reci-

recitata, ſcripſiſſet, ſubjungit (1): „ His autem omnibus, unus ſolummodo Joannes Maracumenſis, qui adverſaretur, repertus fuit: Et hic damnatus, pulſusque in exilium, in hæreticorum numerum adſcriptus eſt „. Clariſſimus Manſius in ſua Conciliorum Collectione, Charnenſem quidem Synodum ad annum Chriſti 622. (Galanum ſequutus) ponit; quum autem illam ex eodem Galano (2) deſcripſiſſet, addit: „ Meminit & „ Photius (3) Epiſt. ad Zachariam Armeniæ Patriarcham, „ quæ Ms. apud Armenos hodie aſſervatur, teſte eo- „ dem Galano Par. 2. Tom. 1. pag. 28. In hoc Concilio „ habitus fuit primus Pauli Monoculi Severi Sectatoris „ cum Heraclio Imperatore congreſſus, de quo Sergius „ Patriarcha CP. in Epiſtola ad Honorium Papam „. Verum (cum bona venia doctiſſimi viri) alius fuit *Pauls Monoculus* qui anno 622. cum Heraclio congreſſus dicitur, & alius *Joannes* Maracumenſis, qui anno 632. in Concilio Charnenſi hæreticorum dogma propugnavit. Joannes iſte adverſus *Chriſtophorum*, & *Chomitam*, Eſdræ proximos deceſſores, dignitatem Catholici Armeniæ ambierat: quin etiam *Chomitas* ipſe (uti Annaliſta ſcribit apud Quienum Tom. 1. Orient. Chriſt. pag. 1386. num. 31.) „ Anxie cupierat, ut Joannes ſuæ Se- „ dis ſucceſſor fieret: quod tamen ei minime conceſſum „ eſt, ſed *Chryſtophorum elegerunt*, Abrahamitam di- „ ctum, eo quod ex illuſtri progenie Abrahami Catho- „ lici XXIX. eſſet. Quum autem Chriſtophorus ſede ex- „ turbatus eſſet, quumque æmulus illius Joannes, de ejus „ exturbatione valde gauderet, ceu nempe locum ejus „ eſſet occupaturus, ſpe ſua cecidit: Eſdras quippe con- „ ſtitutus fuit Catholicus, quem Joannes (juxta Græ- „ cum Annaliſtam) βλοσυρῷ τῷ ὀφθαλμῷ αὐτὸν ὑπέβλε- „ πεν, *infenſo oculo* contuebatur „. Solus itaque hic Joannes Charnenſi Concilio ab Eſdra propugnato adverſabatur.

(1) Apud Galan. Tom. 1. pag. 186.
(2) Vide etiam Tom. VI. Concil. Labb. edit. Venet. pag. 1418.
(3) Imo, *Joannes Nicænus*, qui Photio curante circa ann. Chr. 862. ad Zachariam Armenor. Catholicum miſit eam Epiſtolam, quæ a Combefiſio Græce & Latine edita eſt Tom. 2. Auct. Bibliothecæ Patrum Græcæ.

tur. Euthymio in Panopolia pro *Joanne Maracumensi*, vocatur *Euchanius Mandacunes*, diciturque Eutychiano errore imbutus, concitans sodales Monachos, aliosque nonnullos, ut nec Synodi decreta susciperent, nec cum *Esdra* aliisque idem sentientibus Episcopis communicarent. Sed Esdras Patriarcha coram Episcoporum cœtu Joannem his verbis obtestabatur: „ Tertio te vocavi, „ nec non Stephanum, & Mathusala, dicens: Vos, qui „ mundi doctores estis, venite, faciamus satis Imperato- „ ri: nunc autem reprehenditis, quod iis (*Græcis nem-* „ *pe*) consenserimus. Nos quæ audivimus ab eis, vera „ existimamus, duasque in Domino Jesu Christo natu- „ ras confessi sumus; nimirum, perfectam in Deitate; „ & perfectam in humanitate, in una hypostasi, ac per- „ sona una, Incarnationem indivisam: quia quas legi- „ mus, Scripturæ tum nostræ, tum illorum, idipsum „ confirmabant. Unde nos eorum sermonibus fidem ha- „ buimus, juxta quod Scripturæ Sacræ ferebant. Nec- „ dum enimvero anni præteriere: omnes Sanctorum Pa- „ trum Scripturæ apud nos sunt „. Ubi autem Esdras scripta testimonia ostendit, ait Joannes: „ Omnia hæc „ addiderunt Nestoriani scriptis Sanctorum Patrum: qua „ etiam ratione olim Saturninus hæreses multas adde- „ bat Scripturis Sacris, puta verba illa Evangelio: *Cæ-* „ *pit Jesus pavere & tædere: apparuit autem illi Ange-* „ *lus de cælo, confortans eum; & factus in agonia*, „ *prolixius orabat: & factus est sudor ejus, sicut gut-* „ *tæ sanguinis decurrentis in terram* „. Videbantur enim Joanni verba hæc suæ sententiæ contraria; idcirco ea tamquam ab hæreticis addita rejiciebat. His autem auditis omnes prorsus ab eo defecerunt. Quienus in Oriente Christiano Tom. 1. pag. 1387. „ Hic Joannes „ Maracumensis (*inquit*) mihi non est alius a Joanne „ Maurocomita, quem Joannes Nicænus Epist. ad Za- „ chariam Catholicum Armenorum, seductorem dicit, „ & Juliani Halicarnassensis (1) consiliorum socium pu- „ tavit

(1) Joannis Nicæni verba sic intelligenda sunt, non quasi Maracumensis Synchronus Juliani fuerit, sed quod eadem cum Juliano senserit.

„ tavit. Quod tamen postremum, ratione temporum, „ a veritate alienum dixi: Rursum narrationis auctor „ refert, Joannem istum, Armenos qui a Theodosiopolitana Synodo defecerant, Stephanum quoque Episcopum Cartamanæ, & Mathusalem ortum ex urbe Sina, „ provocasse, ne Esdræ Catholico communicarent, aut „ cum illis qui eadem ac ille saperent. Quæ quum ille moliretur, venisse Stephanum Cartamanensem & „ Mathusalam ad Esdram Catholicum, ejusque communionem inivisse. Ex quo in Joannis odium incurrerunt: quumque multis illos Joannes injuriis affecisset, „ nihil tamen obtinuit: omnes enim prorsus ab illo defecerunt: quin Armeni Catholicam fidem mordicus „ tunc tenuerunt „.

Morte sublato Esdra, operam studiumque adhibuit Joannes ille Maracumensis, ut ejus Sedem, magnatum opera, occuparet. Nihilominus spe sua excidit, suffecto illi *Nersese*, de quo Græcus auctor: „ ὁ Νερσέσης, ὁ ἀπὸ ἰσχιᾶ ἔτη κ'. Nerseses ab Ischna, „ annos xx. *Et Armenus Annalista*: *Domnus Nierses* „ Dajanus ex oppido Ischanaz, annos xx. Qui divinæ caritatis fervore accensus erat, cæterisque virtutibus ornatus. Quapropter ædificavit magnificentissimum illud gregis rationalis ovile (*Monasterium*) in „ urbe Vagarsciabat, Ecclesiam quoque in loco Purgatorii Sancti Martyris (*Gregorii Illuminatoris*) in civitate Ardasciad (*Artaxata*) & Templum aliud in urbe Thevin. „ Nierses igitur, Catholici dignitatem adeptus, Concilium coëgit Episcoporum, Magistrorum, & Azatorum, ad quod *Joannes* ille vocatus, communi omnium sententia, in exilium pulsus est & in montem Caucasum, jussu Theodori Armenicorum præsidis, deportatus. Verum, mortuo *Anastasio*, qui post Niersesem annos VI. Patriarchalem Sedem rexit, idem *Maracumensis* iterum in Armeniam reversus, suos ubique errores pro viribus disseminabat, donec senio confectus interiit. Eo tamen extincto, pristinus error per ejus discipulos apud Armenios propagatus fuit. In Græca de Ar-

Armeniorum gestis narratione fertur, post Anastasium, *Israel Vanantanus per annas sex*, deinde *Isaac per annos 29. sedisse*: additurque, hunc *Isaacum* a Justiniano, anno Imperii ejus quinto, unacum Episcopis ei addictis, Constantinopolim fuisse evocatum, atque cum iis conciliatum, qui duas Christi naturas in una Hypostasi sine confusione conjunctas, confitebantur; eos tamen in Armeniam reversos, ad pristinum errorem unacum Isaaco rediisse. Ita Græcus Annalista de Armeniis narrat. At vero nihil horum habent Annales Armenorum, sed hæc de Isaaco referunt. *Domnus Isaac, qui fuit ex patre Zoropparanus, ex oppido Arcascini, ex matre vero Masussinus, ex oppido Perteghnuoz, annos 29. Hic mancipium factus à nefario Præside, missus fuit Damascum, ubi & mortuus est in Haran. In ejus obitu miraculum quoddam animadvertens Dux generalis exercitus Saracenorum, qui erat Armeniorum Præses, plurima Armenis ipsis beneficia contulit*. Quin etiam Gregorius Armenorum Catholicus in Epistola ad Haytonem Regem, de Patriarchis qui *Esdræ* successerunt, sic scribit. „ Post domnum Jesdram tunc temporis Patriarcham, „ quinque alii Patriarchæ successores in eadem perstiterunt fide (*idest*, *Catholica*) ex quibus unus fuit „ Sanctus Isaac, ille, qui dum Mahometem (*Saracenorum militiæ Ducem & Armeniæ præsidem*) pro Armenis adiret, diem suum obivit in Mesopotamia, descenditque super eum lux de cœlo, in cujus morte „ multa miracula patrata sunt. Quare superveniens Mahometes, Epistolamque increpatoriam ab eo sibi relictam legens, aperuit illius sepulcrum: repertoque „ cadavere incorrupto, dexteram illius osculatus est, „ dicens: quidquid mihi jussisti, exequar, moxque inde discedens, Armenos Monachos è captivitate liberavit: eamque dexteram nos ipsi in Ghelajensi vi„ dimus civitate adhuc incorruptam, quæ deinde ar„ gento exornata fuit „. Hæc Gregorius Patriarcha Regi Haytono. „ Verum (inquit Quienus Tom. 1. Orient. Christ. pag. 1389.) hæc in falsi suspicionem veniunt pro-

„ pter

„ pter Narrationis auctoritatem, quæ, illo Isaac Catho-„ lico in vivis superstite, scripta (1) fuit „. Ego vero fidem potius adhibendam censeo Armeno Patriarchæ (& ei quidem, qui orthodoxam fidem colebat) de rebus gentis suæ scribenti, quam Græco auctori, qui Isaaco Patriarchæ id tribuit, quod ad alios nonnullos Armenos hæreticos, a Maracumensi ejusque discipulis seductos, referendum est. Quid? quod idem Quienus loc. cit. si verba Annalistæ Græci cum Gregorii Patriarchæ relatione contulisset, Isaacum quidem non modo ab ea hæreseos labe immunem pronunciasset, sed etiam seipsum ab eo errore vindicasset, quo *Haran* (2) Mesopotamiæ urbem, in qua mortuus est Isaac & sepultus, confundit cum alia Cœlesyriæ urbecula juxta Damascum sita, quæ *Cara* appellatur.

Græcis itaque Auctoribus in Isaaco finem narrationis suæ imponentibus, reliqua ex Armenorum Annalibus sunt petenda. Isaaco post Sedis annos 29. mortuo successit *Elias Jelivodanus ex oppido Dirargi, qui anno Armenorum* 112. *sedit, vixitque in Episcopali Sede annos* 24. Ita Galanus Tom. 1. p. 198. & Quienus Orient. Christ. Tom. 1. pag. 1390. qui ex eo Annalista Armeno addunt: „ Sedis itaque Armeni Patriarchatus, a San-„ cto Gregorio usque ad Niersesem Ascdarachensem, a „ quo Thevinense Concilium ex mandato Regis Persa-„ rum actum fuit, exstitit obediens Sanctæ Romanæ Ec-„ clesiæ, annos 218. quo tempore sederunt in ipsa Pa-„ triarchæ viginti, omnes eidem Sanctæ Romanæ Ec-„ clesiæ obtemperantes. Ex Niersese autem Ascdara-„ chensi, fuit Sanctæ illi Ecclesiæ contraria usque ad „ Jeserem Parrasnachiertensem annos 112. sederuntque „ in ea Patriarchæ septem, Ecclesiæ Romanæ adversa-

 „ rii.

(1) Græca narratio in Isaaco quidem desinit: quis tamen dixerit, ejus narrationis auctorem sub Isaaco vixisse? aut undenam Quienus hoc habet? Certe Catalogus Patriarchar. Antiochiæ in Anastasio, & Hierosolymorum in Sophronio desinit: nec tamen eorum Patriarcharum Synchronus Nicephorus Callistus illius Catalogi auctor, dici potest.

(2) Verba Quieni pag. 1389. hæc sunt: „ De illa urbe Haran, quæ prope „ Damascum exstabat, suus dicendi locus erit „.

„ rit. E concordia vero Jeseris usque ad Joannem Oz-„ niensem, iterum obediens annos 95. Patriarchæ (1) „ vero sex. Igitur ex tempore Gregorii usque huc, „ supputantur anni 425. Patriarchæ 33. Ex quibus per-„ stiterunt in eadem obedientia Patriarchæ 26. annos „ 313. In schismate vero Patriarchæ septem annos 112. „ Error manifestus in *anno Armenorum* 112. quo Elias Jelivodanus Isaaco successisse dicitur: nam annus ille Armenorum respondet *anno Christi* 663. Quum autem *Esdras* sive *Jeseres*, anno *Chr.* 632. Concilium Chrnense habuerit, huic anno si addantur anni subsequentium Patriarcharum, nimirum, *Niersesis* 20., *Anastasii* 6., *Israelis* 6. seu 5., & *Isaaci* 29. (qui summam annorum 61. vel 62. conficiunt) habebimus annum Chr. 693. seu 694., non 663. Legendum proinde, *Anno Armenorum* 142. qui in annum Chr. 693. incidit: Id quod ex eodem Annalista Armeno mox demonstrabitur. Scribebat autem hic Annalista post *annum*, seu, si placet, *Anno Christi* 1323. Eo quippe anno definit ipsius Catalogus. Quum enim narrasset (apud Galanum Tom. I. pag. 452.) quod *anno Armenorum* 756. (Christi 1307.) *Synodus Sisensis*, vacante Sede Patriarchali, sit habita, subjungit: „ Deinde communi omnium consensu, du-„ ceque Spiritu Sancto, Anno Armenorum 756. Fe-„ ria V. majoris hebdomadæ, constitutus fuit in Se-„ de Patriarchali Dominus Constantinus, Episcopus Cæ-„ sariensis, qui sedit annos 16. Vir admirabili quidem „ mansuetudine, & humilitate decorus. Quibus pera-„ ctis, Leo Rex, ejusque pater Hayton, cum reliquo „ Armenorum Principum cœtu, commiserunt Patriar-„ chæ, ut per easdem semitas, Ipsius Sisensis Concilii „ sanctione præscriptas, populum Armenum deduceret „. Hæc sunt postrema Annalistæ Armeni verba, qui post Sisense Concilium annos 16. vixerit, oportet. Quo vero

(1) Mechitarus Patriarcha in Responsione ad Art. 15. apud Martene Tom. VII. pag. 351. *A dicto Esdra usque ad septem Catholicos sic tenuerunt*. Septimo nimirum excluso, qui fuit Joannes Ozniensis hæreticorum dogmatum instaurator.

ro anno *Codex* ille *Armenicus*, & a quo descriptus sit, Galanus narrat in Præfat.Tom.1. p.3. „ Byzantina, *inquiens*, „ in urbe, antiquissimi Codicis Miscellanei, in quo præ- „ fata Patriarcharum series annotabatur, dono potitus „ fui, quodam nostro discipulo, nomine Cacciatur, qui „ post meam annuam disciplinam, pro Armena natione „ ejusdem urbis Patriarcha creatus fuerat, largiente. „ Nomen Auctoris ibi silentio præteritur; scriptoris, „ est Domnus Marucha Sacerdos Armenus, qui in Scy- „ thiæ Chersoneso in Ecclesia S. Michaëlis Archangeli, „ Theodosiæ civitatis, quæ nunc appellatur Caffa, „ illum transcripserat Anno Domini 1366. „ Subdit de eadem Historia judicium suum Galanus: „ De hujus qui- „ dem Historiæ veritate, nemini prorsus dubitandum „ est; ab ea enim Armeniorum dissentit nullus. Ean- „ dem ipsemet in cæteris eorum Codicibus non semel „ periculo comprobavi. De uno illo dumtaxat non ni- „ hil ambigendi locus relinquitur penes me, fateor, Pap- „ chen Patriarcha, qui in Menologio Armeno, S. Ger- „ mani Constantinopolis Patriarchæ, contemporaneus as- „ seritur, in hac serie cum suo non congruit anno. Sed „ fieri potuit, ut conjicimus, quod alter fuerit, præ- „ ter eum in serie explicite positum, Papchen Patriar- „ cha, qui sub alio forsan nomine circa tempora ipsi „ Germano respondentia in eadem collocatus sit. In „ eo igitur libro subsequens Patriarcharum ordo, Ar- „ menice tantum & summatim conscriptus, sed hic præ- „ terea in Latinum fidelissime translatus, ac insuper „ copiosis Annotationibus nostris amplificatus recense- „ tur „. Quum igitur Annalista Armenus Seriem hanc Patriarcharum seculo decimo quarto scripserit, mirum non est, illum quoad calculos Chronologicos errasse; nisi potius in amanuensem is error traducendus sit. Nam S. Gregorius, primus Armenorum Catholicus, in Cathedra sedere cœpit anno Christi 311. Ab anno autem 311. usque ad annum 536. quo Nierses Ascdarachensis, Conciliabulum Thevinense celebravit, fluxere anni 225.

non

non 218. Post Niersem vero usque ad Jeserem seu Esdram, qui anno 632. sub Heraclio Synodum Charnensem coëgit, colliguntur anni 96., non 112. Demum ab anno 632. usque ad annum 727. quo Joannes Ozniensis in Conciliabulo Manaschiertensi hæresim instauravit, lapsi sunt anni 95. Universim ab anno 311. ad annum 727. sive a S. Gregorio usque ad Conciliabulum Manaschiertense sub Joanne Ozniensi congregatum, anni sunt 416. non 425. Sed hæc levioris momenti sunt. Cæterum (ut nunc de *Papchene Patriarcha* orthodoxo, qui Joannem Oznienscm & hæreticam ipsius Synodum Manaschiertensem antecessit, sileam:) ad Isaacum revertor. Eo sedente, hæc de Mohammede, qui ipsum captivum abduxit, apud fide dignos historicos narrantur. Theophanes ad ann. Chr. 693. *Hoc anno Symbatius Armeniæ Patricius, cognita Armenorum* (lege Romanorum) *clade, Armeniam Arabibus tradidit*. Idem ad ann. 694. *Muamed in Romanum Imperium expeditionem suscepit, & profugis Sclavis, seu Romanorum locorum probe expertis, sibi adjunctis, magnam hominum copiam abduxit captivam*. Idem anno 695. *Hoc anno Muamed, in quartam Armeniam exercitum eduxit, & captivis pluribus collectis, domum regressus est*. Elmacinus in Histor. Saracen. lib. 1. pag. 62 ad. annum Hegiræ 73. inchoatum die 23. Maji anni Christi 692. *Eodem anno præfecit Abdulmelicus filius Meruanis, fratrem suum Muhammedem filium Meruanis, Aderbigianæ, Mesopotamiæ, & Armeniæ*. En igitur Muhammedes ille, qui apud Annalistam Armenum dicitur abduxisse captivum *Isaacum Armenorum Catholicum usque ad Haran Mesopotamiæ urbem*, in qua & is deceffit: Anno videlicet 694. quemadmodum ex calculo a nobis supra inito, recte conficitur.

SE-

SECTIO III.

Synodus Manaschiertensis Armenorum hæretica.

DUm igitur Armenis Patriarcha præesset Isaacus (cujus initia ab anno circiter 664. ex dictis sunt arcessenda) quamquam is orthodoxam, teste Armeno Annalista, fidem coleret, non deerant tamen in Armenia complures diversis erroribus irretiti, quemadmodum ex iis constat, quæ in Concilii Trullani Canonibus circa Armenos anno 692. a Græcis sunt animadversa. Illud autem hac de re est observandum, quod non modo non sunt Armeni in Sexta Synodo anno 680. & sequenti, tamquam hæretici damnati; sed e contrario nonnulli ex eorum Episcopis eidem Synodo subscripsere, nimirum, *Theodorus* Melitenensis Metropoleos primæ Armeniæ provinciæ: *Joannes* Episcopus Heracleopolitanæ Civitatis Secundæ Armeniæ regionis: *Theodorus* Episcopus Civitatis Berissæ, Secundæ Armeniæ provinciæ: *Callinicus* Episcopus Coloniæ Civitatis Magnæ Armeniæ provinciæ: *Theodosius* Episcopus Sebastiæ Metropolis Secundæ Armeniæ regionis: *Gregorius* Episcopus Civitatis Arces, primæ Armeniæ regionis. Quin etiam in Synodo Trullana anno 692. celebrata subscripti leguntur, *Leontius* Episcopus Sebastiæ, secundæ Armenorum provinciæ: *Georgius* Episcopus Gamaches Magnæ Armenorum provinciæ: *Callinicus* Episcopus Coloniatarum (1) Civitatis Magnæ Armeniorum provinciæ: *Photius* Episcopus Nicopolitarum Civitatis Magnæ Armeniorum provinciæ: *Georgius* Episcopus Juialeorum Civitatis Magnæ Armeniorum provinciæ: *Georgius* Episcopus Abramiasi primæ provinciæ Armeniorum: *Joannes* Episcopus Cucusi primæ provinciæ Armeniorum: *Marianus* Episcopus Citharizorum primæ Armeniorum provinciæ. Quæ omnia planum faciunt, tum Armenios, tum eorum Patriarcham Isaacum, exceptis paucis hæreticis, in fide ortho-

(1) Idem qui supra in Sexta Synodo.

orthodoxa cum Græcis id temporis communicasse. Quamquam enim a vero alienum existimo id quod Galanus de *Isaaco* scribit a Justiniano Imperatore Constantinopolim evocato, ibique fidem Catholicam professo, quum hujusce rei nulla fiat in subscriptionibus Trullanæ Synodi mentio; attamen ejus Episcopos Synodo illi interfuisse atque subscripsisse, certum est.

Galanus tamen Tom. I. pag. 207, & Quienus in Oriente Christiano Tom. IV. pag. 1391., postquam habitum a Joanne Oznienli hæretico Armeniæ Patriarcha, *Conciliabulum Manaschiertense* narrassent, subjungunt, propugnatos in eo Conciliabulo errores, a Patribus Trullanæ Synodi fuisse postmodum rejectos: censent enim, illud Conciliabulum circa annum Chr. 680. coactum. Hæc sunt Galani verba in Indice rerum notabilium, qui Tomo primo præfixus est: *Conciliabulum Manaschiertense Armenum cogitur jussu Humaris Saracenorum Ducis circa annum Christi 680. cap. 17. num. 1. Adversatur Sextæ Synodo generali num. 8. confirmat Monophysitarum & Monothelitarum hæreses, num. 2. & 7.* In Appendice ad Concilia Labbei, editionis Venetæ anni 1729. Tom. 7. pag. 1501. Eruditissimus Mansius ex eodem Galano de Epocha illius pseudo-synodi sic statuit. *Manaschiertense Conciliabulum in Armenia in confinibus Hircanæ provinciæ, circa annum, si recte conjicio 687. vel forsan sequentem, congregatum, Patriarchalem Armeniæ Cathedram hoc tempore tenuit Joanes Ozniensis, e provincia Dascarena oriundus, homo a fide Catholica alienus, qui Omaris Saracenorum Ducis jussu, & Chaliphæ auxilio fretus, Synodum Manaschierti coegit, cui una cum Armenis, sex e Syria Episcopi interfuerunt.* Pergit enarrans, quid in eo Conciliabulo statutum fuerit. *In hoc* (inquit) *Conciliabulo definitum est, Acephalorum dogmata admittenda esse: unam esse in Christo naturam, unam voluntatem, operationem unam: Aquam, & Fermentum in Eucharistia non amplius esse usurpanda; Vino tantum, nulla admixta Aqua, utendum. Decrevit insuper Patriarcha, in Sabbatis non magis quam Dominicis*

Qua-

Quadragesimæ; jejunandum esse: Sacram Eucharistiam feria quinta majoris hebdomadæ populo non esse tribuendam: in Jejuniis a piscibus, oleo, & vino abstinendum: denique Armenos & Syros a se invicem nunquam esse separandos. Hæc omnia nos docet Auctor Historiæ Patriarcharum Armeniæ apud Galanum conciliat. Eccl. Armen. Par. 1, *cap.* 17. *pag.* 201. Mox annum expendit, quo id Conciliabulum sit congregatum, & Galanum impugnat, qui alibi Epocham illius ad annum Christi 727. refert: „ In disponendo hujus Conciliabuli tempore Galanus „ haud bene sibi constat: loco enim citato, & in Indi„ ce huic Parti præmisso ad Concilii Sexti Œcumenici „ tempora diserte refert: alibi vero Part. 2. Tom. 1. „ pag. 29. illud anno 727. habitum esse dicit. Utro an„ no rectius, non statim liquet. Ego ad ipsum, quem „ statui, annum (*idest*, 687. *vel* 688.) potius referen„ dum censeo; tum quod fervebat maxime tum tempo„ ris de Monothelitis controversia, in Sexta Synodo „ paulo ante damnata: tum quod Concilium Quinisex„ tum anno 692. habitum antevertisse videtur, cujus „ plures Canones hisce Armenorum ritibus & placitis „ directe oppositi sunt, ut ex Can. 32. 33. 56. 99. ab„ unde liquet: tum denique quod hoc tempus Arme„ niorum supputationi optime quadret: Si enim Elias „ Patriarcha thronum ascendit anno Armeniorum 112. „ hoc est, anno Domini 663. & post annos 25. Eliæ „ successit Joannes Oznensis (ut diserte tradit Patriar„ charum Armeniæ series historica) in hunc ferme an„ num incidemus. His adde, Omarem quemdam egre„ gium Saracenorum Ducem sub Chaliphatu Abdulme„ lici hoc ipso anno ab Elmacino memorari histor. Sa„ racen. lib. 1. pag. 71.

Verum, tum ex Armenis, tum ex Syris scriptoribus constat, Manaschiertensem Pseudosynodum non ante ann. Chr. 727. habitam fuisse. A Syris incipio. Michaël Syrus (1) in libro Armenico Annalium, dicto *Cavasanachirch*,

(1) Apud Galanum Tom. 2. pag. 132. & in Præfat. ejusdem Tomi 2. in Catalogo Scriptorum Armenorum hæreticorum. V. *Michael*.

chirch, sub annum 700. (adeoque post Sextam Synodum, & post Trullanum Concilium) de Joanne Oznienſi hæretico, hæreticus ipſe, ſic ſcribit: *Sanctus Magiſter Joannes Oznienſis canonicis decretis ſuam Eccleſiam illuſtravit. Quapropter Saracenorum Dux accerſens illum in domum ſuam, maximis honoribus ejus dignitatem adauxit*. Gregorius Barebræus Abulpharagius, gentis ſuæ Jacobiticæ Syrus Metropolitanus in libro Theologico (1) quem *Candelabrum Sanctorum*, *de Fundamentis Eccleſiaſticis*, vocat, Fundamento IV. de Verbi Incarnatione, cap. VI. ſect. 2. & 3. hæc de Armenis tradit. *Quandoquidem plerique Armenorum doctrinam Juliani ad hoc uſque tempus mordicus tenent*. Et post pauca. *Et ſub Athanaſio quidem noſtro Patriarcha, & Joanne ipſorum Catholico, in publica collatione diſquiſitionem hac de re habuerunt, noſtræque doctrinæ* (hoc eſt, Jacobiticæ ſeu Monophyſiticæ hæreſi) *certam veritatem agnoſcentes, nobis reconciliati ſunt, & Libello Unionis ſubſcripſere. Nihilominus non modico poſt tempore ad antiquum Juliani dogma rediere*. Idem Auctor (ſicuti Tom. 2. Biblioth. Orient. pag. 338. adnotavi) de Synodo, in qua Armeni cum Syris Jacobitis conſenſere, ſic ſcribit: *Athanaſius, Archimandrita Cœnobii Gubæ Barajæ, ordinatus Jacobitarum Patriarcha anno Græcorum* 1035. (Chriſti 724.) *Hic, congregata Synodo, Armenos cum Syris Jacobitis conciliavit anno Græcorum* 1037. (Chriſti 726.) Verba ejus Syriaca accipe Part. 2. Chronici Syriaci.

ܒܬܪ ܗܢܘܢ ܩܡ ܐܬܢܣܝܘܣ. ܗܢܐ ܐܪܫܝܡܢܕܪܝܛܐ ܗܘܐ ܕܥܘܡܪܐ
ܕܓܘܒܐ ܒܪܝܐ. ܐܬܬܣܝܡ ܕܝܢ ܒܫܢܬ ܐܠܦ ܘܬܠܬܝܢ
ܘܚܡܫ ܒܚܝܪܐ ܢܝܫܐ ܕܥܕܬܐ ܕܡܕܢܚܐ. ܘܟܢܫ ܣܘܢܗܕܘܣ
ܐܡܪ ܠܐܬܘܪܡܘܣ ܕܡܫܝܚܐ. ܘܥܡ ܐܬܢܣܝܘܣ ܘܥܡ ܕܦܢܐ ܕܐܪܡܢܝܐ
ܠܡܬܘܢ ܠܐܪܥܘܬܐ. ܐܬܬܣܝܡ ܘܟܢܫ ܣܘܢܗܕܘܣ ܐܡܪ ܡܢܙܟܪܛ
ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܕܐܪܡܢܝܐ. ܘܗܘܘ ܠܚܕ ܚܘܝܕܐ ܥܡ ܐܪܡܢܝܐ. ܒܫ
ܠܐܬܬܢܣܝܘܣ ܠܢܗ ܠܡܬܘܢ ܗܘܐ ܡܫܬܡܠܝܢ. ܘܡܠܝܢܝܗܘܢ
ܣܦܪܐ.

(1) Syriaca eius verba recitavi Tom. 2. Biblioth. Oriental. pag. 296.

[illegible]

Post Domnum Eliam, Domnus Athanasius: Hic Archiman-

drita

drita fuerat ejusdem Monasterii Gubæ Barajæ : ordinatus autem fuit anno 1035. *mense Aprili , in Monasterio Cartaminæ : & manum ei imposuit Theodosius Episcopus Rhesinæ . Postmodum tamen invenimus , eum ex Cœnobio Harbæ fuisse, ordinatumque Edessæ . manum ei imponente Georgio gentium Arabicarum Episcopo . Hic autem Unionem fecit cum Armenis , quorum Joannes quidam erat Catholicus . Nam Julianistæ , Gregoriani dicti , qui in regione Maipheractæ degebant , Armenos conturbabant, dicentes , quod Jacobitæ corruptibile Christi corpus offerunt . Quoniam vero Armeni non alium noverant corruptionis modum , nisi illum , qui corpori post animæ separationem contingit , ea Jacobitarum assertione offendebantur . Tum vero Patriarcha Domnus Athanasius sex doctos Episcopos elegit , misitque ad Catholicum Joannem . Congregati sunt itaque unacum Syris etiam complures Armeni Episcopi . Quumque plurimam operam Syri Episcopi impendissent , ut allatis ex Doctorum libris demonstrationibus convincerent , illis tamen persuadere nequiverunt: testimonia enim postulabant ex libris Veteris & Novi Instrumenti , quibus corruptio de corpore Domini diceretur. Tunc Episcopi nostri* (Jacobitæ scilicet) *illud protulere testimonium , quod Paulus in Actibus Apostolorum de Christo ait : Suscitavit eum Deus a mortuis , & iterum non videbit corruptionem . Producto autem eodem Actuum Apostolicorum Codice Armenice scripto , eandem prorsus vocem deprehendentes , probe intellexerunt , illud* iterum *significare*, antea corruptioni *subjacuisse : atque ita Catholicus valde gavisus est , quoniam omnino de concilianda Unione curam gerebat . Quod quidem etsi tum peractum est , non tamen Armeni induci potuere , ut id dicerent , adductis puerilibus quibusdam opinionibus , quæ a vera doctrina abhorrent . Sed utrique in suo sensu permanentes, œconomice uniti sunt : & a Syris quidem Episcopis peracto Sacrificio , Armeni communicarunt ; deinde celebratam ab Armenis Episcopis oblationem Syri perceperunt: factique unum in fide , Tomum Synodicum conscripsere , cujus Syriacum exemplar apud Armenos , & Armenicum*

apud

apud nostros Syros repositum fuit . Hæc facta sunt anno Græcorum millesimo trigesimo septimo , Armenorum centesimo septuagesimo quinto . Sic enim legendum *anno Armenorum* 175. ad oram libri monetur , non *anno* 135. uti perperam librarius scribit : nam Epocha Armenorum quum ab anno Christi 551. initium sumat , sequitur , annum 175. anno 551. additum , conficere ann. Chr. 726. sive Græcorum 1037.

A Syris ad Armenos Scriptores pergo : Chronographus Armenus *anno uno* dissentit , quum ab Esdræ seu Jeseris concordia (quæ anno 632. peracta est , uti sæpius dixi) usque ad Joannem Oznienſem numeret annos 95. quorum postremus respondet *anno Chr.* 727. Sed istud est levissimum discrimen . Quienus , recitatis Barebræi de Athanasio Patriarcha Jacobitarum , & Joanne Ozniensi Armenorum Catholico verbis , quæ sunt a nobis supra producta , humanum quid patitur , dum Tom. 1. Orient. Christ. pag. 1392. sic scribit . „ Ad quem Ba-„ rebræi locum Assemanus observat , hanc Jacobitarum „ cum Armenis concordiam fusius ab ipso describi in „ Chronico ad annum Græcorum 1037. Armenorum 135. „ seu potius 175. quando Armenorum Epocha pertinet „ ad Christi annum 551. Verum huic annotationi ob-„ stat , quod anno illo Græcorum , qui vulgaris nostræ „ Æræ 715. est , nullus Patriarcha Athanasius vel Ana-„ stasius nomine præerat , sed Elias Gubensis „ . Mirari subit , undenam clarissimus Auctor annum æræ vulgaris Christi 715. eruerit ? nam annus Græcorum 1037. & Armenorum 175. respondent anno Chr. 726. , non 715. Ipsa demum Chronographi Armeni Collectio annorum 95. a Jesere ad Oznienſem , indicat annum Chr. 727. quo quidem anno non Elias Gubensis , sed Athanasius Jacobitis Syris Patriarcha præerat , sicuti Barebræus in Chronico docet .

Audiatur itaque Armenus Chronographus apud Galanum Tom. 1. pag. 201. & apud Quienum Tom. 1. Orient. Christ. pag. 1391. „ Domnus Joannes Ozniensis , e pro-„ vincia Dascerana , annos xi. Hic , jussu Homaris Sarace-

„ racenorum ducis, & auxilio Chaliphæ Babylonis Synodum congregavit in urbe Manaſchierti (1) in confinibus Harcanæ provinciæ: ubi convenientibus cum Armenis, ſex Aſſyriis Epiſcopis, definita fuit in Chriſto una natura, una voluntas, & una operatio. Fueruntque a ſacris ablata Fermentum, & Aqua: Canoneque ſtatutum eſt, non eſſe amplius in Sacrificiis Aquam Vino miſcendam. Et poſtquam Armenii Aſſyriorum voluntati obſequuti fuere, in ſuum uniuſcujuſque reverſi ſunt. Patriarcha iſte decrevit, in Sabbatis Quadrageſimæ jejunium eſſe frangendum, quemadmodum in Dominicis: & Feria quinta majoris hebdomadæ non diſtribuendam eſſe populo ſacram Communionem, eo quod Dominus non fuerat tunc crucifixus, neque ſepultus, neque a mortuis exſuſcitatus. Præterea ſtatuit, piſces, oleum, & vinum eſſe in eodem ordine computandum tempore Jejunii, cum lacte, caſeo, & ovis. Ac denique Armenios & Aſſyrios nunquam ab invicem ſeparandos.

Hæc Armenus Chronographus: quæ Galanus in Adnotat. pag. 202. (ut modo dicebam) *contigiſſe putat circa tempora Sextæ Synodi generalis, quæ Conſtantinopoli ad hæreſim Monothelitarum profligandam celebrata fuerat anno Redemptoris* 680. Verum ſibi ipſe non conſtat Galanus: nam ſubducta annorum, qui a S. Gregorio Illuminatore uſque ad Joannem Oznienſem effluxere, ratione, conſtat, longe poſt Sextam Synodum, (ideſt poſt annum 680.) Conciliabulum Manaſchiertenſe coactum fuiſſe, nempe ex mente Chronographi Armeni, quem Galanus ſequitur, anno Chriſti 736. Sic enim Chronographus Armenus in Elia Jelivodano, a S. Gregorio ad Nierſeſem numerat annos 218. A Nierſeſe ad Jeſerem annos 112. A Jeſere ad Joannem Oznienſem annos 95. qui ſimul ſumti,

(1) *Manaſchierti*. Vocatur etiam *Mantzicierte*, & *Malazegerd*, ſeu *Manazegerd*, Olim vero Μονόκαρτον, *Monocartum*, & *Tiberiopolis*. Theophylactus Simocatta lib. 1. cap. 14. „ Cardarigus cum copiis quantæ erant, Tiberiopoli nuper olim *Monocartum* appellatam, aggreditur. *& cap.* 13. *Philippicus Orientalium Dux* militum, poſt adeptam dignitatem, *Monocartum* juxta montem Aiſumam profectus &c. „

ti, conficiunt summam annorum 425. quibus si addatur annus 311. quo S. Gregorius ordinatus dicitur, consurgit annus 736. Hac tamen in supputatione etiam Chronographus deceptus fuit, dum a concordia Jeseris ad Conciliabulum Ozniense, numerat annos 95. tum ex certa illius pseudosynodi Epocha, ab Abulpharagio tradita; tum ex ipsis Armeni Chronographi verbis, qui Conciliabulum illud factum scribit *jussu Omaris Saracenorum ducis, & auxilio Chaliphæ Babylonis in urbe Manaschierti in confinibus Harcanæ provinciæ*. Atqui in historia Saracenica Elmacini lib. 1. cap. 16. pag. 78. *Jezidus Abdelmalechi filius*, decimus sextus Ommiadarum Chalipha, qui ab anno Chr. 719. ad ann. 723. regnavit, dicitur, fratrem suum Muslimam, *Iracæ* & *Chorasanæ* præfecisse: sed utriusque provinciæ gubernatione eo deinde deposito, *præfecisse eis Omarem filium Hobairæ*. In eadem Historia pag. 80. cap. 17. *Hisciamus Jezidi frater*, decimus septimus Chalipha, qui ab anno 733. ad annum 742. imperavit, perhibetur, quum Chalipha inauguratus fuit, Rosaphæ degisse: & profectus Damascum, *Iracæ* præfecisse *Chalidem* filium Abdallæ Karlæum: amoto nempe *Omare* antedicto; Anno vero Hegiræ 120. (qui cœpit 28. Decembris anni Christi exeuntis 737.) Chalide Karlæo abdicato, idem Hisciamus Chalipha narratur *Iracæ* præfecisse *Josephum filium Omaris*. Ex quibus patet, *Omarem Iracæ præfectum*, sub quo Ozniensis suam pseudosynodum coëgit, a Jezido Chalipha ante annum Chr. 723. ea præfectura donatum fuisse, & ab Hisciamo Jezidi successore paulo post annum 733. amotum, sive in vivis esse desiisse. Clarissimus Mansius, O*naris* nominis similitudine deceptus, pro eo, quem ex Elmacino diximus, sub Jezidi Chaliphatu, Iracæ, amoto Muslima, præfectum fuisse, alterum *Omarem* supponit, qui sub Abdelmelico Chalipha (non quidem lib. 1. pag. 71. sed pag. 60.) memoratur ad annum Chr. 188. in hæc verba. *Anno Hegiræ 69.* (qui cœpit 6. Jul. A. C 688.) *egressus est Damasco Abdulmelicus filius Meruanis* (Chalipha) *bellum illaturus Abdallæ filio Zubeiri. Substiterat*

tuerat autem Damasci in locum suum Omarem filium Saadi, filii Abuvvaccasi, qui Achdacus vulgo vocabatur: at hic rebellavit illico, & sese munivit: unde reversus Abdulmelicus, obsedit Damascum. Sed quum Omar ad eum misisset, securitatem illi concessit: & ingressus Damascum, vocavit eum ad se, atque ut venit, prehensum occidit. Vides, hunc *Omarem* Damasco, non *Iracæ*, fuisse præfectum: eodemque anno 688. quo illum Abdumalechus Chalipha urbi Damascenæ præfecit, ab eodem Chalipha ob rebellionem, comprehensum occisumque: Alius proinde est ab illo *Omare*, qui ab anno circiter 723. ad 733. præfecturam Iracæ obtinuit. Quid? quod in ipsa Chronographi Armeni narratione sunt nonnulla emendanda. In primis *Harcana* provincia vocatur, quæ indigenis العراق *Arak*, seu *Iraka* dicitur, antiquis *Aracene* & Babylonica sive Assyriaca: Deinde, in ea pseudosynodo dicuntur *ablata a sacris mysteriis Fermentum & Aqua*. Hoc falsum: nam *Armeni* quidem in *Azymis* & in *mero Vino* Eucharistiam longe ante illam pseudosynodum conficiebant: *Assyrii* vero, sive *Syri* potius Jacobitæ Antistites, qui Armenios ad suam sectam pertrahere cupiebant, etsi in Azymis & ipsi olim sacrificasse perhibentur (uti mox dicetur) *Aquam* tamen *vino* miscebant, & saltem post seculum octavum *Fermentato* utebantur. *Quare in Pane Fermentato consecramus, non in Azymo, uti insipientes Armeni faciunt?* inquit Dionysius Barsalibæus in expositione Missæ, citatus Tom. 2. Biblioth. Orient. pag. 182. qui cap. 6. agit etiam de *Vino Aqua mixto*, & Armenos hac etiam in re redarguit, quod purum Vinum offerant. Ac proinde, aut in illa pseudosynodo nihil aliud inter Syros Jacobitas & Armenios transactum fuerit, quam ut Sacro Chalcedonensi & Quinta Sextaque Synodis rejectis, unam in Christo naturam, unamque voluntatem & operationem profiterentur: quemadmodum Syri Jacobitæ scriptores testantur: aut, siqua de materia Eucharistiæ fuerit injecta mentio, Azyma quidem & Fermentatum, tamquam rem non-

nondum controversam, in medio relinquentes, de sola Aqua Vino miscenda Jacobitæ cum Armenis contenderent.

Notatu digna sunt, quæ de Manaschiertensi Conciliabulo leguntur Armenis objecta in Libello errorum, quem Benedictus XII. anno Chr. 1342. ad Ecclesiam Armenorum transmisit, quæque vicissim Armeni in Synodo congregati, ad Clementem XI. Benedicti Successorem dicuntur respondisse apud Martene Tom. VII. vet. Script. Collect. pag. 314. Primo loco, in Libello errorum, Armenis hæc opponuntur: *Et primo, quod aliqui antiqui Magistri Armenorum dixerunt & prædicaverunt, quod Spiritus Sanctus procedit a Filio, sicut a Patre: Sed a sexcentis & duodecim annis citra, Magistri & Prælati, & alii Armeni de majori Armenia, dimiserunt prædicare & dicere, quod Spiritus Sanctus procedat a Filio sicut a Patre, quia in dicto tempore factum fuit Concilium apud Armenos, ubi fuerunt Catholicon, Episcopi, & Magistri Armenorum, & Patriarcha Assyriorum, & ibi determinaverunt, quod de cetero non diceretur apud eos, quod Spiritus Sanctus procederet a Filio, sicut & a Patre, & condemnaverunt antiquos doctores Armenorum, qui fuerant ante dictum Concilium, eo quod dixerant & docuerant, quod Spiritus Sanctus procedit a Filio, sicut a Patre; persecuti sunt, incarcerando eos, & in vinculis ponendo: & sic apud Armenos nullus audet hoc dicere, vel docere, nisi soli illi, qui reuniti sunt Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.* Hæc igitur objectio duo complectitur: Primum quidem, quod in eo Conciliabulo (Manaschiertensi scilicet) decretum fuerit, Spiritum Sanctum a solo Patre procedere: Alterum vero, quod a tempore ejusdem Conciliabuli usque ad annum Chr. 1342. (quo error iste Armenis a Benedicto XII. objicitur) fluxerint *anni sexcenti, ac duodecim*: unde conficitur, Conciliabulum illud coactum fuisse *an. Chr.* 730. Sed quid ad hæc responderint Armeni, Mechitarus nempe Patriarcha, Episcopi, Magistri, & Abbates Monasteriorum, de voluntate & consensu Constantini Regis Armeno-

menorum in Synodo Sisensi sub Clemente VI. congregati, videamus. *Hæc omnia* (inquiunt cit. pag. 314.) *sunt verba confusionis noviter inventa, & absque veritate: quoniam, si tale quid inter Armenos fuisset factum de Processione Spiritus, tunc vel per libros, vel per successionem pervenisset ad nos: quod tamen nunquam audivimus. Et quod supradicta non sunt vera, duplici ratione manifestamus. Primo, quia dicitur in Primo Articulo*, Et sic apud Armenos nullus audet hoc dicere, vel docere: *sed nos ostendimus in prima parte hujusmodi articuli in Oratione Spiritus Sancti, quod per totam Ecclesiam* (1) *Armenorum, Spiritus Sanctus prædicatur & dicitur, procedere a Filio, sicut & a Patre. Secundo, quia dicit, quod in Concilio illo erat Patriarcha Assyriorum: Et in Tertio Articulo dicit, quod in dicto Concilio condemnaverunt Concilium Chalcedonense. Sed Concilium, ubi invenitur fuisse Patriarcha Assyriorum, & contra Concilium Chalcedonense, illud est Concilium Manasgardense, & ibi non fit mentio de Processione Spiritus. Ergo falsum est, quod quando Processio Spiritus Sancti determinata fuit a Filio sicut a Patre per Ecclesiam Romanam, quamvis Græci contrarii fuerint, tamen Magistri Armenorum cum Synodo receperunt, sicut invenitur apud nos in historiis, quæ sunt in Majori Armenia; sed nomen Papæ, qui misit, manifeste non habemus: & in Minori Armenia, tempore Regis magni Hecon* (leg. Haiton) *& Catholicon Domini Constantini, Gregorius Papa misit Legatum, & mandavit per Epistolam dicere & confiteri, Spiritum Sanctum procedere a Filio sicut a Patre, & ipsi cum Concilio receperunt & confirmaverunt, & miserunt in Oriente, & illi etiam receperunt & consenserunt: sed post tempora unionis nostræ cum Ecclesia Romana, magis declaratum fuit, & dispersum in tempore Esyn* (Oscini) *Regis & Domini Constantini Catholicon. Illud vero, quod dicunt, quod de novo uniti Ecclesiæ Romanæ dicunt Processionem a Filio, sicut a Patre*,

(1) In Oratione Pentecostes. „ Qui & Domine, Dominus virtutum, & Deus „ verus, fons luminis, & in te procedens inscrutabiliter, ex Patre & Filio, mi„ rabilia operans Spiritus Sanctus.

tre, *verum est*. Et in Responsione ad Articulum tertium, pag. 317. sic de Manasgardensi pseudosynodo loquuntur: *Sciendum est, quod Concilium Manasgardense factum fuit contra Armenos illos, qui a tempore Esdras Catholicon usque tunc receperant Concilium Chalcedonense, & determinationes ejus, ut manifeste invenimus; & causam condemnationis Chalcedonensis Concilii posuimus in secundo Articulo, quod Armeni illi, qui reprobaverunt Concilium Chalcedonense, propter hoc fuit, quod divulgatum fuit quod recepit hæreses Nestorii. Sed post hoc fuerunt duo Concilia facta, unum in Sisio per Dominum Gregorium, secundum in Adana per Dominum Constantinum, contra dictum Concilium Manasgardense, quæ sine comparatione erant solemniora, quam Manasgardense Concilium*. Hæc illi.

Quienus Adnotatione in recitata Armeni Chronographi de Joanne Oznienfi verba; *Assyrios* (inquit) *dico Jacobitas, qui in Assyria & Mesopotamia multi erant, cum suo Patriarcha Severi Antiocheni successore. Hi tamen Fermentum & Aquam ab Eucharistiæ Sacrificio non ademerunt. Quamquam initio Collectionis disputationum, quas Anastasius Sinaita habuit cum diversi generis Monophysitis, legimus ipsorum aliquos, non certe, ut apparet, Armenos, Aquam a Calice Eucharistico exclusisse. Scribebat Anastasius septimo seculo pene medio*. Certe non, ut apparet, Armenos? Imo solos Armenos, de quibus Canone 32. Synodi Trullanæ anno 692. coactæ dicitur. *Quoniam ad nostram cognitionem pervenit, quod in Armeniorum regione Vinum tantum in sacra mensa offerunt, Aquam illi non miscentes, qui incruentum sacrificium peragunt*. Vides, non multis ante Conciliabulum Manaschiertense, & post Anastasium Sinaitam annis, morem illum Armenorum disertim improbari a Græcis. Addo ego, & a Syris ipsis Jacobitis eodem fere tempore Armenos ob Vini puri sine Aqua oblationem acriter fuisse reprehensos. Nam (ut silentio prætercam suppositos Ephræmo, Isaaco, & Joanni Chrysostomo sermones, quibus *Azymum*, & *purum Vinum* in sacrificio

Missæ offerendum esse negant, in Codice manuscripto Syriaco (1) Bibliothecæ Palatinæ Mediceæ) ibidem *tres sermones*, item *Syriaci*, habentur sub nomine *Jacobi Episcopi Edesseni*, quorum primus inscribitur, *de immolationibus*, in quo ait, non licere Christiano *Agnum juxta morem Judæorum immolare*, *sive* tauros, nec idcirco *pro defunctis*, *neque merum Vinum*, *& Azymum in Sacrificio Missæ offerre*. Secundus sermo *adversus Azymum*, in quod sic invehitur: *Quisquis hodie in Azyma Sacrificium Missæ peragit*, *Patrem sane abnegat*, *qui Filium suum pro nobis obtulit in holocaustum*. Tertius sermo *adversus Armenos*, quos arguit, quod Chalcedonensibus concedentes, duas in Christo naturas admittant, sal benedicant, & Azymum ac merum Vinum offerant in sacrificiis, in hæc verba: *Armenorum populi ab initio mundi sine lege vixerunt*. *Neque ex illis Doctores*, *aut eruditi viri & sapientes unquam prodierunt*. *Extraneos idcirco Magistros audientes*, *Judæos nimirum*, *Aggæos* (2) *& Chalcedonenses a vera fide recesserunt*. *Ab Hebræis quidem*, *Agni immolationem*, *& Azymi*, *& meri Vini Oblationem*, *& Salis benedictionem acceperunt*; *singulas Dei creaturas fœdas esse*, *non sine maxima Dei injuria*, *autumantes*; *quamvis ipse dixerit*: Non quod intrat in os, coinquinat hominem &c. *A Chalcedonensibus vero*, *duas in Christo naturas profiteri didicerunt*. Hæc Jacobus Edessenus. Sed (ut ut sub nomine Jacobi Edesseni sermones isti ambulant: id quod tamen mihi persuaderi non facile patiar, quum neque a Barsalibæo, neque a Barebræo, aut ab aliis Syris Monophysitis citentur.) Jacobus certe Edessenus Episcopus decessit die 5. Julii anno Græcorum 1019. Christi 708. uti refert Barebræus in Chronico Syriaco, cujus verba recitavi Tom. 2. Biblioth. Orient. pag. 336. & seq. Quo quidem sæculo neque apud Græcos aut Syros, neque apud Latinos circa Azy-

(1) Signato num. LXII. exarato anno Chr. 1360. die 25. Aprilis. Vide Catalogum Codicum Mss. eiusdem Bibliothecæ editum Florentiæ anno 1742.

(2) In textu Syriaco: [illegible] *Hagaghaei*, idest, *Phantasiastas*, seu *Julianistas*.

Azymum & *Fermentatum* mota fuerat quæstio; sed tantummodo a Græcis in Concilio Trullano circa *merum Vinum* Armeni reprehensi.

Scio, quoad Ephræmum, Isaacum, & Joannem Chrysostomum, quorum in eodem Codice Syriaco Bibliothecæ Palatinæ Mediceæ sermones exhibentur *adversus Azyma*, *merum Vinum*, *&* *Benedictionem Salis*, hanc Adnotationem a Stephano Evodio, meo ex sorore nepote, p. 108. esse appositam: „ Quæ tamen in prioribus supra relatis sermonibus adversus Azymum, & „ Benedictionem Salis habentur, Ephræmo quidem, Isaaco, Joanni Chrysostomo perperam tribui, ex eo potissimum liquet, quod in omnibus & singulis sermonibus & homiliis Sanctorum Ephræmi, Isaaci, & Chrysostomi, qui apud reliquas nationes Orientales Arabice, Syriace, Coptice, & Armenice circumferuntur, „ ne verbum quidem de Azymo, seu de Benedictione „ Salis occurrat; ac temporibus Ephræmi præsertim, „ ejusque discipuli Isaaci, nulla inter Christianos hac „ de re quæstio fuerit agitata. Quare Jacobitarum illa „ esse commenta plane conjicimus; ad suos nimirum „ errores, Patrum auctoritate, firmandos, prælaudatis „ Ephræmo, Isaaco, & Chrysostomo supposita „. Cur non idem dicendum de Jacobo Edesseno? qui Commentar. in Leviticum (1) de *Azymo* & *Fermentato* hæc habet: *Jussit nos celebritatem non agere in Fermento malitiæ & amaritudinis, sed in Azymo puritatis & sanctitatis: hoc est, ut non offeramus sacrificium Domini quodcumque tandem illud sit, sive sacrificium laudis pro redemptione, sive sacrificium voluntatis; illud nimirum Corporis & Sanguinis Christi, aut illud, quod sic bona voluntate per preces offertur: non offeramus, inquam, hujusmodi sacrificium, quum pleni sumus Veteri Fermento peccati, aut turpium operum, aut immundarum cogitationum*. Eodem plane modo de *Azymis Paschalibus* differit in Commentar. in Exodum; quemadmodum & Sanctus Ephræm, a nobis citatus Tom. 1. Biblioth. Oriental.

(1) Verba eius Syriaca habes Tom. 1. Bibl. Orient. pag. 489.

tar. pag. 67. Unde conjicere est, quæstionem de *Azymo* & *Fermentato* sub Ephræmi, & Jacobi Edesseni ævum nondum agitari cœptam fuisse: alioquin saltem Jacobus loc. cit. disertim aut Azymum propugnasset, aut Fermentatum.

Quin & Syros æque ac Armenos, duobus circiter sæculis ante Jacobi Edesseni tempora, in Azymis Eucharistiam celebrare consuevisse, docet nos Dionysius (1) Syrorum Jacobitarum Patriarcha in Chronico Syriaco ad annum Græcorum 821. Christi 510. ubi ex Joanne Asiæ Episcopo, item Monophysita scriptore, hæc de quibusdam Monachis Messalianis refert. „ Ea propemo-
„ dum tempestate (*hoc est, anno Chr. 510.*) excogita-
„ vit Diabolus in regione Perrhorum (2), errorem quo-
„ rumdam, qui nec panem comedere, nec aquam bi-
„ bere sese jactabant. Quidam itaque ex Fratribus, quo-
„ rum Monasteria necdum cognita sunt, & alii Archi-
„ mandritæ ejus loci, inanem gloriam, & vanum no-
„ men apud vulgus aucupantes, de seipsis falso prædi-
„ cabant, quasi panem non comederent, nec aquam bi-
„ berent, & a vino abstinerent, Nazaræorum more: ne-
„ cessitati autem cibi & potus, sanctorum mysteriorum
„ usu per summam impietatem succurrebant. Sacra er-
„ go oblatione plerumque sustentabantur. Eapropter Buc-
„ cellam, quam ipsi conficiebant, diu fermentabant, &
„ data opera condiebant, ut fieret eis in cibum potius,
„ quam in mysterium Corporis Christi, ܗܘ ܕܒܦܛܝܪܐ
„ ܡܬܐܟܠܐ *Quod in Azymis manducatur*. Cæterum
„ quandocumque necessitas instaret, panem simplicem
„ (*hoc est, communem & vulgarem*) offerebant super al-
„ ter alterius manibus, deinde comedebant. Iter præ-
„ terea agentes, aut longam peregrinationem suscipien-
„ tes, binis ternisve vicibus eodem die de ipso Corpo-
„ re

(1) Dionysius Patriarcha sedit in Cathedra Syror. Jacobitar. ab anno Christi 818. ad ann. 845 Vide Tom. 2. Bibl. Orient. pag. 344. & seq. Verba Syriaca recitavi Tom. 1. Bibl. Orient. pag. 409.

(2) *Perrha*, *Parin*, *Pharin* urbs Euphratasiæ. Vide Quienum Tom. 2. Orient. Christ. pag. 944. ubi compendium hujus narrationis exhibet.

„ re & Sanguine Christi Domini nostri naturalem famem, „ sitimque depellebant. Ubi vero ad terminum suscepti „ itineris perveniebant, ad Vesperam Oblationem ce- „ lebrabant, sumebantque, quasi jejuni: idque facere au- „ debant homines, qui nec Deum timerent, nec ho- „ mines vererentur, etiam sacris diebus Jejunii Qua- „ dragenarii. Quid? quod nonnulli etiam narrabant, „ eos, postquam sacram Oblationem secretis precibus „ celebrassent, & ex ea quantum voluerant comedissent, „ Calicem Vivi Sanguinis Aqua ferventi temperare soli- „ tos fuisse, ex quo singuli biberent quantum vellent: „ mox plenum (1) alter alteri porrigerent. In hunc por- „ ro errorem insurrexere Sanctus Paulus Edessenus, & „ Sanctus Gamalinus Episcopus Perrhorum „. Hactenus Dionysius Patriarcha ex Joanne Asiæ Episcopo, aucto- re Synchrono. Hinc colligitur, *Azymi usum in sacra Liturgia*, non solum non fuisse a Syris ejus temporis, idest, Sexti ineuntis sæculi Christiani, tum Catholicis, tum Monophysitis, improbatum, sed potius in Syrorum Ecclesia, tamquam antiquissimum, approbatum: Joannes enim Asiæ Episcopus, qui Justiniani Imperatoris ævo vivebat, *Christi Corpus in Azymo manducari*, disertim affirmat: idque ipsum Dionysius Jacobitarum Patriar- cha, noni sæculi Scriptor, nequaquam improbat: adeo- que Jacobitæ ipsi recentiores, invectæ in Ecclesiam suam novitatis redarguuntur, dum rejecto Azymo, quo majo- res ipsorum utebantur, Fermentatum panem post Dio- nysii Patriarchæ tempora usurpare cœperunt. Colligitur etiam, *Aquæ ferventis usum* in Liturgia, a pseudomo- nachis illis adhibitum, a Syris usquequaque rejectum fuis- se: quidquid sit de Græcis Constantinopolitanæ Ecclesiæ, a quibus ad alios Orientales Græcos usus ille *Aquæ Fer- vidæ* manavit, cujus certe in antiquis Jacobi, Basilii, & Chrysostomi Liturgiis ne vestigium quidem apparet,

S E-

(1) Textus Syriacus sic habet: ܘܡܚܕܐ ܡܠܐ ܠܗ ܘܝܗܒ ܠܚܒܪܗ *mox illum replebat, & socio porrigebat.*

SECTIO IV.

Sabbatis per annum, & per Quadragesimale tempus, præter unum, non esse jejunandum, Armeni æque ac Græci docent.

VErum ad Manaschiertense Conciliabulum revertor. Joannes Ozniensis (teste Armeno Chronographo) in eo Conciliabulo decrevit, *In Sabbatis Quadragesimæ, Jejunium esse frangendum, quemadmodum in Dominicis: & Feria quinta majoris hebdomadis non distribuendam esse communionem populo: eo quod Dominus non fuerat crucifixus, neque sepultus, neque a mortuis suscitatus.* Non Armeni tantum, sed etiam Græci, & reliqui Orientales, Sabbata omnia, tum Quadragesimæ, tum totius anni, præter unum Sabbatum Paschæ, æque ac dies Dominicos celebrant, soluto jejunio. Canon LXVI. Sanctorum Apostolorum: *Siquis Clericus inventus fuerit in Sancto die Dominico, vel Sabbato jejunare præter unum & solum, deponatur: sin autem laicus, segregetur.* Res est nota, nec indiget expositione. Sed cur *Feria quinta majoris hebdomadæ non distribuenda populo Sacra Communio?* Nimirum propter solemne Jejunium, quod per totam hebdomadam Passionis celebratur, a Feria scilicet secunda usque ad Sabbatum Sanctum inclusive. Ita Armeni, Syri, Ægyptii, Græci quoque eundem per Passionis hebdomadam jejunandi morem tradunt Canone Trullano LXXXIX. his verbis: *Dies salutiferæ Passionis in Jejunio, & oratione & cordis compunctione peragentes Fideles, usque ad mediam magni Sabbati noctem jejunare oportet.* Quem quidem Canonem Theodorus Balsamon sic interpretatur. *Et in Apostolicis Canonibus, & in Synodalibus statutum est, ne in Sabbato, vel in Dominica, præter unum & solum Sabbatum, magnum scilicet, jejunetur: in eo enim jussi sumus jejunare. His ergo consequenter, præsens quoque Canon statuens, omnibus diebus salutiferæ Christi Domini & Dei nostri Passionis jeju-*

jejunare oportere & orare cum compunctione, ideſt, non ſimulate, in quibus magnum quoque Sabbatum connumeratur; adjicit, & eo quoque ipſo Sabbato poſt ſex horas noctis jejunare fideles, eo quod reſurrexerit Chriſtus Deus noſter, ſecundum Divinos Evangeliſtas Matthæum & Lucam, circa noctis dimidium. Et poſt pauca. *Dixerit autem quiſpiam, quod quoniam ſtatuit Canon, ut omnibus Salutaris Paſſionis diebus jejunemus, & magno etiam Sabbato jejunemus ad mediam noctem; alterum duorum neceſſario dicendum proponitur, vel omnibus Dominicæ Paſſionis diebus, qui proprie poſt Quartam Feriam præfiniuntur, nos omnino jejunare, & ab omni cibo abſtinere oportere; ſolo autem Sabbato jejunare, ut dictum eſt; vel hoc ſolo Sabbato magis jejunium ſolvere, quam aliis diebus ſalutaris Chriſti Paſſionis. Cur enim ſtatutum eſſet, ut ad mediam noctem jejunaremus, ſi omnibus his diebus æqualiter jejunare deberemus? Mihi autem videtur eſſe eximium magni Sabbati jejunium, aliiſque Chriſti Paſſionis diebus præſtantius, quoniam tunc in ſepulcro* (1) *jacebat quod viſum erat ejus corpus. Oportet ergo in aliis quinque diebus jejunare cum compunctione propter paſſionem Chriſti & Dei noſtri: multo autem magis magno Sabbato. Propterea enim & qui ſunt religioſiores, toto Sabbato, & uſque ad horam ſextam noctis in Eccleſiis aſſident, & hora Sexta divinis Sacramentis communicantes, panem & aquam guſtant, fortaſſe autem & modicum vini*. Poſt quartam feriam hebdomadæ Paſſionis, ait Balſamon, dies Dominicæ Paſſionis proprie præfiniri, hoc eſt, eos non alios eſſe, quam *Feriam Quintam, Paraſceven*, & *Sabbatum* majoris hebdomadæ; oportere proinde, in aliis quoque diebus, in feria nempe ſecunda, tertia, & quarta, jejunare propter Paſſionem Chriſti; multo autem magis in Feria Quinta, Sexta, & Sabbato Magno. Hoc itaque ſibi vult Joannes Oznienſis, dum ſtatuit, Feria quinta Majoris hebdomadæ non eſſe populo Sacram Communionem porrigendam; propter ſolemne ſcilicet jejunium, quod ab illa die uſque ad il-

(1) τὸ τεθειμένον σῶμα αὐτοῦ.

lucescentem Resurrectionis Dominicæ diem, multo magis quam aliis Quadragesimæ diebus servari consueverat: Græci enim & Armeni Paschalem populi communionem ad Sextam noctis horam post Sabbatum magnum differebant: idque ipsum significant ea verba quæ Oznienfi decreto, *Feria quinta majoris hebdomadæ non esse populo distribuendam communionem*, subjunguntur: *Eo quod Dominus non fuerat crucifixus, neque sepultus, neque a mortuis suscitatus*: hoc est, nonnisi transactis Passionis Dominicæ jejunalibus tribus illis diebus, Eucharistiam a populo sumendam.

SECTIO V.

Canon Trullanus LVI. contra eos, qui in Armeniorum regione & in aliis locis, in Sabbatis & Dominicis Quadragesimæ, ova & caseum comedebant. Armeni tamen per totam Quadragesimam non modo caseum & ova non comedunt; sed etiam a piscibus, vino & oleo abstinent.

PErgit Oznienfis: *Præterea statuit, pisces, oleum, & vinum esse in eodem ordine computanda tempore jejunii, cum lacte, caseo & ovis*. Hoc Armeni hucusque inviolabili lege observant: In jejunio scilicet Quadragesimali, a piscibus, oleo, & vino abstinent. In Libello errorum, quem Benedictus XII. anno 1342. ad Armenos transmisit, hic tamquam error, Armenis objicitur Articulo XLVII. apud Martene Tom. VII. vet. Script. Collect. pag. 364. *Item, quod quum Armeni jejunant diebus jejuniorum institutis inter eos, non comedunt carnes, nec pisces, nec ova, nec caseum, nec butyrum, nec lac, nec oleum, quia dicunt, quod omnia ista sunt quædam carnes*. Respondent Patres Synodi Sisensis ad Clementem VI. Papam: dicentes loc. cit. *Verum est hoc, excepto oleo, quod communiter comedunt, & de piscibus multi comedunt; & causam, quam dicunt non comedendi,*

di, dicentes, quod sunt quædam carnes, hoc falsum est: quoniam non propter hoc quod dicit, non dimittimus comedere, sed quia ab Ecclesia nostra prohibita sunt, & quia habemus exemplum a Christo, ab Apostolis, & a Sanctis Patribus in Thebaida, qui in diebus jejuniorum ab omni pinguedine & sapido cibo abstinebant, ad affligendum & subjiciendum corpus, ut dicit Apostolus, quod per necessitates & desideria seipsos crucifigebant. Quod de *oleo* & *piscibus* dicitur, a nonnullis nempe Armenis in Jejuniorum diebus manducari; id peculiare fuit in Sisensi Patriarchatu, seu in Minori Armenia, donec illa communionem Romanæ Ecclesiæ coluit; non vero in majori Armenia, neque hisce diebus apud Armenos veterum Rituum observantiores. In Synodo Tarsensi, quæ anno Chr. 1177. celebrata fuit, sexta propositio, quam Armeni a Græcis postularunt apud Galan. Tom. 1. pag. 344. hæc est: *Jejunia, a Canonibus injuncta, nec a Regularibus, nec a Sacerdotibus, esu piscium, aut Vini potu solvantur.* Vincentius Bellovacensis in Spec. histor. lib. 30. cap. 98. Armenorum consuetudines describens (apud eund. Galan. Tom. 1. pag. 371.) *Multa* (inquit) *faciunt Jejunia. In Septimana ante Septuagesimam, quia dicitur Jejunium Sancti* (1) *Sanguinis, a secunda feria usque ad Sabbatum jejunare incipiunt, & in Sabbato & in Dominica die carnes comedunt. Idem in hebdomada sequenti faciunt. In Quartis & Sextis Feriis, oleum & pisces non comedunt, nec vinum bibunt: nec etiam per totam Quadragesimam, magis illum peccare, qui in Quadragesima* (2) *comedit pisces, vel oleum, aut bibit Vi-*

(1) Ita Artziburium vocat.

(2) In Libello errorum a Benedicto XII. ad Armenos transmisso, Articulus 47. hic est. „ Dicunt & prædicant, quod illi, qui in diebus Jejuniorum comedunt pisces, ova, caseum, butyrum, & oleum, sunt maledicti & infideles, & extra fidem constituti, & sunt ab Ovili Christi separati „. Responsio Armenorum. „ Ista sunt verba rixæ & contrarietatis: quoniam qui Christi sunt, secundum Apostolum faciunt, qui dicit: *Is qui manducat, non manducantem non spernat: Et qui non manducat, manducantem non judicet.* Et, *qui manducat, Domino manducat; gratias enim agit Deo*: Et *qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo.* Et non maledicimus, nec dicimus, quod propter cibaria separati sunt comedentes ab Ovili Christi, &, si quandoque aliqui dicunt talia verba, sicut superius dicitur, propter rixas & controversias dicunt, non secundum legem „.

num, afferunt, quam illos, qui ad lupanar vadant. Porro in Septimana ante Quinquagesimam ita stricte jejunant, quod in Secunda feria penitus abstinent, in die Martis tamen aliquid sine oleo & vino manducant: & in die Mercurii iterum jejunant: in die Jovis comedunt semel: in die Veneris omnino nihil: & in Sabbato comedunt carnes: & hoc quidem Jejunium faciunt majores. Quidquid sit de arbitrario nonnullorum Jejunio, ad Quadragesimam quod spectat, certum est, Armenios Quadragesimali tempore, non modo a carnibus, lacte, caseo, & ovis abstinere, sed etiam a piscibus, oleo, & vino. Communem autem hunc cum Syris Armenorum Ritum, non modo non damnavit, sed semper probavit Sancta Romana Ecclesia; quin imo quum allatæ essent ad S. Congregationem de Propaganda Fide literæ Sacerdotis cujusdam, sacris Missionibus exercendis deputati in civitate Bassoræ, quibus literis exponebat, quod, quum Catholicis Orientalibus *Armenis* & *Syris* præceptum sit, diebus Jejunio dicatis, a Piscibus abstinere, plures inter ipsos reperiuntur, qui id minime observant, non ullo sane adducti contemptu, sed partim naturæ fragilitate pertracti, partim ex eo, quod Latinis Catholicis aliam esse consuetudinem intuerentur; ideo non alienum videri, si facultas Missionariis concederetur permittendi, non quidem universis, sed speciatim his, aut illis, ut piscibus utantur Jejunii tempore, ita tamen, ut nullum inde scandalum oriatur, & aliud pietatis opus, loco abstinentiæ a piscibus, subrogare jubeantur: quumque hoc inter alia Quæsitum in Congregatione generali Inquisitorum coram doctissimo Pontifice Benedicto XIV. die 13. Martii anno 1755. propositum fuisset: responsum fuit: *nihil esse innovandum*. Id quod ipse etiam Pontifex auctoritate sua firmavit, edita hanc in rem pererudita Encyclia Decretali, quæ incipit, *Allatæ sunt*, T. 4. Bullar. pag. 286. Dat. 26. *Julii* 1755. ubi pag. 315. §. 47. sic ait: *Syri Armenique Catholici, juxta ipsorum Ritum, ab esu Piscium, Jejunii tempore, abstinent. Verum*

rum quum Latinos iis vesci conspiciant, & cæteroquin impossibile, vel saltem difficillimum asseratur, eos temperare posse a piscibus, quibus Latinos vesci intuentur: ideo tamquam rationi consentaneum proponitur, ut Missionariis facultas tribuatur, cum iis dispensandi; caute tamen, omnique secluso scandalo, & pio aliquo opere, in locum abstinentiæ a piscibus, subrogato. Aptissimus hic fieret locus disserendi de vetustate Jejunii apud Orientales, *ejusque lege, licet severiori, exactissime tamen semper servata. Sed ne longiores simus, quam par est, id unum dicimus, Apostolicam Sedem toties Patriarchis obstitisse, quoties veterem rigorem Jejunii suis subditis præscripti, relaxare voluerunt. Petrus Maronitarum Patriarcha Archiepiscopis & Episcopis sibi subjectis, carnibus vesci, laicorum more, indulsit, licet juxta veterem disciplinam carnibus abstinerent; universo autem populo Quadragesimæ tempore pisces edere, vinumque bibere permisit, quamvis id illis esset prohibitum. Sed Pontifex Paulus V. datis ad Patriarcham Petri successorem literis Apostolicis in forma Brevis die* IX. *Martii* 1610., *jussit, ut abrogatis iis, quæ Petrus Patriarcha concesserat, res in pristinum statum restituerentur. In Pontificatu nostro ad examen revocata est nimia facilitas atque indulgentia Euthymii Archiepiscopi Tyri & Sidonis, & Cyrilli Patriarchæ Antiocheni, erga Græcos Melchitas; fuitque improbata, ut patet ex Constitutione nostra*, Demandatam, 87. §. 6: Bullarii nostri tom. 1. *Nos hujusmodi innovationem, & abstinentiarum relaxationem, & coarctationem, in nimium detrimentum Veteris Græcarum Ecclesiarum disciplinæ vergere judicantes, licet alioquin, deficiente auctoritate Apostolicæ Sedis, nullius roboris esse dignoscantur, eas tamen auctoritate nostra expresse revocamus, & nullum effectum in posterum habere, neque ullatenus executioni mandari, sed omnia in pristinum restitui debere jubemus, atque insuper in toto tractu Patriarchatus Antiocheni laudabilem consuetudinem a Majoribus derivatam, abstinendi etiam qualibet Feria quarta & sexta per annum ab esu piscium, quæ ab aliis quoque finitimis popu-*

populis ejusdem Graeci Ritus exacte custoditur, indistincte servari praecipimus = Incongruum vero est asserere, ideo dispensationem concedendam esse, vel potius generalem dispensandi facultatem, quod nempe Orientales aspicientes Latinos vesci piscibus tempore Jejunii, exinde facile adducantur, ut & ipsi non quidem ex aliquo contemptu; sed naturae fragilitate victi, piscibus, jejunii diebus, utantur. Hoc namque argumento, siquid illud valeret, in primis omnimoda induceretur Rituum confusio: deinde, si illius ratio haberetur, illud etiam consequeretur, ut Latini inspicientes Graecos peculiaribus quibusdam vivere institutis, quae Latinis minime permittuntur, imo inhibentur, dispensationem petere possent, ut sibi liceret ea facere, quae a Graecis fieri intuentur; profitentes se Latinum quidem Ritum suscipere, sed ob naturae fragilitatem eum diutius servare non posse. Hactenus Benedictus XIV. Pontifex, qui Armenos, Graecos, aliosque Orientales populos ab exacta Rituum suorum observatione ne latum quidem unguem discedere jubet. At eis, qui in Italia domicilium fixere, plura permittit, quae Orientalibus negat: quemadmodum cernere est in Constitutione ipsius LVII. quae incipit, *Etsi Pastoralis*, Tom. I. Bullar. ubi §. IX. num. 12. pag. 181. Italograecis in tota Italia & Insulis adjacentibus permittit, ut in Quadragesima, & aliis ipsorum Jejuniis, *Piscibus, Oleo, & Vino uti possint*. Ad Armenos vero quod spectat, Gregorius Sisensis illorum Patriarcha in Epistola ad Haytonem Regem apud Galanum Tom. I. cap. 27. pag. 449. & seq. confirmat, consuetum apud eandem gentem in Jejunii diebus a piscibus & oleo abstinendi morem: inquiens: *Quocirca nos a Sancta Romana Ecclesia*, Aquae commixtionem *modo recipimus, sicut ab eadem acceptum habemus* Azymum, mitram Episcopalem, *&* modum signandi Crucem; *tametsi non item* pisces, *&* oleum *in Quadragesima concedimus; excepto Annunciationis die.*

Quum igitur tum Joannes Ozniensis in Conciliabulo Manaschiertensi statuerit, *Pisces, Oleum, & Vinum esse in eodem ordine computanda tempore Jejunii, cum lacte,*

lacte, *caseo*, *& ovis*: tum etiam Gregorius Sisensis Patriarcha, qui circa annum Christi 1300. Armenis præerat, disertim asserat, *neque Pisces*, *neque Oleum in Quadragesima Armenis concedi*: miror, undenam Græci recentiores hauserint, quod, nonnisi per summam calumniam & manifestum mendacium, de Armenis dictitant, eos nempe in Quadragesima *lacte*, *caseo*, *& ovis* vesci. Hæc sunt Niconis Monachi verba *in Opusculo de pessimorum Armeniorum pessima religione* (apud Galanum Tom. 1. pag. 26. & seq.) *Comedunt autem & in Sabbatis & in Dominicis Sanctæ Quadragesimæ Ova*, *caseum*, *& butyrum*: *& in primis eorum universalis Episcopus*: *& est apud eos Canon*, *qui dicit*: *siquis butyrum*, *caseum*, *& ovum*, *vino & oleo non æquivalere existimet*, *sit anathema*. Græcus Anonymus auctor putidissimi libelli, cui titulus: τὰ αἰτιώματα τῆς λατινικῆς ἐκκλησίας, *Criminationes adversus Ecclesiam Latinam* (apud Cotelerium Tom. 3. Monument. Eccles. Græc. num. LVII. pag. 506. Armenorum errores ad Latinos traducens: *Armenizant vero* (inquit) *seu cum Armeniis consentiunt in iisdem Azymis*: *quando hebdomade Lacticinii*, *& prima Jejuniorum*, *carnem manducant*: *quum diebus Sabbati & Dominicæ quadragesimalibus lacte vescuntur*: *dum extra tempus convenient Festa Dominica peragunt*: *etenim Armenii quinto Januarii die*, *Annunciationis Festum celebrant mane*; *sexta vero die ejusdem mensis*, *Baptismum*. Et num. LIX. pag. 509. *Hebdomada Lacticiniorum*, *vescuntur carne*. *Cum Sacramentorum Vino Aquam non miscent*. *Itidemque Chatzizarii*. *Hi autem diebus aliquot ante Carnis privium jejunantes*, *Quadragesimæ Sabbatis & Dominicis*, *ova & caseum comedunt*. *Ipsi quoque offerunt Azyma*. Ut de cæteris sileam, quæ suo loco sunt a me rejecta, ridenda prorsus hæc criminatio adversus Latinos, quos una cum Armeniis per summam calumniam & apertum mendacium asserit Græculus iste, *diebus Sabbati & Dominicæ Quadragesimalibus lacte*, *ovis*, *& caseo vesci*. Quis enim nescit, Romanam Ecclesiam ab hisce per totam Quadragesimam abstinere? Ad Armenios

menios quod spectat, Christianus etiam Lupus in eam Græculi illius sententiam incautus abripi se passus est, dum not. in Canonem LVI. Trullanum affirmat, a Joanne Oznienti permissum fuisse in Quadragesima, *Vini, Lacticiniorum & Ovorum* usum. Postquam enim recitata superius Niconis verba protulisset, subjungit: *Variarum Ecclesiarum varia olim per Quadragesimam fuit abstinentia. Oleo & piscibus usa semper est Romana Ecclesia, eamque indulgentiam a Sancto Gregorio Magno Pontifice quoad Dominicas & Annunciationis festum mutuata est, reliquis diebus Xerophaga, Ecclesia Armeniorum, tandemque jam dictus Joannes Patriarcha addidit Vinum, Lacticinia, & Ova.* Hoc falsum, si de Joanne Patriarcha Oznienti sermo sit. Is enim non modo lacticinia, ova, & caseum in Quadragesima prohibuit, sed etiam *vinum, pisces, & oleum*; quin imo, & hæc tria, *vinum*, nempe, *pisces* & *oleum* tantundem esse in Quadragesima declaravit, ac *ova, caseum* & *lac*: utrorumque nempe usum in diebus Quadragesimalibus esse prorsus illicitum: id enim sibi volunt illa Synodica ejusdem Joannis verba: *Patriarcha iste decrevit in Quadragesimæ Sabbatis jejunium esse frangendum, quemadmodum in Dominicis: Præterea statuit, Pisces, Oleum, & Vinum esse in eodem ordine computanda tempore Jejunii, cum lacte, caseo, & ovis.* Recte proinde Galanus lib. II. pag. 203. & seq. mentem Ozniensis exponens: *Ut suam* (inquit) *magis cohonestaret hypocrisim, atque dictas Sanctiones, aliosque perniciales abusus reformaret, arctiorisque disciplinæ prætextu suaderet; injunxit ultro Armenis, ut in ipsorum Jejuniis, quæ quidem celeberrima sunt, adhuc a piscibus, oleo, & vino abstinerent; quod illi hucusque inviolabili lege observant.* Quemadmodum igitur a piscibus, oleo, & vino; ita multo magis ab ovis, lacte, & caseo in diebus Jejunii abstinent Armeni, uti res est lippis tonsoribusque comperta. Undenam ergo Nicon, aliique Græci recentiores calumniam hujusmodi adversus Armenos hausere, ut dicerent, *illos concedere & in Sabbatis & in Dominicis sancta*

sanctæ Quadragesimæ, ova, caseum & butyrum: & esse apud eos Canonem, qui dicit: Siquis butyrum, caseum & ovum, vino & oleo non æquivalere existimat, anathema sit? Nimirum, eo quod consueto in Armenos furore correpti, Canonis istius verba non intelligentes, illum in contrarium plane sensum detorquent, perinde ac si dicat, *vinum, oleum & pisces in Quadragesima Armenis æque permitti, ac butyrum, caseum & ovum.* Quod tamen ab Armenorum mente tantum abest, quantum Armeni a Græcis, & Oriens ab Occidente.

Causam vero in hunc puerilem errorem incidendi, Græculis recentioribus dedit Canon Trullanus LVI. qui sic habet: *Similiter accepimus, & in Armeniorum regione, & in aliis locis, in Sabbatis & Dominicis sanctæ Quadragesimæ*, ὠὰ καὶ τυρὸν ἐσθίειν τινὰς, *quosdam ova & caseum comedere; visum est ergo, & hoc, ut omnis Dei Ecclesia, quæ est in universo terrarum Orbe, unum ordinem sequens, Jejunium perficiat, & abstineat, sicut ab omni mactabili, sic ab ovis & caseo, quæ quidem sunt fructus & fœtus eorum, a quibus abstinemus. Armeni itaque* (verba sunt Balsamonis in eundem Canonem) *& quidam, ut est verisimile, Orthodoxi, ex hoc Canone errantes, in dictis diebus comedebant caseum & ova, ut quæ essent sanguinis expertia, & autumni fructibus similia. Hoc itaque corrigens definit Synodus, omnes Dei Ecclesias debere unum ordinem sequi, & abstinere omnes ab omni mactabili, quoniam & ova & casei, etiamsi fructus reputentur, sed quoniam ea, ex quibus illa processerunt, non comedimus, ne iis quidem ipsis vesci ac Jejunium solvere debemus.* Sed quidquid sit de hujus Canonis interpretatione, non omnes, nec solos Armenios ait Canon, in Quadragesima, *ova & caseum comedere, sed quosdam & in Armeniorum regione, & in aliis locis.* Quare ad totam Armenorum gentem perperam mos ille traducitur, & pejus adhuc ad Joannis Oznienfis statuta id refertur. Interim notandum, quod Photius schismatis auctor, ex hoc Trullano Canone Latinis improperavit, *quod septem ante Pascha hebdomadibus a ca-*

a casei, & ovorum esu. more suo, non cessent. Respondit vero Nicolaus Pontifex: *Calumnia est: quum in Italia nunquam in usu fuerit. Trans montes tamen id ex magna causa alicubi apparet esse concessum*. Porro eam varietatem, unitati fidei nihil officere, jam pridem responderunt Socrates lib. v. histor. Eccles. cap. xxi., & Sozomenus lib. vii. cap. xix. Quumque Marcus Ephesius Unionem Græcorum & Latinorum in Florentino Concilio factum, ex diversitate rituum infringere conaretur, Gregorius Protosyncellus objectionem refellit ex hoc eodem capite, dum diversitas rituum, non tantum inter Græcos & Latinos, sed in Græcis etiam ipsis Byzantium incolentibus conspiceretur, nec tamen propterea sese condemnantibus. Hæc sunt ejus (1) verba. *Nescit ergo, ut plane videtur, eximius hic vir, varios in hac etiam urbe magna Constantinopoli servari mores, Jejuniorumque ac Rituum Ecclesiasticorum esse diversitates. Namque ante Christi natalem sunt qui ordiuntur Jejunium ex die xv. Novembris, alii ex die vi. Decembris, alii ex vigesima. Ad honorem quoque Ascensionis Christi, quidam jejunare incipiunt ex Kalendis Maji; & alia ab aliis Jejunia observantur. Nam & ipso sanctæ & magnæ Quadragesimæ tempore, diebus Sabbati & Dominicæ, multi vescuntur piscibus, aliis quoque alii diebus; sunt etiam qui ab iis omnino abstinent. Quid ergo? dicemus ne, illos fide etiam inter se diffidere? In ritibus quoque Ecclesiasticis consuetudo est varia. Nam Constantinopolitana major Ecclesia in celebrandis officiis alio more utitur, alio vero majora Monasteria, alio minora ad quietem accommodata: denique alio Sacerdotum secularium Ecclesiæ. Quin & Tabennesiotæ in uno eodemque Cœnobio varios jejunandi, psallendique modos habebant, aliis per biduum jejunantibus, aliis per hebdomadem: & his quidem ad vesperam, illis vero de nocte, sacros hymnos canentibus: quod fiebat etiam in Monasterio Acœmetarum. Sanctus Simeon Stylita quadraginta dierum jejunium, nihil omnino degustans complevit: idem Beatus quoque*

(1) Apud Allat. in concordia utriusque Ecclesiæ lib. 3. cap. xx. pag. 1106.

que Daniel præstitit: hæc tamen nemo ad hanc diem in crimen vocavit. Jubet Canon, omnibus sextis feriis esse jejunandum; nos quibusdam non jejunamus: Latini vero nunquam ejus diei solvunt jejunium, nisi natalis Domini dies contingat. Rursus præcipiente Canone, non esse jejunandum Sabbato, Socrates, qui fuit ante Synodum tertiam, in occiduis, inquit, partibus jejunant diebus Sabbati: nec tamen qui illis fuere temporibus, crimini hoc dederunt, quod scirent, varios jejuniorum & rituum mores non inferre differentiam fidei.

S E C T I O VI.

Expenditur Græcorum criminatio in Armenos circa Jejunium Artziburii.

UTi Armenios Græci mendaciter asserunt, diebus Sabbati & Dominicæ per Quadragesimum *ovis, caseo, & lacte vesci*: ita eosdem per summam calumniam culpant, tum quod *Tyrophagiæ* seu Sexagesimæ *Septimana carnes comedunt*; tum quod per *Septuagesimæ septimanam* Jejunium, quod *Artziburii* dicitur, observant. Armenios tertia hebdomada, quæ *Septuagesimam* Latinorum antecedit, & a Græcis προσφωνήσιμος, *Prosphonesimus* dicitur, jejunare consuevisse, haud dubium est. Jejunium hoc pluribus abhinc seculis adeo exsecrari cœperunt Græci, ut illa hebdomada, caseum & ova etiam quarta & sexta feria contra Canones moremque ab iis receptum comederent. Hinc in Triodio: „ Sciendum est „ (*inquiunt*) hac hebdomada terque quaterque maledictos Armenios jejunium suum execrandum, quod Artziburium vocant, jejunare; nos vero quotidie caseum „ & ova comedimus, eorum dogma hæresimque refellentes „. Typicum quoque (1) hæc habet de Armenis: „ Hebdomada Prosphonesimi, Armeni pro Artziburio, quod ipsi sic nominant, jejunant: qui similis „ jejunii improbitatem tegere cupientes, alii propter „ Ninivitas id jejunium institutum fuisse, alii propter „ Adæ

(1) Vide Allat. de Dominicis & Hebdomadibus Græcor. num. VIII.

„ Adæ exilium tradunt. Veritas tamen eſt, propter ca-
„ nis exitum, magiſtri eorum Sergii nuncii. Quum
„ enim canis ille ab eodem mitteretur, ſola ſui præ-
„ ſentia oppidis & urbibus, in quas ille progreſſurus eſ-
„ ſet, prænunciabat Magiſtri adventum. Artziburium
„ namque, Armeniorum dialecto, nuncium ſignificat.
„ Quum itaque eum Sergius a feris devoratum deplo-
„ raſſet, Armeni quoque cum illo luctui ſe dederunt,
„ ideoque & luctui jejunium addiderunt „. Eandem je-
junandi cauſam exponit Iſaacus (Armenorum dictus Ca-
tholicus) in Invectiva adverſus Armenos. „ Jejunium
„ obſervant, dictum Proſphoneſimum, quod ab impiis
„ ac profanis hæreticis traditum acceperunt, congrega-
„ tis in Matzecar, ſive (1) Theodoſiopoli, quando ſciſſi
„ ſunt a Chriſtianorum orthodoxa fide, ac ſceleſte il-
„ lud Jejunium Jezabel ſanxerunt. Nam illa jejunium
„ prædicavit, non propter juſtitiam & ſanctitatem, ſed
„ ut effunderet ſanguinem, ac jejunii arte, interfecit
„ Nabuthem, quod & Chryſoſtomus in diverſis ſermo-
„ nibus exagitat, ut doloſum jejunium, ut injuriæ (2)
„ matrem, in fuſi inique ſanguinis ingurgitatam domum,
„ ut iræ Dei parentem. Ita & hæretici illi ejuſmodi
„ prædicaverunt jejunium, non ſanctificationis cauſa,
„ ſed ut ſe ab orthodoxorum fide abſcinderent: ſicque
„ illud confirmatum ac ratum voluerunt, ut ipſum ti-
„ meant, ac quod emiſerunt ſacramentum, quum alio-
„ qui ſit ira Dei, ac acephalum, nec ſolemne, tanquam
„ tabernaculum in deſerto, ac ſicut corpus inanime,
„ ac mendacii organum, ac ſicut infrugifera regio. Ubi
„ porro eorum aliquem habueris obvium, atque ab eo
„ fueris percontatus, quidnam jejunium ejuſmodi velit;
„ reſpondebit falſa quidem & execranda. Ubi autem alium
„ quempiam interrogaveris, priorem illum mendacem
„ faciet, ac rejiciet, dicetque alia abſona. ſicque exitio-
„ ſiſſimum ac inconſonum habent tale jejunium, quippe
„ ſcriptum eſt in Proverbiis: qui ſperat in mendacio,
„ pa-

(1) Allucinatio manifeſta. Nam Matzecar, ſive Manaſchiertl, alia omnino eſt a Theodoſiopoli. (2) *Avaritiæ matrem*. Sic Græcus textus.

„ pascit ventos, ambulat in terra inaquosa ac sterili,
„ congregabitque sterilitatem „. Tum vero idem Isaacus veram, ut putat, hujusce jejunii causam aperit. „
„ Audiant omnia hæc impiorum falsa figmenta, falsi
„ nominis Christiani, ac falso existimati orthodoxi,
„ qui cum hæreticis hunc animis exitiosum Artzeburem alacri animo jejunant, ac eorum dolum cogitent,
„ ut nimirum execrandum quoddam ejusmodi sit illorum
„ jejunium. Nempe, Sergius quidam, Armeniorum hæresis magister, Canem habebat, sic appellatum Artzeburem. Porro ea vox prænuncium significat. Utebatur sæpenumero Sergius eo adventus nuncio ac indicatore, dæmone ipsum agente, quum in oppidum
„ aliquod aut urbem vel locum venturus esset, ubi ejus
„ discipuli, ac ejus hæresis infecti lue, habitarent. Quumque illi Canem vidissent, postridie ad aliquot milliaria obviam Magistro effusi procedebant. Porro contigit, ut Canis quandoque emissus ad solitum munus,
„ a lupo devoraretur; inque crastinum profectus est
„ Sergius, quo Canem destinarat. Quum autem nemo,
„ uti lex erat, obviam processisset, graviter tulit, veniensque ad eos, ubi cognovit, ejus præcursorem catellum minime advenisse, misit qui eum requirerent:
„ exque inventis ossibus, a lupo devoratum cognoscens,
„ Armeniis omnibus præcepit, ut statutis quotannis diebus pro ejus morte jejunarent, ac tristes luctum agerent; idque jejunii appellavit Artzeburem. *Marcus hieromonachus in Responsis*: In hebdomade, cui Prosphonesimo nomen est, ipsi Armenii jejunant pro suo
„ sic dicto Artziburio „. Nicon de religione Armenorum: „ Septimana quoque Tyrophagi, carne vescuntur, jejunantes Septimana, quæ est ante Apocreon,
„ intensis jejuniis, præter panem & aquam nihil aliud
„ gustantes „. Theodorus Balsamon in Responsis ad Marcum Alexandriæ Patriarcham, quum ad Interrogationem LII. „ Jejunium solvens carnibus, caseo, & ovo,
„ diebus Mercurii & Veneris (*feria quarta & Parasceve seu feria sexta*) totius anni, venia dignus, an
„ non?

„ non? *Respondisset*: Qui ſine corporali infirmitate ſol-
„ vit dies Mercurii & Veneris, punitur juxta ſexage-
„ ſimum nonum Canonem Apoſtolorum: *ſubjungit*: Quan-
„ do vero propter imbecillitatem coactus fuerit ſolve-
„ re, piſcibus vel oleo moderabitur ægrotationis af-
„ flictionem: carnes enim, vel caſeum, aut ovum at-
„ tingere non fuerit conceſſum, licet extremam efflet
„ animam, neque in magna Quadrageſima, neque in
„ qualicumque *τετράδι καὶ παρασκευῇ*, Feria quarta, &
„ Paraſceve: ſufficit enim ei, qui neceſſario per arido-
„ rum eſum magnificare debet Feriam quartam & Pa-
„ raſceven, per oleum & piſces morbi acerbitatem mi-
„ tigare. Excipe mihi Feriam quartam & Paraſceven
„ *τῆς Ἀπόκρεω* carniſprivii, *τῆς τυροφάγου*, Tyrophagi,
„ *τῆς διακαινησίμου*, Diacæneſimi, *καὶ τοῦ δωδεκαημέρου*, &
„ duodecim dierum: in his enim per carnes etiam, ci-
„ tra periculum, jejunia frangimus: quia dodecaheme-
„ rum (*duodecim dies*) jejunant Armeni propter Arzi-
„ burium, in hebdomade Tyrophagi, Tetraditæ hære-
„ tici jejunium magnum obſervant. Nos igitur contra-
„ ria iis facientes, frangimus, ne videamur cum iis
„ conſentire, eo excepto, quod illud fiat, ſiquis cum
„ Tetraditis aut Armenis habitat; alioquin enim, ſi in
„ regione degat ubi nullus eſt ejuſcemodi, deguſtabit
„ tantum ex carnibus, vel caſeo, & ſuſpicionem atte-
„ nuabit per continentiam, non per ingluviem „. Nicon
ait, Armenos in ſeptimana quæ eſt ante Apocreon, pro-
pter Artziburium, jejunare; Balſamon autem ſcribit,
*κατὰ τὸ δωδεκαήμερον νηστεύουσιν οἱ Ἀρμένιοι διὰ τὸν Ἀρτζιβού-
ριον, κατὰ τὴν ἑβδομάδα τῆς πρώτης ἀπόκρεω διὰ τοὺς νι-
νευίτας*, *Circa dodecahemerum jejunant Armenii propter
Artziburium in hebdomade prima Carniſprivii, propter
Ninevitas*. Corrigendus Balſamonis textus ſic: *κατὰ τὴν
ἑβδομάδα τῆς προσφωνησίμου, τὴν πρὸ τῆς ἀπόκρεω νηστεύου-
σιν Ἀρμένιοι*, *In hebdomade Proſphoneſimi, quæ hebdo-
madam Carniſprivi antecedit, jejunant Armeni*, & cæ-
tera. Hebdomades nempe, quæ Jejunium Quadrageſi-
male antecedunt, apud Græcos ſunt, prima *Proſphone-
ſimus*:

ſimus : ſecunda , *Apocreos* : tertia , *Tyrophagus* : qua hebdomade abſoluta, incipit *Dominica prima Quadrageſimæ*, quæ reſpondet Latinorum *Quinquageſimæ* : nam poſt hanc Dominicam , *die Lunæ* Græci jejunium Quadrageſimale auſpicantur , aliter ac Latini , qui *Feria quarta* incipiunt . *Dodecahemeron* autem appellant Græci , *duodecim dies* , qui a Natali Domini uſque ad Epiphaniam numerantur . *Diacæneſimum* vero nuncupant hebdomadam illam quæ a *Dominica Paſchatis* uſque ad *Dominicam in Albis* cenſetur . Errat proinde Balſamon, dum ait , dodecahemeron ab Armeniis jejunari propter Artziburium : errat etiam , eoſdem dicens in carniſprivii Septimana jejunare . Errat denique aſſerens, Tetraditas, hoc eſt , Jacobitas & Chazitzarios in hebdomade Tyrophagi jejunare . Chriſtianus quoque Lupus a nonnullis Græcis Scriptoribus ſeductus , perperam ſcribit , Armenos *Septuageſimæ Septimana* propter Artziburium jejunare . Jejunium Armeniorum , in hebdomada , quæ Dominicam Septuageſimæ Latinorum , & Apocreos Græcorum , antecedit , celebratur . Audiatur Nicolaus (1) Patriarcha Cp. ad Anaſtaſium Sinaitam de Jejuniis: *Hebdomadem itaque eam dico , quæ ante hebdomadem Apocrei eſt , quam etiam nos vocamus hebdomadem Artziburii . Multi fueverunt abſque ullo timore ſolvere Feriam quartam „ & ſextam ; laici quidem carnem , ſimiliter vero & Monachi caſeum comedentes ; probe ſentientes , & probe agentes . Etenim ſi ex genere Armeniorum originem ducerent & hæreſi Artizburii adhærerent , probe faciunt , omnem ſuſpicionem a ſe amolientes . Si vero fideles Orthodoxi ſunt , & ab* Orthodoxis *prognati ; fruſtra ſolutionis jejunii hanc cauſam afferunt . Illi enim per totam Hebdomadem jejunant , pane ſolo , ſale , & aqua contenti ; nos vero jejunium ſolvimus ab ipſa Feria ſecunda . Quare ex hoc demonſtratur , nos cum illis non communicare , & Artziburium iſtos fruſtra cauſari* , καὶ μάτην προφασίζονται ἤτοι τὸ Ἀρτζιβούριον. Idem ſentit Anaſtaſius Cæſarienſis: *Hebdomade , quæ præcedit Apocreon , qua Artzibu-*

(1) Apud Allat. de Dominicis & hebdomadibus Græcor. tom. VIII. p. 1419.

ziburium jejunant Armenii , apud nonnullos nullum jejunium est. Verumtamen Monachus , qui sibi soli vivit, & quilibet alius Christianus, his diebus feria quarta & sexta jejunet . Etenim Armenii per totum Hebdomadem jejunant : nos vero si unico die non jejunaverimus , eorum hæresim amolimur; quanto magis, si feria secunda, tertia, & quinta : quare duos illos dies, feriam nempe quartam & sextam , omnino servare debemus. Idem ipsum Artziburii jejunium detestantur Euthymius Zygabenus Panopl. Par. 2. tit. 20. Balsamon in Canonem 69. Apostolorum, Nicephorus Gallistus hist. Eccl. lib. 18. cap. 54. Anonymi duo post Typicum Sancti Sabæ : Nomocanonis Græcus auctor apud Cotelerium, aliique passim Græci, quos omnes recensere longum esset.

Quum autem in Sacra Congregatione correctioni Librorum Ecclesiasticorum Orientalium deputata , ad examen revocata fuissent ea Triodii verba quæ pag. 10. col. 2. lin. 24. habentur : *Sciendum est , hac hebdomade terque quaterque maledictos Armenios jejunium suum execrandum , quod Artziburium vocant , jejunare ; nos vero quotidie caseum & ova comedimus, eorum dogma refellentes:* quumque in medium producta fuissent quæcumque Græci scriptores adversus illud Armeniorum jejunium (ut supra) tamquam a Sergio hæretico Episcopo in memoriam sui canis a lupo devorati institutum, scripto tradidere: hinc quidem videbantur allata Triodii verba nequaquam esse delenda , quia improbari ab Ecclesia Catholica Jejunium illud debet, quod ab hæreticis prava de causa institutum deprehenditur ; sicuti reipsa Sanctissimos antiquissimosque Patres , aliorum hæreticorum Jejunia improbasse manifestum est : Huc enim spectat, quod Nicolaus & Nicephorus Patriarchæ Constantinopolitani libertatem , quæ a jejunio feriæ quartæ & sextæ propter Tetraditas eximit, Græcis suis concedunt ; quodque Matthæus Monachus in libro de Matrimonialibus quæstionibus scribit : *Et quidem in primis eos vesci carnibus convenit in diebus, quibus Hæretici quidam ab eis abstinere solent , ne cum eis sentire videantur :*

tur : præsertim si forte degant in urbe , cujus maxima pars hoc morbo laboret . Uti nos Latini (inquit Christ. Lupus differt. de S. Leonis IX. Actis, in responsione ad quintam schismaticorum Calumniam) non integros manifeste Orthodoxos , sed solos de Priscilliani lepra suspectos , ad carnem , aut certe ejus jusculum degustandum coëgimus olim per Hispanicas Synodos ; ita Patriarcha Nicolaus solis de Armeniorum errore suspectis censuit memoratis quarta & sexta feriis carnes permittendas.

Verum in eam sententiam Sacra Congregatio devenit, Græcis nempe Scriptoribus , quos utpote infensissimos Armeniorum hostes , illos sæpe calumniatos fuisse perspicuum est , fidem adhibendam non esse ; idque eo magis , quod res ipsa adeo absurda & ridicula videtur, ut recentiorum Græcorum ad fabulas proclive ingenium cognosci possit . Neque hujus argumenti vis , *Niconis*, & *Isaaci* auctoritate elevatur, quorum primus vulgo creditur is esse, qui decimo seculo, Armenorum & Cretensium Apostolus fuit, & a S. Romana Ecclesia sexto Kalendas Decembris colitur; alter Armeniorum Catholicus seu Patriarcha inscribitur. Nam pronum est demonstrare, eos opera illa haudquaquam scripsisse , quæ illis tribuuntur. Utque ab *Isaacio* exordiar , sciendum est, hunc alium prorsus esse a Sancto Isaaco , de quo Armena Historia apud Galanum Tom. 1. Conciliat. Eccl. Arm. pag. 60. Nam ille Armenam Ecclesiam quarto sæculo rexit; hic vero, cujus testimonium adversus Artziburii jejunium opponitur, octingentis annis post Constantinum , ipsomet referente , floruit . Cotelerius in notis ad Tom. 3. Monument. Eccl. Græc. pag. 644. *Florebat autem Isaac sæculo duodecimo, octingentis nempe annis post mortem Constantini , ut ipse ait cap.* 14. Fueritne Armenorum Catholicus , ut libri inscriptio præfert , affirmare nemo audebit , postquam Galanus Armenæ historiæ peritissimus Par. 2. Tom. 1. pag. 9. eum in Armenorum Patriarcharum serie positum , non se legisse testatur : additque : ,, Verum Auctoris indignatio , ,, convicia , & calumniosæ ut plurimum in Armenam

„ gentem criminationes, quibus oratio ultro citroque „ respersa est, haud multum redolent Sanctitatis; nisi „ forte dicamus, illam a Græcis ipsis, quorum idioma„ te scripta circumfertur, fuisse postea maledictis illis „ adauctam. Cujus quidem rei augetur mihi suspicio, „ eo quod in illa arguantur etiam Græcanico more Ar„ menii, tamquam hæresum professores, quod Sacrifi„ cium Corporis Christi in Azymis facerent, & eorum „ nonnulli Sabbata jejunarent „. Quienus in Oriente Christiano Tom. 1. pag. 1389. postquam de Isaaco hujus nominis tertio, Armenorum Catholico, ea narrasset, quæ de ipso ab Annalistis Græco æque ac Armeno referuntur, subjungit: „ Cavendum omnino, ne Isaac iste, idem pu„ tetur fuisse, ac alter Catholicus Isaac, cujus in Ar„ menos gentiles suos Invectivam Combefisius eodem „ atque Narrationem *Græcam* volumine edidit „. De eodem Isaaco, tamquam Armenorum Catholico, hæc habet Oudinus Commentar. de Scriptoribus Ecclesiasticis Tom. 2. pag. 1125. „ Isaac magnæ Armeniæ Catholicus, „ juxta Labbeum in brevi Chronologia Scriptorum Ec„ clesiasticorum anno circiter 1130. floruit, cujus su„ persunt *Orationes duæ Invectivæ seu libri duo adver„ sus Armeniorum errores*, quos ex Ms. Codice edidit „ Franciscus Combefis in Auctario Græco-Latino Biblio„ thecæ veterum Patrum Tom. 2. pag. 317. & seqq. quod „ editum Parisiis in fol. anno 1648. apud Antonium Ber„ thier, via Jacobæa sub signo Fortunæ. Vult autem „ dictus Combefis loc. cit. pag. 415. in notis, eum flo„ ruisse circa medium sæculi XII. quo a Labbeo modicum „ discrepat. Vide de Isaaco isto Guillelmum Cavum in „ hist. Scriptorum Ecclesiæ ad annum 1150. pag. 672. „ de quo alii omnes silent. Extant in Biblioth. Cæsa„ rea Vindobonensi, Cod. Ms. Theologico Græco CCXIII. „ num. 7. & quidem a fol. 175. pag. 1. usque ad fol. 186. „ pag. 2. ut habet Lambecius lib. 5. Commentariorum „ hujus Bibliothecæ pag. 38. ex Isaaci Magni Armeniæ „ Catholici orationibus duabus adversus Armenios, *Ex„ cerpta* de duabus in Christo naturis, de Annunciatio„ ne

„ ne beatiſſimæ Virginis Deiparæ, de ſudore Chriſti „ Sanguineo: de pane, vino, & aqua in Myſteriis Chriſti: de Judaicis Sacrificiis: de Sacerdotio, & de Jejunio Artziburii: de quibus idem Lambecius quoque „ in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag. 338. & 365. Quum igitur conſtet, harum Invectivarum auctorem nequaquam fuiſſe Iſaacum Armeniæ Catholicum, conſequenter operis illius auctoritas non eſt tanti facienda, quanti foret ſi ab Armenio Patriarcha, morum integritate conſpicuo, quem gentis ſuæ mores erroreſque ignorare non ſit veriſimile, conſcriptum fuiſſet.

Eadem de *Niconis* teſtimonio, eodem Galano judice, dicenda ſunt, utpote ejus, qui Azymum in Sancto Sacrificio, aliaſque Armeniorum conſuetudines, a Romana Eccleſia uſu comprobatas, reprehendat. Accedit, quod Epiſtola Niconis ad *Encliſtium*, ſeu Incluſum, quæ opuſculo *de peſſima Armeniorum Religione* præponitur, Armeniorum Cretenſiumque Apoſtolo tribui nequit: quia quum hic Apoſtolus decimo ſæculo floruiſſet, Nicolaî Grammatici Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui circa finem undecimi ſæculi (1) vixit, cujus teſtimonio in Epiſtola illa utitur, facere mentionem non potuiſſet. Hoc argumento opus illud doctiſſimus Cotelerius Tom. 3. veter. monument. Eccl. Græc. pag. 645. a celeberrimo & Sanctiſſimo Viro abjudicat, atque poſt undecimum ſæculum, illud ſcriptum fuiſſe confirmat. Idem dicendum de ejuſdem Niconis opere, quod inſcribitur *De Jejuniis*, cujus fragmenta protulit Cotelerius: nam ibi Nicolaî Grammatici teſtimonium produci, idem Cotelerius obſervat, quum Nicolaum ſeculo integro Sancto Nicone poſteriorem fuiſſe, perſpicuum ſit. Præterea ex Codicibus Vaticanis, nuper ex Oriente in Bibliothecam Vaticanam a me invectis, conſtat, Niconem, de quo agitur, alium omnino fuiſſe a S. Nicone Armenorum Apoſtolo. Ejus enim *Pandectes de interpretationibus mandatorum divinorum*, quem Cotelerius Tom. 3. cit. p. 645. capitibus 63. diviſum in duos Libros Cod. Ms. Græco

(1) Sedit enim ab anno 1084. ad ann. 1111.

Regio 2424. testatur, e Græco in Arabicum sermonem conversus habetur Tom. I. Biblioth. Orient. pag. 260. Ex quo Codice evidens fit, Niconem circa finem undecimi, & initium duodecimi sæculi vixisse; quum in Præfatione libri tertii fol. 403. se illum anno mundi 6596. (hoc est, ex Græcorum mente, anno Christi 1088.) scripsisse testetur, & non semel in suis Epistolis, Petri, Theodosii, Nicephori, & Joannis Patriarcharum Antiochenorum mentionem faciat, quorum Petrus quidem temporibus Michaelis Cerularii, hoc est, an. Chr. 1053. vivebat; Joannes autem anno 1098. quando a Francis Antiochia capta fuit. Niconem autem Græcorum Schismati adhæsisse, non est dubitandum, postquam in Epist. 38. ad Presbyterum S. Simeonis Thaumaltoritæ fol. 737. ex Photio & Cerulario Schismaticis Græcorum Patriarchis, Latinos errorum duodeviginti accusat: nimirum, 1. quod Azymis utuntur. 2. quod Barbam radunt. 3. quod Sabbato jejunant. 4. quod Immunda comedunt. 5. quod Monachi suillis vescuntur. 6. quod prima Jejunii hebdomada abstinent a carne simul, & a caseo. 7. quod addunt Symbolo, *Filioque*. 8. quod in Missa dicunt, *Tu solus Sanctus, tu solus Dominus, Jesu Christe, in gloria Dei Patris per Spiritum Sanctum*. 9. quod Sacerdotum nuptias rejiciunt. 10. quod duas sorores duobus fratribus copulant. 11. quod in Missa celebrans, sumit Azymum, & osculatur ceteros. 12. quod Episcopi Anulos in digitis gestant, quasi Ecclesiarum Sponsi, & quasi Anulus sit loco arrhabonis. 13. quod iidem ad bellum procedunt, & sanguinem humanum fundere non verentur. 14. quod unica mersione baptizant. 15. quod os baptizatorum sale implent. 16. quod illud Apostoli depravant sic: *Modicum Fermentum totam farinæ massam corrumpit*, quum dicere debeant, *fermentat*. 17. quod nonnulli ex ipsis cultum Sacrarum Imaginum rejiciunt. 18. quod Doctores Græcorum, ut Basilium, Gregorium Theologum, & Joannem Chrysostomum, repudiant. Hæc omnia Schismatico furore Nicon ad Latinos refert, quorum originem e Germania arcessens, ab illis (inquit) Ro-

Romam fuiſſe everſam, genuſque Romanorum & Judæorum extinctum, illos autem eſſe ex pluribus gentibus conflatos, Arianis, nempe, Macedonianis, Neſtorianis, & aliis: idque conſtare ait ex hiſtoria S. Melaniæ, & ex Lauſiaca, nec non ex Epiſtolis Photii Conſtantinopolitani Patriarchæ. In Petrum denique Patriarcham Antiochenum invehitur, eo quod, quum is in Epiſtola ad Dominicum Epiſcopum Venetiarum, Latinos ob Azyma, & ob additionem *Filioque*, reprehendiſſet; illos tamen quoad reliqua excuſavit, ac præſertim quoad cibos immundos, & quoad permiſſum Monachis Carnium eſum: quæ omnia Nicon tamquam Canonibus contraria repudiat. Hinc diſcimus, quis, qualiſque fuerit, & quo tempore vixerit *Nicon*: Schiſmaticus nempe, Photiique, & Michaëlis Cerularii Sectator, qui circa annum Chr. 1100. eadem in Latinos evomuit, quæ a Photio, & Cerulario acceperat. Quid igitur mirum, ſi in Armenos quoque idem ipſe calamum ſtrinxerit, eo præſertim tempore, quo Armeni cum Latinis ſentiebant, quemadmodum conſtat ex Epiſtola a S. Gregorio VII. Papa (1) ad Gregorium Armenorum Patriarcham ſcripta anno 1080. in qua (apud Galanum Tom. I. p. 232.) reprehendit quidem Armenos, quod *Aquam Vino non admiſceant*; circa *Azymum* tamen ſic ſcribit: „ De reliquo, quia cognovimus Eccleſiam Veſtram Azyma „ ſacrificare, & ob hoc a Græcis dumtaxat imperitis, „ quaſi de hæreſi reprehendi; nolumus vos de temeraria „ garrulitate illorum multum mirari, ſed nec ab inſtituto deſiſtere, ſcientes eorum procacitatem non modo vobis hanc velut calumniam objicere; verum etiam „ ſimili de cauſa, graviori vero injuria, hucuſque contra Sanctam Romanam Eccleſiam inſurgere, quæ per „ B. Petrum quaſi quodam privilegio ab ipſis fidei primordiis a Sanctis Patribus omnium mater Eccleſiarum aſtruitur, & ita uſque ad finem ſemper habebitur, in qua nullus unquam hæreticus præfuiſſe dignoſcitur, nec unquam præficiendum, Domino promit- „ ten-

(1) Lib. 8. Epiſt. 1.

„ tente, confidimus. Ait enim Dominus Jesus: Ego pro „ te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua. Et illi „ quidem suum Fermentatum commendantes, reprehen„ sionis in nos levissima verba contumaciter jaculari non „ desinunt. Nos vero Azymum nostrum inexpugnabili „ secundum Deum ratione defendentes, ipsorum Fer„ mentatum non reprehendimus, nec reprobamus, se„ quentes Apostolum dicentem mundis esse omnia mun„ da. Sed ad detegendam & contemnendam Græcorum „ temeritatem nunc ista sufficiant „. Absit igitur ut ad S. Niconem, qui Lacedæmone circa annum 998. quievit, congestas illas in Armenos, & Latinos accusationes referamus, quæ uni Niconi illi tribuendæ sunt, qui anno Chr. 1100. vivebat.

His positis, eadem Niconi, & aliis Græcis habenda est fides, quibus non solum Armenos, verum etiam Latinos calumniari familiare est, ut aliis prolatis exemplis, facile esset demonstrare. Sed, omissis ceteris, non abs re fuerit, cujusdam Græci Scriptoris verbis, quæ Combefisius Auct. Tom. 2. pag. 429. profert, ostendere, quot calumniis, *Sabbati jejunium* rejiciendum esse contendant. *Multi autem ex illis jejunant Sabbata, qui Sabbatiani appellantur. Cumque quæritur, quam ob rem eum diem jejunent, prætexunt atque excusant, Simonem Petrum die Sabbati dejecisse Simonem magum . . . . Mentiuntur vero: a quodam enim Sabbatio acceperunt jejunium Sabbati. Iste enim ter maledictus Sabbatius Manetis sermonibus ac blanditiis deceptus, ipse quoque miser blasphemiæ verba evomuit . . . . Is porro moriens constituit, ut ejus discipuli Sabbatis pro eo jejunarent, eo quod ipse Sabbatius appellatus esset.* Non est hic locus nugas hujusmodi refellere. Sufficit tantum, ut ex commentis, quibus schismatici Jejunium Sabbati, jam ab Apostolis ipsis acceptum, ab Ecclesia Romana primis etiam sæculis observatum, a Sanctis Patribus, præcipue a S. Innocentio Papa, & a S. Augustino probatum, rejiciunt, clarum perspicuumque fiat, quæ fides sit adjungenda iis, qui tam putidis mendaciis, aliarum

rum Ecclesiarum mores criminari non cessant.

Hæc omnia magis magisque confirmantur ex eo, quod iidem Græci auctores, qui in Artziburitas invehuntur, testantur, Armenos plures illius Jejunii causas reddere fuisse solitos, quæ improbari nequeunt. Dicebant enim, Jejunium illud in Adami, quando Paradiso ejectus fuit, vel Ninivitarum, vel Baptismi Constantini Imperatoris, vel S. Gregorii Illuminatoris memoriam, a suis majoribus fuisse institutum. Typicum Græcorum satis aperte: *In hebdomade Prosphonesimi* (Armeni) *pro Artziburio, quod ipsi sic nominant, jejunant: qui similis Jejunii improbitatem tegere cupientes, alii propter Ninivitas id Jejunium institutum fuisse, alii propter Adæ exilium tradunt*. Et cur hoc (inquit Christ. Lupus in Responsione ad calumniam v. dissert. de S. Leonis IX. Actis:) *& cur hoc ad commemorandam Adami ex Paradiso expulsionem, ad imitandos Ninivitas, ad agendas Deo gratias de suæ gentis, aut Magni Constantini ad Christum Dominum conversione, & ad alium ejusmodi finem non potuerint exercere? certe & nos Latini in eadem Septuagesimæ Dominica* (1) *Adami expulsionem commemoramus. ideoque omittimus* Alleluja, *legere incipimus librum Genesis, & pleraque Responsoria sunt de expulso Adamo*. Quam ob rem non est causa, cur illud Jejunium Græci execrentur, & ad *Canem Sergii* referant, præcipue, ubi Joannes ipse Invectivarum in Armenios auctor, testatur, *Armenios suæ sectæ homines, qui ejus Jejunii rationem in Sergium referant, diris devovisse*.

His, aliisque perpensis, Sacra Congregatio Emendationi Librorum Ecclesiasticorum Orientalium præposita, censuit, delenda e Triodio ea verba, quæ adversus Armenios leguntur: nempe: *Sciendum est, hac hebdomade terque quaterque maledictos Armenios jejunium suum execrandum, quod Artziburium vocant, jejunare; nos vero quotidie caseum & ova comedimus, eorum dogma hæresimque refellentes*. Nam Primo quidem, in antiquis

(1) At vero Armenii Jejunium suum celebrant in hebdomade, quæ Septuagesimam Latinorum antecedit.

tiquis Græcis Triodii Codicibus, hæc adnotatio nusquam apparet. Deinde, perspicuum est, aut a Nicephoro Xanthopulo, aut ab alio recentiore Græculo schismatico, illam in Triodium fuisse intrusam. Demum non modo Armeniis per summam calumniam causa ejus Jejunii in Sergium, ejusque Canem confertur, sed etiam per eandem putidam Adnotationem convincuntur Græci, earum esse, quæ a suis Patriarchis sunt præscriptæ, constitutionum prævaricatores: Ipsi enim ajunt, *In hebdomade Prosphonesimi, nos quotidie caseum & ova comedimus, Armeniorum dogma hæresimque refellentes*. Nicolaus tamen Patriarcha ad Anastasium Abbatem, feriis quarta & sexta hujusce hebdomadis laicos quidem vituperat carnibus vescentes, Monachos vero caseum manducantes: „ Multi (*inquit*) sueverunt absque ullo timo„ re solvere Feriam quartam & sextam, laici quidem „ carnem, similiter vero & Monachi caseum comeden„ tes; probe sentientes, & probe agentes. Etenim si ex „ genere Armeniorum originem ducerent, & hæresi Art„ ziburii adhærerent, probe faciunt omnem suspicio„ nem a se amolientes. Si vero fideles orthodoxi sunt, „ & ab orthodoxis prognati, frustra solutionis Jejunii „ hanc causam afferunt. Illi enim per totam hebdoma„ dam jejunant, pane solo, sale, & aqua contenti; nos „ vero jejunium solvimus ab ipsa Feria secunda: qua„ re ex hoc demonstratur, nos cum illis non commu„ nicare, & frustra isti causantur Artziburium.

Præterquam quod viri docti jamdiu observarunt, hujus Jejunii initia longe ante Sergii tempora apud Armenios extitisse, eaque non ad Armenios, sed ad Syros, eosque Orthodoxos, esse referenda: plures enim consuetudines a Syris Armenios accepisse, perspicuum est ex Epistola S. Gregorii, vel Illuminatoris, uti fert Inscriptio, vel alterius, quemadmodum in Adnotatione ad oram pag. 1. apposita ostenditur:) ex Epistola (inquam) *S. Gregorii* ad *S. Jacobum Nisibenum*, unum ex Nicæni Concilii primi Patribus, quæ Epistola extat Armenice in Bibliotheca Vaticana, & in Latinum conversa pro-

prodiit cum Præfatione & doctiſſimis Notis clariſsimi, morumque ſuavitate ac integritate conſpicui Viri, *Nicolai Antonelli*, tunc Sacri Collegii & Sacræ Congregationis Conſiſtorialis Secretarii, & Baſilicæ Lateranenſis Canonici, nunc vero dignisſimi S. R. E. Cardinalis, & Brevium Apoſtolicorum Secretarii, Romæ typis Sac. Congregationis de Propaganda Fide anno 1756. in qua Epiſtola S. Gregorius rogat S. Jacobum, ut ſibi ſcribat, ſeque inſtruat de noſtra Sacroſancta *Fide*, nempe (ut verbis ejus utar pag. 2.) *qualis ſit, quodnam ejus fundamentum, quomodo ejus ædificium excitetur, quibus rebus firmetur, & quibus operibus indigeat, ut perficiatur*. Roganti Gregorio morem gerens Sanctus Jacobus, miſit ei opus (1) in *decem & octo ſermones* diviſum, quorum *quartus*, de *Jejunio* inſcribitur, ubi exempla *Sancti*, & *Iniqui Jejunii*, proferens, *Sanctum* quidem *Jejunium* vocat illud, quod *Moyſes*, quod *Elias*, & quod *Ninivitæ* obſervarunt: *Iniquum* vero Jejunium ait eſſe *Hæreticorum*, qui nempe ſectam *Marcionis*, *Valentini*, & *Manetis* amplectuntur: & de nefariis quidem Manichæorum Jejuniis, Diabolica fraude inſtitutis, eruditiſſimus Adnotator pag. 53. appoſite e S. Leone in ſerm. 3. de Quadrag. hæc producit: „ Qui ſcivit (*inquit de Diabolo*) humano generi mortem inferre per cibum, novit „ & per ipſum nocere jejunium; & ad contrariæ fraudis effectum, famulis utendo Manichæis, ſicut per ſerpentem intulit interdicta præſumi, ita per famem ſuadet conceſſa vitari: Et *in ſerm. 4. de Epiphania*: Neminem fallant (*monet Romanos, ut a Manichæorum fallaciis caveant*) diſcretionibus ciborum, ſordibus veſtium, vultuumque palloribus: non ſunt caſta jejunia, quæ non de ratione veniunt continentiæ, ſed de arte fallaciæ. *Et demum in ſerm. 4. de Nativitate*: „ Non vos ſeducant (*ait*) deceptoriis artibus ficta & „ ſimu-

(1) Ex Armenica lingua in Latinam translatum a Cacciaturo Arachiel Sacerdote & Doctore Armeno. Latinam autem Verſionem cum textu Armeno contulit, emendavitque pluribus in locis Stephanus Adeodatus, Sacerdos item Armenus, Collegii Urbani de Propaganda Fide olim Alumnus, atque in eodem Collegio Linguæ Armenæ Lector.

„ ſimulata jejunia, quæ non ad purificationem, ſed ad „ perditionem proficiunt animarum. *Idem teſtatur S. Cy-* „ *rillus Catech. 6. num. 31. clamans*: Nemo ſe ad cor- „ ruptores animarum Manichæos applicet, qui palearum „ aquis jejunii auſteritatem ſimulant. Qui ciborum con- „ ditorem calumniantur, quum ſe ipſi lautiſsimis qui- „ buſque cibis ingurgitent. Qui docent eum, qui hanc „ vel illam herbam evellit, in eam tranſmutari „. Verba S. Jacobi de Ninivitis accipe. „ E diverſo (1) ob- „ ſervarunt Ninivitæ Jejunium ſanctum, etiamſi Jonas „ prædixiſſet eis ſubverſionem: ſic enim ſcriptum eſt: „ Quum audiſſent illi prædicationem Jonæ, prædicave- „ runt Jejunium quotidianum, & orationes continuas, „ & ſederunt ſuper ſaccum & cinerem, & exſpoliave- „ runt ſe veſtibus mollibus, & pro illis induti ſunt ſac- „ co. Fecerunt infantes abſtinere ab uberibus matrum „ ſuarum, & ovem & bovem paſcuis. *Et poſt pauca*. „ Et fuerunt accepta jejunia, quæ jejunaverunt cum „ ſanctitate, & placuerunt Deo; & non fuerunt eorum „ jejunia inſtar jejunii Jezrahelitarum, qui in jejunio „ ſanguinem juſtum fuderunt. In omnibus jejuniis, ca- „ riſsime, præſtantior ſemper eſt abſtinentia a peccatis, „ quam abſtinentia a pane & aqua „. Sed quidquid de hac re ſit (nam S. Jacobus probat quidem Ninivitarum Jejunium, non tamen diſertim aſſerit, illud ſuo tempore apud Syros ſervari conſueviſſe:) id negari non poteſt, longe ante Sergium Armenum hæreticum, Syros ea hebdomade, quæ Proſphoneſimus, ſeu Artziburium a Græcis dicitur, jejunium Ninivitieum obſervaſſe: quod quidem Jejunium ſive *Rogationum*, ſive *Ninivitarum* appellant. Nam ejus Jejunii mentio in vetuſtiſsimis Evangeliorum Codicibus fit, in quibus ܩܪܝܢܐ ܕܒܥܘܬܐ *Lectio Rogationum* adnotatur: habetur præterea Tom. 1. Biblioth. Orient. pag. 244. *S. Iſaaci Syri*, qui quinto ſæculo floruit, *Sermo de Rogationibus*. Gregorius Barebræus Abulpharagius in Libro *Ethicorum* cap. 6. ſect. 6. inter Jejunia, genti Syrorum præſcripta, *Niniviticum* recen-

(1) Aliter nempe ac Jezrahelitæ, indicti ab impia Jezabel Jejunii cultores.

recenset : *Quinque sunt* (inquit Tom. 2. Bibl. Orient. pag. 304.) *Jejunia celeberrima populo Syrorum, præter Feriam quartam & sextam. Primum Jejunium Quadragesimæ. Alterum Jejunium Apostolorum. Tertium Jejunium Migrationis, hoc est, Assumptionis B.M.V. Quartum Jejunium Nativitatis Domini. Quintum Jejunium Niniviticum*. De hoc postremo subjungit : *Denique Jejunium Ninivitarum a Feria secunda, quæ tribus hebdomadis magnum Jejunium Quadragesimale præcedit, usque ad Feriæ Quintæ Matutinum observant Orientales; Occidentales vero usque ad Matutinum Sabbati*. Chaldæi Scriptores, quos Syros Nestorianos appellamus, de eodem Jejunio scribentes, modo illud cum *Jejunio Virginum* conjungunt, modo epocham institutionis ejusdem ad illud tempus referunt, quo *restitutum* potius dicere deberent. De Jejunio *Virginum* quid scribat Abulpharagius in Chronico Syriaco, audiatur. Illud sub Ananiesu Nestorianorum Patriarcha, qui circa annum Christi 685. inauguratus est, *restitutum* testatur (1) his verbis. „ Eodem tempore Jejunium Virginum instauratum „ est, quod jejunant Orientales tribus post Festum Epi„ phaniæ diebus. Ferunt, Abdalmalechum Mernani fi„ lium quum de pulchritudine mulierum Hirtensium au„ disset, ad Præsidem ejus loci misisse, ut cunctas Vir„ gines viro aptas eligeret. Qui jussis obtemperans, eas „ in ædes suas congregare cœpit. Tum Christiani uni„ versi in Ecclesiam confluentes, jejunium & orationem „ adhibuere, Dominum enixe deprecantes, ut indigna„ tionem ab eis averteret. Tertia igitur die quum Jo„ annes eorum Episcopus Evangelium legeret, Abdal„ malechi interitum, quem in spiritu noverat, populo „ annunciavit. Prædictionem sparsus paucis post diebus „ rumor confirmavit. Exinde cœperunt fideles hoc Je„ junium celebrare. Alii narrant, Abruizum (Chosroëm „ nempe Persarum Regem) Virgines illas quæsisse, ejus„ que diebus in Oriente Jejunium illud restitutum fuis„ se „. Restitutum ait Abulpharagius: nam illud olim

 apud

(1) Textum Syriacum vide Tom. 2. Biblioth. Orient. pag. 425.

apud Chaldæos in usu fuisse, mox interruptum, demum restitutum, narrat Elias Damasci Nestorianorum Episcopus in Nomocanone, ubi Responsum Joannis Nestorianorum Patriarchæ ad Abulabbasi Interrogationem de eodem *Virginum*, deque *Ninivitarum* Jejunio exscribit in hæc verba: „ Contenderunt quidam cum Abu„ labbaso Alphadlo Salomonis filio de Jejunio, quod Ni„ nivitarum appellatur: idque ejusdem Jejunii tempo„ re accidit anno Arabum 290. Græcorum 1213. (*Chri„ sti* 903.) die undecima Januarii. Scripsit autem Abu„ labbasus ad patrem nostrum Joannem Catholicum, cu„ jus precibus a Deo adjuvemur, sciscitans eum de „ causa Jejunii Ninivitici, deque causa Jejunii Virgi„ num. Hoc autem exemplar est Interrogationum & „ Responsionis; prout in hoc Libro demonstratur. *In„ terrogatio*. Quænam causa est, Pater Catholice, a „ Deo honorande, Jejunii trium dierum, quod Nini„ viticum appellatur, quodque instar Jejuni Magni (*Qua„ dragesimalis*) observatur. Nam factum illud Ninives „ & Jonæ Prophetæ ad Legem veterem spectat: Nos „ autem Ecclesiæ filii quum simus, Veterem Legem „ observare nequaquam tenemur. Quis vero Patrum il„ lud instituit, aut induxit? Senem enim quemdam ex „ nostris centenario majorem memini me vidisse, quum „ annum ætatis trigesimum agerem, qui dixit mihi, „ tam ipsum, quam universos Cascaræ incolas, Jeju„ junium illud Niniviticum negligere, nec in eo ab esu „ carnium abstinere. *Responsio*. Arabicam tuis quæsi„ tis Responsionem idcirco damus, quia quem ad nos „ misisti libellum, Arabice scriptus erat, utque per se„ ipsum & absque interpretis opera, qui tibi his de „ rebus contentionem movit, rescriptum nostrum con„ sulere valeat. Quod de filiis Ecclesiæ ais, vir præ„ stantissime, eos nimirum ad Legis veteris observa„ tionem nequaquam teneri, id quidem verum est. Nos „ tamen iis diebus non eam ob causam jejunamus, etsi „ id nomen Jejunio per translationem impositum est, „ sed ob hanc aliam, quam tibi nunc exponimus. Con-

„ ti-

„ tigit aliquando , in priscis scilicet temporibus , pe-
„ stilens morbus, quo plerique regionis Berhgarmæ (1)
„ habitatores statim atque afficiebantur, animam exha-
„ labant. Sabariesus ejus loci Episcopus, cujus precibus
„ Ecclesiam Deus custodiat , quum gregem suum ad
„ supplicationem publicam convocasset, eum adhortatus
„ est, inquiens : Si Deus optimus maximus Ninivita-
„ tarum misertus, intentatam per os Prophetæ sui Jo-
„ næ pœnam ab eis avertit , quanto magis nostri mi-
„ serebitur, qui populus ejus sumus, credimusque in
„ eum , & in Christum ejus, & in Spiritum ejus vera-
„ cem ? Paruit ergo populus ille mandatis Episcopi,
„ factoque conventu, supplicationem qua majori potuit
„ pietate celebravit, eos æmulatus, qui pueros pecu-
„ desque olim ablactantes, ciliciis corpora cinxere. Cu-
„ jus rei memoria ad nostram usque ætatem perducta
„ est. Et Deus quidem flagellum illud ab eis hoc pacto
„ amovit. Cæterum quum ad Catholici dignitatem Mar
„ Timotheus, cujus precibus nos muniat Deus, ascen-
„ disset, præcepit, ut hæc supplicatio fieret: quam ex
„ eo tempore usque in præsentem diem tamquam sacram
„ legem nostri retinuere. Hujus autem supplicationis no-
„ men non est *Jejunium Ninivitarum*, sed *Jejunium*
„ *Indictionis*. Verum Ninives mentio facta est propter
„ rationem, quam supra adduxi, & propter similitudi-
„ nem comminationis, & prædicationis : idem enim fe-
„ re utrobique flagellum impendit, a quo liberati sunt.
„ Qui igitur carnem iis diebus comedit, ejusdem cri-
„ minis pœnas ab eo poscimus, ac si carnem in Jeju-
„ nio majori manducaverit. *Interrogatio de Jejunio Vir-*
„ *ginum*. Venerabilis in Deo Pater, ecquænam causa
„ est Jejunii trium dierum, quod Jejunium Virginum
„ appellatur ? Tenentur ne cuncti Ecclesiæ filii illud ob-
„ servare, & a carnium esu cæterisque abstinere, qui-
„ bus in Jejunio majori abstinent ? Quis vero Patrum
„ id instituit ? Denique necessarium est, nec ne? *Res-*
„ *ponsio*. Causa hujus Jejunii hæc fuit. In Ecclesia Hir-
„ tæ

(1) Garmæorum Regio.

„ tæ quum ingens populi multitudo in Festo Epiphaniæ „ convenisset, incendium contigit, quo sacra quidem „ supellex & paramenta Altaris absumta sunt; nemo ta„ men ex circumstantibus læsus fuit. Idque temporibus „ Ananiesu Doctoris Hirtæ, qui postmodum ad Catho„ lici dignitatem evectus est, idemque Homiliarum au„ ctor audit. Quam ob rem populum pro concione ad„ hortans: Hoc, inquit, flagello nos Deus misericor„ diter & pro sua clementia punivit, ut ad ipsum con„ vertamur: alioquin ignis in nos revertetur: Fecerunt „ igitur supplicationem, quam eodem recurrente die „ per aliquot annos prosecuti sunt; mox intermisere. „ Post hæc accidit iisdem illis diebus in regione Hir„ tæ morbus, quo corpora affecta tumescebant & cor„ rumpebantur. Rursus itaque ad hanc supplicationem „ provocatum fuit, quæ legis locum aliquandiu habuit, „ donec iterum ex negligentia interrupta est, usque ad „ tempora Joannis Azrach, cujus preces toti Ecclesiæ „ prosint. Tum vero præcepit quidam Regum Arabum, „ cujus nomen sub eorundem Regno prodere non licet, „ ut quadraginta selectæ ex Hirta Virgines ad ipsum ad„ ducerentur, a parentibus suis separandæ, ejusque mi„ nisterio deputandæ. Inducias trium dierum hic San„ ctus a Legato poposcit, quibus unacum Hirtæ popu„ lo supplicationem in cinere & cilicio faciens, oratio„ ni & deprecationi Jejunium adjunxit. Tertia autem „ supplicationis die quum Evangelium legeretur, dor„ mitanti ex nimio labore ac jejunio Episcopo revela„ tum fuit, Damasci eodem die interiisse, qui Virgi„ nes postulabat. Interrumpens itaque Evangelium, po„ pulo visionem annunciavit. Mox persoluta Evangelii „ lectione, Sacramenta eodem die confecit; die vero „ sequenti gratias Deo egit. At populus, quod flagel„ lum illud evasisset, gaudens, tres illos dies, non secus „ atque Niniviticos colere cœpit: & jure quidem me„ rito: quum eadem utrobique causa fuerit, eadem sup„ plicatio, eademque ratio prohibendi carnem lactici„ niorumque usum „. Denique in Officio Chaldæorum

(Tom.I.

(Tom. 1. Biblioth. Orient. pag. 581.) Jejunii Niniviti-ci fol. 101. hæc causa assignatur : Item Rogationis causam breviter accipe : „ Prima causa fuit supplicatio illa Ni-„ nivitarum , quæ tunc facta est propter prædicatio-„ nem Jonæ Prophetæ : Causa altera , pestis , quæ tuber „ vulgo appellatur , contigitque in Regno Persarum in „ nostris hisce regionibus sub Mar Sabariesu Episcopo „ Oppidi Beth Seleuciæ : qui quum oraret , audivit vo-„ cem Angeli dicentis : Indicite Jejunium , & facite „ supplicationem , & auferetur a vobis pestilentia „ . Hæc sunt Syrorum , tum Orthodoxorum , tum Jacobi-tarum , & Nestorianorum afferta de causa *Jejunii* , quod ab ipsis *Ninivitarum* & *Rogationum* , appellatur , quod-que Armenii eadem ac Syri hebdomade servant , & *Artziburium* Græci perperam vocant , quum *Arraccia-voratz* dicere debuerint , quæ vox *Prænuncium* sonat , eo quod , tamquam nuncius , Quadragesimale jejunium antecedit ; non autem *Canem* designat , qui Sergio præi-verit , quemadmodum iidem Græci fabulantur .

Quæ quum ita sint , illud Jejunium , quod Artzibu-rium vocant , in Armenis nulla ratione improbandum est : uti hoc ulterius argumento demonstratur . Actum est , Manuele Comneno Imperante , de concilianda inter Græcos & Armenios concordia . Theorianus , Græcorum legatione functus , in Armenia disputationem , quam li-teris consignavit , cum Catholico & Episcopis gentis il-lius habuit , illorumque convicit errores . Præterea paulo post , ejusdem Imperatoris hortatu , ab Armeniis Tarsense Concilium anno 1177. habitum fuit , cujus Acta Galanus Tom. 1. pag. 331. profert . Dum igitur tam ex hoc Concilio , quam ex Theoriani disputatione manife-stum fit , de Artziburii Jejunio nullam fuisse factam men-tionem , licet Græci plures conditiones Armenis propo-suerint , ut in Ecclesiæ suæ communionem admitti pos-sent , in quibus non paucæ erant , quæ ad disciplinam pertinebant ; consequens est , Jejunium illud tunc a Græ-ca Ecclesia rejectum non fuisse . Idem de Romana Ec-clesia dici potest : quando in Actis Concilii Sisensis an-

no

no 1307. & Adanensis anno 1316. quæ Galanus Tom. I. pag. 457. & 472. edidit, de Artziburio ne verbum quidem, licet Armeni, ut Sedis Apostolicæ communionem obtinerent, cum ea non solum in Fide, sed etiam in celebrandis quibusdam Festis diebus aliisque ritibus convenire proposuerint. In Epistolis quoque Romanorum Pontificum ad Reges & Catholicos Armenorum scriptis, a Gregorio VII. usque ad Joannem XXII. plures rejiciuntur eorum errores, nulla facta Artziburii mentione. Demum Vincentius Bellovacensis Spec. histor. lib. 30. cap. 98. Joannes Chernacensis, & S. Antoninus Florentinus Episcopus, errores Armeniorum recensentes, de Artziburio silent: & quod caput est, in Concilio œcumenico Florentino, tradita fuit ab Eugenio IV. Instructio pro Armenis, & ad hanc usque diem, Orthodoxæ Fidei professio ab iisdem a Sede Apostolica exigitur, manentibus intactis eorum Jejuniis.

SECTIO VIII.

Expenditur Græcorum criminatio in Armenos, quod in hebdomada Tyrophagi carnibus vescuntur.

VErum Græci, ut supra diximus, infensissimi Armenorum hostes, quidquid ab illis præter Græcanicos mores in Ecclesia peragitur, illud excogitatis commentis tamquam hæreticum & ab hæreticis inductum rejiciunt. Hinc non solum invehuntur in Arziburii Jejunium, dictitantes illud fuisse a Sergio hæretico ob canis sui interitum, Armenis indictum; sed etiam in ea hebdomada, quæ primam Jejunii Quadragesimalis Septimanam antecedit, feriis quarta & sexta caseo & ovis vescuntur, in odium (ut inquiunt) *Tetraditarum*, hoc est, Jacobitarum & Armeniorum, qui in eadem hebdomada carnes comedunt. Sicuti tota illa hebdomada, quæ Sexagesimam Latinorum sequitur, unacum Dominica subsequente, ἀπόκρεως dicitur, hoc est, *Carnisprivium*: ita hebdomada subsequens usque ad Dominicam Quin

Quinquagesimæ Latinorum, τυροφάγος, seu τυρινὴ, a casei, seu lacticiniorum esu, denominatur. In ea quidem hebdomada, a feria nempe secunda usque ad Dominicam, Græci lacticiniis, Armeni & Jacobitæ carnibus utuntur. Causam Tyrophagi Græcorum, in quo feriis quarta & sexta caseo & ovis æque ac aliis diebus vescuntur, hanc Nicephorus Callistus in Synaxario Feriæ Sextæ (1) tradit. „ *De Tyrophago nonnulli tradunt, Imperatorem Heraclium eam instituisse, quum antea carnium esus in ea permitteretur. Namque contra Chosroëm & Persas per sex annos exercitu conducto, vovit Deo, si de eis victoria potiretur, eam immutare, mediamque inter luxum & jejunium constituere. Quod & demum perfecit. Ego vero existimo, licet id etiam, quod diximus, evenire potuit, eam a Sanctis Patribus excogitatam fuisse, præviæ expurgationis causa; ne ex carnibus & ingluvie statim in summum Jejunium abacti, moleste ferremus, & corporis constitutione læderemur, sed paulatim & sensim a pinguefacientibus gustuique suavibus longe facti, ut effrenes equi, per diminutum cibum, jejunii frenum excipiamus: quemadmodum enim circa animam per parabolas præstiterunt, ita & circa corpus machinati sunt, jejunii impedimenta paulatim summoventes*. Itaque ante Heracliana tempora, si Callisto fides est adhibenda, carnium esus in ea hebdomade, Græcis æque ac Armenis & Syris permittebatur: sub Heraclio autem, carnium esus in lacticinia mutatus fuit apud Græcos, ita ut etiam *Feria quarta* & *sexta* (quod in aliis hebdomadis non licet:) lacticiniis vesci permissum esset: quinimo, jussum fuit, in odium scilicet Armenorum & Jacobitarum, qui in ea hebdomada carnibus vescebantur. Ita habent Canones Græcorum: in primis *Nicephori* (ut ajunt) *Patriarchæ Constantinopolitani & Confessoris*, apud Coteler. Tom. 3. Monument. Eccl. Græc. p. 449. Can. 33. δεῖ νηστεύειν τοὺς μοναχοὺς τῇ τετράδι τῆς τυροφάγου καὶ τῇ παρασκευῇ, καὶ μετὰ τὴν προηγιασμένων ἀπόλυσιν ἐσθίειν τυ-

(1) Græcum textum vide apud Allat. de Dominicis & Hebdomadibus Græcorum num. xi. pag. 1424.

ρὸν καὶ ὡχὶ, ὅπη ἂν ἐπιχωριάζωσιν, εἰς ἀνατροπὴν τοῦ δόγματος τοῦ Ἰακώβου, καὶ τῆς τῶν τετραδιτῶν αἱρέσεως. *Oportet Monachos jejunare quarta feria hebdomadæ Tyrophagi* (Lacticinii) *ac Parasceve, ubicumque habitaverint; ad eversionem dogmatis Jacobi atque hæreseos Tetraditarum*. Nicon Monachus, qui anno Chr. 1110. in Syria vivebat, in suo Pandecte, qui e Græco in Arabicum sermonem conversus, extat in Bibliothecam Vaticanam a me inlatus, ostendit quibus feriis quartis & sextis Jejunium a Græcis solvitur: *A Nativitate Domini* (inquit) *usque ad Festum Epiphaniæ, & a Paschatis Dominica usque ad Ascensionem, Jejunium quartæ & sextæ Feriæ a Monachis esu lacticiniorum, a Laicis carnium, solvi* asserit fol. 42. de Festorum observatione cap. 3. *Idem observandum ait* in Festo Præsentationis B. Virginis Mariæ in Templum, *quod occurrit in Jejunio Nativitatis Domini, & in* Festo Nativitatis Joannis Baptistæ, *quod celebratur in Jejunio Apostolorum fol.* 84. *Ex Nicephoro autem Constantinopolitano Patriarcha fol.* 42. *docet, permissum esse Monachis, imo debere eos Lacticiniis vesci feria quarta & sexta ante primam hebdomadam Jejunii Quadragesimalis in detestationem Jejunii Armenorum*. Idem ipsum habetur Græce apud eundem Niconem *de Jejuniis* Tom. 3. Monument. Eccl. Græc. pag. 442. *Multa* (inquit apud Cotelerium) *Jejunia non ex divinorum Canonum traditione, sed per quorumdam hominum consuetudinem, atque ex successione, nonnullis in regionibus observari reperimus; dum non mala mente, at fide ac amore erga quosdam magnos Sanctos, ii qui jejunant, præpurgantur, ut cum puritate ad eorum festa perveniant. Quæ porro ejusmodi sunt, non permittuntur in commune tradi apud cunctos, quum unusquisque prout statuit ac vult agat; dummodo non sit a divinis Patribus prohibitum: quale est Jejunium Artziburii, item Dodecabemeri, vel Tetradis & Parasceves hebdomadæ Tyrophagi* (Lacticiniorum) *variaque alia Hæreticorum Jejunia. Hæc namque jejunia non simpliciter usurpant hæretici, sed hæretico dogmate, atque extra Catholicam Eccle-*

Ecclesiam comminiscentes traditionem; *neque in huiusmodi rebus licet nobis eorum gesta imitari*. Anastasius quoque Cæsareæ in Palæstina Episcopus, qui circa finem seculi undecimi vivebat, non modo scripsit opusculum adversus (1) Artziburium Armenorum; sed etiam contra Jacobitas & Tetraditas (adeoque etiam contra eosdem Armenos) probat Nicephori Patriarchæ decretum, quod scilicet Feriis quarta & sexta Tyrophagi, caseo & ovis sit vescendum: ὁμοίως καὶ περὶ τῆς τετράδος καὶ παρασκευῆς τῆς τυροφάγου λέγει ὁ τέταρτος κανὼν τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Νικηφόρου Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, οὕτως. ὅτι δεῖ νηστεύειν τοὺς μοναχοὺς τῇ τετράδι, καὶ τῇ παρασκευῇ τῆς τυροφάγου, καὶ μετὰ τὴν προηγιασμένην ἐσθίειν τυρὸν καὶ ὠά. ἀνατρέπει δὲ ὁ τοιοῦτος κανὼν τὴν τῶν Γακωβιτῶν, καὶ τὴν τῶν τετραδιτῶν αἵρεσιν. *Similiter de Feria quarta & sexta Tyrophagi, dicit Quartus (2) Canon Sancti Patris nostri Nicephori Archiepiscopi Constantinopoleos, sic: Jeiunandum esse Monachis Feria quarta & Sexta Tyrophagi, & post Missam Præsanctificatorum, edant caseum & ova. Canon hic evertit Jacobitarum & Tetraditarum hæresim*. Nam Jacobitæ & Armeni hac hebdomade carnibus vescebantur, ut scribit Demetrius Cyzicenus: οἱ αὐτοὶ δὲ καὶ τὴν ἑβδομάδα τῆς τυροφάγου κρεωφαγοῦσι: *hi iidem, Tyrophagi hebdomade, carnes edunt*: & Isaacus Armeniæ, ut falso dicitur, Catholicus (3): ὅτι τὴν τυρινὴν, ἣν παρέλαβεν, ἡ τῶν χριστιανῶν ἐκκλησία παρὰ τοῦ ἁγίου Σιλβέστρου, καὶ τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου, καὶ καθεξῆς πάντες οἱ ἅγιοι πατέρες, ἣν καὶ ὁ μέγας Βασίλειος ἐκύρωσεν, καὶ ἐβεβαίωσεν. αὐτοὶ δὲ δεξάμενοι δόγματα παρὰ τῶν ἀθέων αἱρεσιαρχῶν, ἐβεβήλωσαν τὴν τοιαύτην νηστείαν, καὶ ἐσθίουσι τὸ κρέας. *Tyrophagi* (Lacticiniorum) *hebdomade, quam Ecclesia Christianorum a Sancto Sylvestro, & a Constantino Magno traditam accepit, & deinceps receperunt omnes Sancti Patres, quam & Magnus Basilius præscripsit & confirmavit, susceptis illi atheorum hæresiarcharum doctrinis, polluerunt, & carnes comedunt*.

Mm 2 Unde-

(1) Vide Coteler. Tom. 3. Monum. Eccl. Græc. pag. 650. in not. ad p. 432.
(2) Apud Allat. de Domin. & hebdom. Græcor. num. XI. p. 1425.
(3) Apud eund. Allat. loc. cit.

Undenam vero Isaacus iste, traditum a S. Silvestro Papa & a Constantino Magno Imperatore, præscriptumque ac confirmatum a S. Basilio, in ea Tyrophagi hebdomada, casei & ovorum usum, acceperit, velim ostendat. Nam alter Græcus auctor, Callistus nempe Synaxariorum consarcinator, aliam traditionem affert: *De Tyrophago* (inquiens) *nonnulli tradunt, Imperatorem Heraclium eam instituisse, quum antea carnium esus in ea permitteretur*: concepto nimirum a carnibus abstinendi voto, si victoria de Persis referretur. Eutychius vero Alexandrinus, qui ante Isaacum & ante Callistum vivebat (Patriarcham enim Alexandrinum Græcorum inauguratum se ipse scribit Feria quinta, die 13. Februarii, anno Martyrum 649. die vero 8. mensis Saphar, anno Hegiræ 321. (hoc est, anno Christi 933.) Eutychius, inquam, in Annalibus aliam Jejunii Tyrophagi causam, tametsi sub eodem Heraclio Imperatore, institutam profert: Postquam enim relatam ab Heraclio de Persis victoriam narrasset, adventum ipsius in Palæstinam prosequitur, & Jejunium pro solvendo ipsius voto in ea hebdomada non quidem solutum, sed indictum refert in hæc verba: ثم ان هرقل

صار يريد بيت المقدس . فلما بلغ طبرية خرج اليه
اليهود السكان بطبرية ومن جبل الجليل والناصرة وكل
قريه في تلك الناحية واستقبلوا هرقل بالهدايا ودعوا له
وسالوه ان يعطيهم الامان فاعطاهم الامان وكتب لهم بذلك
عهداً . فلما بلغ هرقل بيت المقدس فاستقبلوه رهبان
السيق واهل بيت المقدس ومعهم مودسطوس بالمجامر والبخور
فلما دخل المدينة ونظر ما اخربت الفرس واحرقوا اغتم غما
شديدا . ثم نظر الي ما بناه مودسطوس من كنيسة القيامه
والاقرانيون وكنيسة مار قسطنطين . فسره ذلك وشكر
مودسطوس

مودسطوس سے ما فعل . وان الرهبان واهل بيت المقدس
قالوا لهرقل ان اليهود الذي حول بيت المقدس مع جبل
الجليل وقت وافوا الفرس كانوا يعينوهم وانهم الذين اتولوا
قتل النصاري اكثر من الفرس واخربوا الكنايس واحرقوها
بالنار . واوروه القتلا في ماملا . واعلموه ما فعلوا اليهود في
مدينة صور من قتل النصاري وخرب الكنايس . فقال لهم
هرقل . فماذا تريدون . قالوا له . تفعل مسرتنا وتقتل كل
يهودي حول بيت المقدس وجبل الجليل . لانا لا نامن ان
يجينا قوم مخالفين لنا فيكون هولا معينين لهم علينا ايضا كما
اعانوا الفرس علينا . فقال لهم هرقل . كيف استحل قتلهم
وقد اعطيتهم الامان وكتبت به لهم عهدًا وانتم تعلمون ما
يجب من نقض العهد . ومتي نقضت العهد والايمان كان
ذلك عارا عليّ واحدوثه قبيحة عني . وان لم اتبل ان انا
كتبت لانسان غير اليهود عهدًا يقبله مني . وان لم افيه
كنت كذابا خوانا غير مامون عند الناس كلهم . مع ما يلزمني
من الذنب العظيم والخطيه عند سيدنا المسيح من قتل قوم
قد امنتهم وكتبت لهم بذلك عهدًا . فقالوا له ان سيدنا
المسيح يعلم ان قتلك لهم غفران لذنوبك وتمحيص
لخطاياك . والناس يعذروك لانك في الوقت الذي اعطيتهم
الامان لم تعلم ولم تدري ما فعلوا من قتل النصاري وخراب
الكنايس . وانما خرجوا اليك واستقبلوك بالهدايا مكرًا منهم
ولعنة

ولعنة . لعله ما كانوا قد اجنوه . فقتلك لهم قربان تقدمه
الي الله . وتحتمل نحن عنك هذا الذنب ونكف عنك ونسال
سيدنا المسيح لا يواخذك به ونجعل لك جمعة البيض
والجبن التي قبل الصوم الكبير صومًا نقيًا في جملة الصوم
الكبير نصومها لك . ونترك فيها اكل البيض . والجبن
ما دامت النصرانية . لان الملكية كانوا يمنعون في هذه
الجمعة عن اكل اللحم وياكلوا فيها البيض والجبن
والسمك على ما يبينه تيبيكن القديس مار سابا . فقالوا
له . نحن نصومها لك ونترك فيها اكل الزهومات كلها
ونجعل في هذا قانونا وحرمًا ولعنا لا يتغير ذلك ابدًا
ونكتب به الي جميع الافاق غفرانًا لما سالناه ان تفعله .
فاجابهم هرقل الي ذلك . وقتل من اليهود حول بيت
المقدس وجبل الجليل ما لا عدده ممن قدر عليه . ومنهم
من اختفي ومنهم من هرب الي البراري والاوديه والجبال
والي مصر. وصيروا اول جمعه من الصوم التي يتركون فيها
الملكيه اكل اللحم فقط صوما نقيا . وكانوا يصومونها
لهرقل غفران لنقضه العهد وقتل اليهود ويمتنعون فيها
عن اكل البيض والجبن والسمك . وكتبوا بذلك الي جميع
الافاق المناشير . واهل مصر والقبط الي الان يصومونها لا
الشام والروم الملكيه . فانها بعد موت هرقل رجعوا
ياكلون في هذه الجمعه بيضا وجبنا وسمكا ويصومون
ايضا

ايضا فيها الاربعه والجمعة الي التاسعه ثم ياكلون بيضا وجبنا وسمكا حسب القانون الموضوع من التقديس نيكيفور بطريرك القسطنطينيه الشهيد المعترف على ما يبرهن ذلك تيبيكن الكنيسة في ان المستقيمين الراي ياكلون في هذه الجمعة بيضا وجبنا حتي وفي الاربعه والجمعه. لكن في يومين الاربعا والجمعه يصومون الي التاسعه. وهذا القانون يخص الذين يصومون لهرقل الملك المارونى اعلانا الله من فعلهم الردي. لا يجوز الصوم لانسان مخلوق وبالافضل هذا الملك لما فارق حياة الدنيا مات مارونيًا *

Quæ Eutychii verba in Latinum Eduardus Pocockius ita vertit Tom. 2. Annal. pag. 240. „ Inde profectus Heraclius Hierosolyma petiit. Quumque Tiberiadem pervenisset, egressi ad ipsum Judæi Tiberiadis incolæ, „ necnon regionis Galilææ montanæ, & Nazarethi, omniumque illius partis oppidorum, ipsi cum muneribus occurrerunt, fausta comprecantes, rogantesque, „ ut securitatem ipsis concederet; quam concessit, fœdusque cum ipsis literis obsignavit. Ubi autem Hierosolyma pervenisset, obviam ipsi facti sunt Monasterii Alsich (1) Monachi, urbisque Hierosolymitanæ incolæ, comitante Modesto, cum thuribulis, & suffitu. „ Quum vero urbem ingressus, ea quæ diruerant ac succenderant Persæ, vidisset, magna affectus est tristitia. „ Dein quum ea conspexerat, *quæ (2) ædificaverat* Modestus, videlicet, Templum Resurrectionis, Cranii (3) „ & *Ecclesiam* Mar Constantini, rursum gaudio affectus, „ Modesto ob ea quæ fecerat, gratias egit. Narrarunt autem ipsi Monachi & Hierosolymorum incolæ,

(1) Lauræ S. Sabæ Monachi.
(2) Hæc desunt in Pocockii versione: habentur tamen in Arabico textu.
(3) Idest Calvariæ seu Golgothæ.

„ læ, Judæos qui circa Hierosolyma degerent, una cum „ iis, qui Galilææ montana incolerent, quo tempore „ venerunt Persæ, ipsis se adjunxisse, opemque tulisse, „ ipsosque Christianos cæde magis, quam Persæ, persecutos, & Ecclesias vastasse, iisque flammas injecisse, „ ostensis ipsi cæsis, qui in Mamela conjecti fuerant. „ Certiorem etiam ipsum fecerunt eorum quæ Judæi (1) „ Tyri perpetraverant, quod ad cædem Christianorum, & „ Ecclesiarum demolitionem. Quibus Heraclius: quid ergo, „ inquit, vultis? Responderunt: Ut gratum nobis faciens, „ omnes qui circa Hierosolyma & in monte Galilææ sunt „ Judæos e medio tollas, quum certi non simus, quin, „ adveniente gente aliqua inimica, illi rursus contra „ nos auxilium ipsis ferant, ut jam Persis tulerunt. Respondit Heraclius: Quomodo interfici ipsos permittam, quum jam securitatem ipsis concesserim, eoque „ fine pactum literis consignatum? Vos autem scitis; „ quid fœdifrago debitum sit. Quod si pactum & juramentum violaverim, cedet hoc mihi in opprobrium, „ famamque mihi malam conciliabit; nec certus sum, „ si alii cuipiam, præter Judæos, pactum scripto confirmaverim, illud ipsum a me (2) accepturum. Si ergo „ hoc

(1) *Quæ Judæi Tyri perpetraverunt*. Hæc narrantur ab eodem Eutychio T. 2. Annal. pag. 220. his verbis. „ Ubi vero obsedisset Chosroes Constantinopolim, vacua mansit Syria exercitu Romanorum. Fuerunt autem Tyri quatuor Judæorum „ millia. Hi ad Judæos, qui Hierosolymis, Cypri, Damasci, & in monte Galilææ & Tiberiade erant, scripserunt, ut omnes nocte Paschatis Christianorum „ congregati, Christianos qui Tyri essent occiderent; deinde Hierosolyma profecti, „ omnes qui ibi essent, e medio tollerent, urbemque occuparent. Hoc autem quum „ Patricio, qui Tyri subsistit, urbisque illius incolis innotuisset, ipsi Judæos qui ibi „ erant captos, & catenis ferreis vinctos in carcerem coniecerunt, clausisque urbis „ portis machinas bellicas & ballistas iuxta ipsas collocarunt, Quum ergo advenisset nox Paschatis Christianorum, Judæi ex omnibus regionibus congregati sunt „ Tyrum, prout ad ipsos scripserant Judæi, atque ipsis inter se convenerat: fueruntque numero ultra vicies sexies mille viros, quos strenue ab arcis fastigio oppugnarunt Tyrii. Diruerunt autem Judæi omnes Ecclesias, quæ extra Tyri arcem erant: at quotiescumque Ecclesiam aliquam diruerent, Tyri incolæ e Judæis qui apud ipsos vincti erant, centum viris prehensis & in arcis summitate „ positis capita absciderunt, eaque extra proiecerunt: atque hoc modo bis mille viros capite truncarunt. Deinde Judæi orto inter ipsos clamore, in fugam dati „ sunt, quos egressi Tyri incolæ, terga dantes insecuti sunt, magnamque eorum „ stragem ediderunt: reliqui ad regiones quisque suas confusi fugerunt.

(2) *Accepturo*, vel, cui illud ipsum ego dederim.

„ hoc non præstitero, mendax, fallax, & minime fide
„ dignus apud omnes passim homines habebor, ultra
„ peccatum magnum & scelus, cujus reus ero apud Do-
„ minum nostrum Christum, quum populum, cui fidem
„ feceram, eamque pacto literis consignato confirma-
„ veram, interfecerim. Cui illi: novit Dominus Chri-
„ stus cædem ipsorum, tibi peccatorum expiationem
„ conciliaturam, & iniquitatum tuarum remissionem:
„ excusatum etiam te habebunt homines, quod, quo tem-
„ pore ipsis securitatem concessisti, non noveris, nec
„ perspectum habueris, quam Christianorum stragem edi-
„ derant, quas Ecclesias diruerant, quum tibi obviam
„ egressi, muneribus te exceperint: quod dolo ab ipsis
„ factum, & ad culpam quam admiserant amoliendam.
„ Jam vero cædes eorum, sacrificium erit a te Deo obla-
„ tum. Nos autem peccatum hoc a te in nos transfe-
„ remus, tibique ipsum expiabimus, rogantes Domi-
„ num nostrum Jesum Christum, ne ipsum tibi impu-
„ tet; ac Septimanam, qua ova & caseus comeduntur,
„ illam nempe, quæ Jejunium magnum præcedit, statue-
„ mus Jejunium purum, quod Jejunio magno accensea-
„ tur, quo in tui gratiam jejunemus, ovorum & casei
„ esu omisso, quamdiu durabit Religio Christiana. Mel-
„ chitæ enim hebdomada ista ab esu carnis abstinebant,
„ ova & caseum & pisces in ipsa comedentes, uti e
„ Typico Sancti Mar Sabæ liquet. Dixerunt autem il-
„ li: nos ea, tui gratia, jejunabimus, omnis rei pinguis
„ esum omittentes; atque hoc Canone, excommunica-
„ tione, & anathemate sanciemus, ne unquam mutetur,
„ de eodem in omnes regiones literas mittentes, ut in
„ propitiationem cedat ei, quod a te impetravimus.
„ Annuens ergo hac in re ipsis Heraclius, e Judæis qui
„ circa Hierosolyma & montem Galilææ erant, quos
„ prehendere potuit, innumeros occidit: ex ipsis enim
„ alii latuerunt, alii fuga se in deserta, montes, & val-
„ les & Ægyptum subduxerunt. Primam ergo Jejunii
„ Septimanam, in qua Melchitæ a carnis tantum esu
„ abstinent, Jejunium absolutum statuerunt, in qua, Im-

„ peratoris Heraclii gratia, jejunarent, quo remitteretur ipsi fœderis sui violatio, & Judæorum cædes, ab ovorum, casei, & piscium esu in eadem abstinentes; eaque de re, in omnes regiones literas scripserunt: Ac Ægypti Cophtitæ in hunc usque diem Jejunium illud observant. Syriæ vero Damascenæ incolæ, & Græci Melchitæ post mortem Heraclii iterum hebdomada ista, ova, caseum & pisces comederunt. In eadem etiam jejunant diebus Mercurii & Veneris usque ad Nonam, dein ovis, caseo, & piscibus vescentes, secundum Canonem a Sancto Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano, Martyre & Confessore, positum; quemadmodum ostensum est in Typico Ecclesiæ; videlicet, Orthodoxos ista Septimana ovis, & caseo vesci etiam diebus Mercurii & Veneris; nisi quod diebus istis, Mercurii scilicet & Veneris, usque ad Nonam jejunent. Qui Canon coarguit eos, qui jejunant gratia Heraclii Imperatoris, e secta Maronitarum, a quorum factis malis avertat nos Deus, quum non liceat hominis mortalis gratia jejunare; eoque magis, quod Imperator iste, quum hujus mundi vitam deponeret, Maronita mortuus est „.

Hæc Eutychius, sibimet ipse contradicens. Nam Nicephori Patriarchæ Canonem citat, qui feria quidem quarta & sexta Tyrophagi concedit Monachis post Nonam caseo & ovis vesci, id tamen ait permitti ad eversionem dogmatis Jacobitarum & Tetraditarum, qui tota ea hebdomade carnibus utuntur. Eutychius autem asserit Ægyptios illa habdomade jejunium servare. Præterea totum id, quod de Heraclii voto scribit, Monachorum civiumque Hierosolymitanorum suasionibus soluto, modo is cædem Judæorum imperaret, atque in Jejunium a carnibus æque ac lacticiniis commutato; tamquam fabulosum a Theophane ad ann. Heraclii XIX. rejicitur: quemadmodum supra pag. 399. recitatis a Baronio Theophanis verbis ostensum est. Demum non est, cur Eutychius tantam de Heraclio Maronita, deque Maronitis calumniam effutiat; nam qui Jejunium illud instituerunt, illud-

illudque scriptis literis ad omnes ubique Christianos divulgaturos se promiserunt, non fuerunt Maronitæ, neque Tetraditæ aut Armeni, aut Ægyptii, sed Melchitæ, Monachi scilicet S. Sabæ & S. Theodosii, Hierosolymitani, & Modestus Patriarcha: & mirum sane est, cur iidem ipsi qui tale jejunium instituerunt, illud postea violaverint. Maronitę autem & Jacobitæ hebdomada illa, quę Quadragesimam antecedit, non jejunant.

Scio, istud Eutychii de Jejunio in Heraclii gratiam instituto commentum, ab aliis etiam recentioribus Orientalium historicis probari: ut enim de aliis sileam, Jesujabi Episcopi Nisibeni Nestoriani, qui an. Chr. 1220. vivebat, testimonium de eodem Jejunio produxi T. 3. Biblioth. Orient. p. 305. ex ejusdem Opusculo ad Saidum Diaconum, ubi Par. 4. c. 1. *in Responsione ad eum, qui non probat, quod ipsi Nestoriani a communione Melchitarum & Jacobitarum abhorrent*, inter plurimos, ut asserit, Melchitarum & Jacobitarum errores, *vigesimo septimo numero*, de Melchitis seu Romæis, hoc est Græcis, sic ait: *Iidem hebdomadam ante initium Jejunii Quadragesimalis jejunant propter Heraclii Imperatoris, ut ajunt, jusjurandum, quo se obstrinxerat, se Judæis Palæstinæ parsurum. Mirum sane, quod indicto unius hebdomadæ jeiunio, jusjurandum illius quotannis redimunt, quem ipsi velut hæreticum Monothelitam anathematizant, & tamquam tyrannum vita* (1) *privarunt. Sed magis mirandum, quod Ægyptii rigidiore, quam Romæi, ieiunio hebdomadam illam colunt: hi siquidem in ea lacticiniis vescuntur: Ægyptii vero nullum, Jeiunium quadragesimale inter & ipsum, discrimen agnoscunt*. Et recte quidem Jesujabus Græcos reprehendit ex eo, quod (si quidem verum esset:) quum ipsi Modestum Hierosolymitanæ Sedis, absente Zacharia, custodem, & Monachos Sancti Sabæ & Sancti Theodosii, necnon cives Hierosolymitanos pro orthodoxis haberent, Heraclium vero Imperatorem tamquam Monothelitam detestarentur, pro eo tamen Jejunium indixis-

(1) Hunc de Heraclii cæde errorem, Jesuiabus Nestorianus ab Eutychio Melchita hausit qui in Annalibus Arabicis, eadem de Heraclii exitu tradit.

dixissent. Qua in re Eutychius certe sibi ipsi repugnat, dum Heraclium *Maronitam*, hoc est, Monothelitam vocat.

Rectius igitur sentit Callistus, qui de Tyrophago traditum a nonnullis scribit, Imperatorem Heraclium (qui Orthodoxus certe tunc temporis erat) illud Jejunium instituisse, quum antea carnium esus in ea hebdomada permitteretur: propterea nempe, quod contra Chosroëm & Persas per sex annos exercitu conducto, voverat Deo, si de eis victoria potiretur, eam hebdomadam immutare, mediamque inter luxum & jejunium constituere, idest, non a carnibus simul & lacticiniis, uti in Jejunio fieri solet, sed a carnibus quidem abstinendo, at lacticiniis utendo: quod & perfecit. Ridendi proinde Græci, qui non contenti Ritum suum servare, in aliis Christianis reprehendunt, quod a se quidem innovatum sit, ab iis vero ita retentum, sicuti a majoribus traditum acceperant. Est enim in confesso, quod ea hebdomada, quæ hebdomadam primam quadragesimæ antecedit, carnium usus olim omnibus & ubique permittebatur. Armeni itaque & alii Orientales antiquo ritu vivunt, dum ea hebdomada carnibus vescuntur: e contrario Græci, antiquum ritum mutantes, loco carnium, lacticiniis per illam eamdem hebdomadam vescuntur: adeoque nisi per calumniam, confictamque hæreseos notam, non arguunt eos, qui a majorum instituto non recessere. Quod enim in fine Canonis Nicephori Patriarchæ subjungitur, *ad eversionem* scilicet hæreseos Jacobitarum & Tetraditarum, a Græculo quodam recentiore additum puto; nisi etiam dicatur, totum illum Canonem Nicephoro esse suppositum: *Quartus* enim ab Anastasio Cæsareensi Episcopo numeratur, quum apud Cotelerium Tom. 3. pag. 449. sit *trigesimus tertius*. Audiatur idem Cotelerius T. 3. in notis p. 652. *E Synodicis Canonibus Nicephori Cp. clari illius Confessoris, plures alii, alii pauciores, quo voluerunt ordine ac modo, collegere. Quocirca Michaël Glycas in Annalibus pag. 294. profert eorum* LI.*, qui in Jure Græco Romano pag. 196. est penultimus inter* XVII. *solummodo*

inibi

inibi extantes, quique in nostra hac Sylloge (1) *non comparet, quemadmodum nec* II. III. IV. IX. XII. *&* XIII. *eorundem septemdecim; quum viceversa absint a Jure Græco Romano nostri* III. V. VI. IX. X. XI. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXIV. XXXV. XXXVI. XXXVII. *Quumque* I. *hic, sit illic* XIV. *&* II. *sit* X. *ac* XI. *Quartus autem sextus; septimus, octavus; octavus, decimus quintus; decimus nonus, quintus; vigesimus sextus, septimus; & trigesimus secundus, decimus septimus. Jam vero apud Harmenopulum in Præfat. ad Epitomen Canonum, dum Nicephori Canones decem esse dicuntur, manifesto in scriptura erratur, quemadmodum ad Apostolicorum opera ostendi: Sed & in eadem Epitome pag.* 17. XXIX. XLVII. *&* LXX. *adducuntur Nicephori Canones, quos frustra alibi quæras. & pag.* 17, XXIX. LXX. *Canones absque nota numeri citantur. Pag.* 17. *offertur Canon, qui hic est* VIII. *Pag.* 29. *tres ponuntur, hic* I. V. IX. *Pag.* 44. *laudatur* XIV., *cujus prior pars est Canon* XV. *hic; posterior, in Jure Græco Romano* XIII. *Pag.* 47. *ejusdem Juris* XVI. *Ad hæc in Typico S. Sabæ fol.* 134. *Canon noster* XXXIII. *nominatur Quartus; Ms.* 45. *Cæsar. Lambeciano lib.* 8. *Quintus. Denique Codd. Regii* 2376. 2381. *Lambeciani* 52. 53. *ejusdem libri* 8., *Colbertinus* 1475. *jungendo Canonem* XVIII. *cum* XVII., *exhibent dumtaxat* XXXVI. Idem Cotelerius Tom. cit. pag. 654. in not. ad pag. 451. *Habes* (inquit) *hic quoque alio ordine Canones Nicephori Confessoris, partim consimiles:* VI. *nempe,* XVII. XIX. *& ultimum, superioribus* XIV. XVI. XVII. XVIII. XX. *&* XXV. *Partim diversos, atque in his Sexagesimum sextum: novem enim consulto præterii, quia iidem sunt cum* I. III. IV. VII. VIII. XIII. XVI. *&* XVII. *Juris Græco-Romani; eo tamen discrimine quod* XIII. *dicti Juris in duos dividatur.* Idem ipsum de Canonibus Nicephori adnotatum vide apud Fabricium Tom. VI. Biblioth. Græc. pag. 298. & apud Oudinum in Commentar. de Scriptor. Eccles. T. 2. p. 10. ut ex hac Codicum manuscriptorum varietate perspi-

cuum

(1) Quæ profertur Tom. 3. pag. 335.

cuum fiat, tum in aliis plures, in aliis pauciores Canones contineri; tum etiam nonnulla a recentioribus librariis, pro ipsorum arbitrio ac studio, genuinis Nicephori Canonibus adjungi, quæ a Sancti illius Patriarchæ mente sint aliena.

Cur enim Nicephoro suppositam illam de Tetraditis & Jacobitis sententiam non dicamus, quæ certe in Sancti Sabæ Typicum obrepsit, & a Sancto Saba sive ab illius Monachis, qui Typicon composuere, neque mente excogitari potuit: quum præsertim in recentiorum Græculorum more positum videamus, ut non modo in Armenos, Syros, aliosque Orientales Christianos a ritibus suis aliquantisper diffidentes, sed etiam in Sanctam Romanam Ecclesiam, quidquid calumniarum in buccam venerit, scriptis consignent: sic enim inter
LXXXIX. *illas criminationes*, quas adversus *Latinam Ecclesiam* apud Coteler. Tom. 3. Monument. Eccl. Græc. a pag. 495. sine Scriptoris nomine, temporibus Innocentii III. Papæ, falsitatibus nugisque scatentes vibrarunt, *Quinquagesima septima* Accusatio Tom. cit. pag. 506. in hæc verba concipitur: *Armenizant vero, seu cum Armeniis consentiunt, in iisdem Azymis: quando hebdomade Tyrophagi, & prima Jejuniorum hebdomade carnem manducant: quando diebus Sabbati & Dominicæ Quadragesimalibus lacte vescuntur:* Ἀρμενίζουσι δὲ, ἐν τοῖς αὐτοῖς ἀζύμοις. ἐν τῷ κρεωφαγεῖν κατὰ τὴν τυροφάγον, καὶ τὴν πρώτην τῶν νηστειῶν ἑβδομάδα. ἐν τῷ γαλακτοτροφεῖν ἐν ταῖς σαββατοκυριακαῖς ἡμέραις τῆς τεσσαρακοστῆς. Quod Latini unacum Armeniis in Azymis sacrificent, & quod hebdomade Tyrophagi carnem manducent, verum est, sed falsum est quod sequitur; non enim Sabbatis & Dominicis Quadragesimæ lacte vescuntur: De solis Latinis, non de Armenis, jure dici potest, quod *prima Jejuniorum hebdomade carnibus utuntur*, nimirum; Feria secunda, & tertia: nam a quarta Cinerum feria Jejunium inchoant: quod tamen Armeni non faciunt. Reliquas criminationes, quæ a numero 57. ad LX. recitantur, quæque ab Armeniis ad Latinos traducuntur, non est hic locus

locus refellere; quum per seipsos etiam Græculi illas esse falsas futilesque agnoscere possint. Quis enim sanæ mentis dixerit, Latinos cum Armenis consentire, dum extra tempus Nativitatem Domini & Epiphaniam celebrant: dum Sanctam Deiparam etiam ex appellatione contemnunt: dum in Sacro Baptismo non utuntur divino unguento, sed butyro vel oleo sesamino: dum in calicem aquam non immittunt: dum uno digito crucem faciei imprimunt: dum sacras Imagines non colunt? Nonne aperta est calumnia, quod Latini hæc omnia in Armenis probent, cumque iis in iisdem erroribus communicent? Sed de Tyrophago satis. Ad alios Trullanos Canones, qui de Armenis agunt, progredior.

SECTIO IX.

Animadversio in Canonem Trullanum XXXIII.

Canon Trullanus XXXIII. hæc duo (uti Balsamon observat) corrigit, & quod in Armeniorum regione male fiebat, ut non alias fierent Clerici, nisi ii, qui ex genere Sacerdotali descendissent; & quod in suggestu Divinæ Scripturæ legebantur ab iis, qui Episcopales tonsuras non habebant. Verba Canonis accipe: *Quoniam cognovimus, in Armeniorum regione eos solum in Cleri ordinem referri, qui sunt ex genere Sacerdotali; iis, qui hoc facere aggrediuntur, mores Judaicos sequentibus; nonnullos autem eorum, etiam non tonsos, Sacros Cantores, & divini Templi Lectores constitui; decernimus, ut deinceps non liceat iis, qui volunt aliquos ad Clerum adducere, ad ejus cui manus imponitur, genus respicere: sed examinantes, an digni sint, expositis in sacris Canonibus decretis, eos in Cleri Catalogum referre, Ecclesiastice promovere, sive sint ex majoribus suis Sacerdotibus, sive non; sed etiam ut nulli ex omnibus liceat eorum qui sunt in Clericorum ordinem relati, populo in suggestu divinas Scripturas recitare, nisi is sacerdotali tonsura usus fuerit, & benedictionem a suo Pastore canonice susceperit. Siquis autem Presbyter hæc facere*

re deprehensus fuerit, deponatur. Dicunt itaque Patres (verba sunt Balsamonis) *illos in Clero ordinari oportere, non qui sunt ex genere Clericorum, sed eos qui digni sunt, & Episcopali electione præponuntur, etiamsi non sint ex tali genere. Similiter & in suggestu eos solos legere debere, qui ad hoc in Clericorum numerum relati sunt, eos scilicet qui habent Episcopales tonsuras.* Hæreditaria in Ecclesiasticas dignitates successio (verbis utor Christ. Lupi not. in hunc Trullanum Canonem) est antiquum in Ecclesia malum; adeo ut Polycrates Ephesiorum Archiepiscopus apud Eusebium Cæsareensem (lib. 5. cap. 23.) scribat ad Victorem Pontificem: *Septem erant Episcopi mihi cognatione conjuncti, ego octavus sum.* Et Sanctus Gregorius Turonensis Episcopus omnes Antecessores suos gloriatur fuisse de suo sanguine, solis quinque exceptis. Et Brunichildim Francorum Reginam, ne Episcopatus ac alios Ecclesiasticos gradus, proximitatis deinceps jure dari permittat, obtestatur S. Gregorius Magnus lib. 7. cap. 5. De eodem abusu queritur habita sub Ludovico Pio Augusto Synodus Aquisgranensis. Aliarum etiam per Europam Synodorum, Summorumque Pontificum hac de re sanctiones refert ibidem clarissimus Auctor, subditque: *Etiam apud Armenios antiquissima est ista successio. Etenim Sancto Gregorio, uti antiqua ipsorum historia & illius apud Laurentium Surium vita testatur, in Episcopatum successit Arostanes filius, & quidem vivo patri, quod scribit Simeon Metaphrastes, ordinatus Coadjutor. Arostani successit Vartanes frater germanus, cui Hesychius & Gregorius filii: atque ita fere factum usque ad Isaacum Secundum, Anastasio primo Pontifici coætaneum: cui injuste per factionem ejecto, divinitus revelatum est: nullum in sceleris istius pœnam deinceps e Sancti Gregorii stemmate Episcopum fore. An Joannes Ozniensis, qui transmutavit illic omnem Ecclesiæ legem, reduxerit abusum, tacet antiqua Armenia historia. Ac neque constat priorem consuetudinem fuisse abusum: quoniam non quævis, sed sola hæreditaria consanguineorum successio est abusus*

usus. Etiam post Trullanæ Synodi tempora, hæreditaria Patriarcharum succesſio in Armenia majori durabat. Sic enim de Catholico majoris Armenæ, deque Aghtamarensi Archiepiſcopo legitur in Libello Benedicti XII. ad Armenos tranſmiſſo, Articulo 88. apud Martene Tom. VII. Vet. Script. Collect. pag. 398. *Item Catholicon Armenorum hoc modo eliguntur, instituuntur, & confirmantur, & potestatem pertinentem ad Catholicon accipiunt & deponuntur & aliter puniuntur. Quia Catholicon Columbarum* (Eccimiazensis) *& Catholicon de Hactamar, viventes eligunt aliquem de genere ipsorum, quem volunt, & postea consecrant eum in Catholicon; non tamen utitur hanc potestatem, quousque mortuus fuerit ille Catholicon qui eum elegit. Postquam autem mortuus est dictus Catholicon, primus sequens Catholicon vadit ad Imperatorem Tartarorum, qui est Paganus, & ab ipso confirmatur in Catholicon &c.* Responſio Armenorum Synodica ad Clementem VI. Papam. *Suprascripta communiter vera sunt, exceptis paucis: quoniam quamvis Catholicon Alvancensis, & Archiepiscopus Agtamarensis vadunt ad Canem* (Imper. Tartaror.) *tamquam ad Tyrannum tenentem mundum, & accipiunt confirmationem super potestate temporali, & non spirituali: quia Canis de spiritualibus Christianorum non curat.* Et post pauca. *Quamvis supradictus Catholicon Alvancensis, & Archiepiscopus Actamarensis hæredes sibi eligant, tamen in vita eorum non consecrantur Electi, sed post mortem.*

Porro quum doctiſsimus Chriſt. Lupus hæreditariam hujuſmodi conſanguineorum ſuccesſionem multis teſtimoniis probaſſet, ad alteram Trullani Canonis partem deſcendit, qua damnatur non ſolum Armenorum, ſed & quarundem aliarum Eccleſiarum abuſus, quo Laici ex ambone fungebantur officio Lectoris aut Cantoris. Id illis a Nicæno Canone Gelaſius Cyzicenus lib. 2. cap. 30. & Catechumenis ab Eccleſia Alexandrina fuiſſe permiſſum, Socrates lib. 5. cap. 21. affirmat. Quin & S. Cyprianus Laicum in Lectorem promovendum per ſe & Docto-

res Presbyteros examinans, facultatem ei dedisse se, ut probationis causa in Ecclesia legeret, & ita Clero proximus constitueretur, scribit Epist. 24. in hæc verba: *Fecisse me sciatis Lectorem Saturum, quem jam pridem communi consilio Clero proximum feceramus, quando ei die Paschæ semel atque iterum Lectionem dedimus, aut quando cum Presbyteris Doctoribus Lectores probaremus,* Theodorus Balsamon Canonem XV. Laodicenum, qui sic habet: *Non oportere, præter Canonicos Cantores, qui suggestum ascendunt, & ex membrana legunt, aliquos alios canere in Ecclesia*, interpretatur in hæc verba: *Videtur, quod olim quidam ex plebe laici, sibi Clericorum privilegia vendicabant, & in Ecclesiis divina cantica incipiebant ad Clericorum contemptum; canebant autem & quædam immatura & non usitata, cujusmodi sunt quæ hodie canuntur a mulieribus, quæ Vexilla sequuntur. Hæc ergo dissuadentes Patres, dicunt nullum alium præter Clericos, qui in suggestu legunt, sancta Cantica debere incipere. Neque enim vetitum est, quominus etiam laici in Ecclesiis concinant, & non aliena canant, præter ea, quæ in libris Ecclesiasticis, ἀπὸ τῶν διφθερῶν, idest, ex membranis, composita sunt. Quod autem διφθερὰ, dicatur omnis pellis, in confesso est. Nota hæc propter Monachos, qui Episcopalem Tonsuram non suscepere, & in suggestu inordinate legunt: & propter laicos, qui τῶν κωδῶν, chororum sunt auctores, & se in Ecclesia tamquam in foro domestico exhibent.* Idem Balsamon in laudatum Canonem 33. Trullanum. *Hæc* (inquit) *quum sacer Canon jubeat, & eos excommunicet, qui præter hæc faciunt, sæpe dictum est a diversis Antistitibus, qui habent ex Aurea Bulla Clericos, Athenarum scilicet, & Mesembriæ, & aliis, quod qui ex antiquis Clericis descenderunt, cogunt ipsos eos, qui non sunt Clero digni, ordinare, atque adeo etiam qui sæpe sunt laici: & quod Ecclesiæ officium per alios ab illis datos fiat. Jam & in hac Regina urbium, in æde Sanctorum Martyrum Quadraginta, ut in æde Sanctissimæ Deiparæ Domini, & in aliis divinis Templis habent laici*

ci & complura etiam Monasteria , & Clericorum officia . Sed audierunt Antistites , quod præsens Canon eis omnino os occludit, qui eis molestiam exhibent. Quod autem fit in dictis Catholicis Ecclesiis , quomodo permittitur , nescio . Nota autem , quod simul ac acceperunt aliqui Tonsuræ characterem a manu Antistitis , eos pro Clericis habet Canon. Audivi enim nonnullos dicentes , non esse Lectorem , nec dici Clericum , qui solam habet Tonsuram : & ideo ei licere in laicalem habitum transmutari . Quod mihi quidem non videtur . Sed & Monachos , qui non habent Episcopales coronas , sed Monachicam Tonsuram , dicunt nonnulli posse in suggestis legere Apostolum , & reliqua , quemadmodum & Clerici , tamquam Monachalis Tonsura utique sufficiat , pro Tonsura Clericali . Mihi autem videtur , Monachum qui a Sacerdote qui præest , Lector est constitutus , secundum XIV. *Canonem Septimæ Synodi , in suggestu posse legere ; eum autem , qui solam habet Monachalem Tonsuram , hoc facere non posse . Monachalis igitur Tonsura distinguitur a Clericali .* Sic enim præscribitur Canone XIV. Synodi Septimæ . *Quia ordo in Sacerdotio custodiri debet , est omnibus manifestum : & Sacerdotii promotiones servare , Deo gratum est . Quoniam ergo videmus nonnullos a puero Cleri Tonsuram accipientes , nondum accepta Episcopi manuum impositione , & in Congregatione in suggestu legentes , & id non canonice facientes , hoc a præsenti Canone non fieri permittimus ; hoc ipsum autem etiam in Monacho servari . Lectoris autem manuum impositionem liceat in proprio Monasterio etiam soli unicuique Abbati facere , si ipsi Abbati scilicet ab Episcopo manus est imposita , qui fuit & ipse Presbyter . Similiter & ex antiqua Constitutione Chorepiscopos , Episcopi permissu , oportet per manuum impositionem Lectores creare .* Hoc Canone liquet, Tonsuram olim apud Græcos a Lectoratu fuisse distinctam : nam in ejus Commentario Theodorus Balsamon dicit , pueros olim consuetos nigris vestibus indui , Tonsuram accipere , & sine manus impositione Deo consecrari : ac propterea cœpisse simplices Clericos , non ac-

cepto Lectoratus ordine, solemniter in Ecclesiis legere: Id vero ut emendaretur, decretum fecisse, nequis in posterum divinas Scripturas aliter in suggestu legat; nisi Tonsuræ characterem in Lectoratu acceperit per Episcopalem manuum impositionem. Hoc ipsum etiam servandum in Monachis: eorum enim Abbati, qui tamen Sacerdos esset, concessum ab Episcopis fuisse, Monachos facere per manuum impositionem. Similiter & Chorepiscopis, (Episcopi permissu) secundum antiquam consuetudinem, ideſt juxta Canonem X. Antiochenum, qui sic habet. *Chorepiscopi ordinent Lectores & Subdiaconos, & Exorcistas, quibus promotiones istæ sufficiant; nec Presbyterum vero, nec Diaconum audeant ordinare, præter Civitatis Episcopum, cui ipsi cum regione subjecti sint*. Verba Balsamonis hæc sunt: *Quoniam ergo* (inquiunt Patres, Septimæ scilicet Synodi) *videmus nonnullos a pueris nigris vestibus indutos, tamquam Deo consecratos, Tonsuraque suscepta non per sui Episcopi manuum impositionem, audentes, postquam ad ætatem pervenerint, divinas Scripturas in suggestu legere non canonice; statuimus ne hoc fiat, ut quod sit inordinationis causa, nec quis divinas Scripturas aliter in suggestu legat, quam si Tonsuræ characterem acceperit per Episcopalem manuum impositionem*. Et infra. *Aperte enim ostenditur, quod quando quis tonsuræ manuum impositionem susceperit ab Antistite, is est protinus Clericus; ut cui etiam in suggestu legere sit permissum. Mihi autem videtur, quod qui etiam nigris simpliciter vestibus fuerit indutus ab Episcopo, ut Clericus fieret, amictum amplius mutare non potest, ut qui Deo consecrari proposuerit: & ideo nec suam Deo pollicitationem rescindere, nec sanctum habitum ludificari, artificum scenicorum instar, possit: quod sæpe etiam de Monachis dixi. Eos autem, qui cum Hymno Trisagio nigris vestibus induti fuerint, eos indistincte dico habitum mutare non posse*.

Triplex quippe apud Græcos, capillorum fit detonsio: Clericalis Prima & præcipua, ante Ecclesiasticos Ordines suscipiendos præmittenda, de qua in Euchologio

gio apud Goar in Ordinatione Lectoris edit. Venet. 1730. pag. 194. *Offertur ejusmodi Ordinandus Pontifici, si secularis quidem est, in solita veste, & capite nudato; si vero Monachus, mandia indutus: & a Pontifice ter in capite signatur, & in Crucis formam tondetur ab eo dicente: In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti; adstantibus ad cujuscumque Personae invocationem facclamantibus, Amen. Mox ex integro ab aliquo in Clerici formam tondetur*. Altera minor detonsio, quæ & detonsum supra secularium ordinem non devehit, quam detonsionem in eodem Euchologio post Baptismum fieri consuetam edidit idem Goarus pag. 306. sub hoc titulo: *εὐχὴ εἰς τριχοκουρίαν*, *Oratio in capillorum detonsione*: ubi præmissis Precibus, sic peragitur: *Et in quatuor partibus in Crucis modum eum detondet, dicens: Tondetur servus Dei N. in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*. Inscribitur autem hæc ipsa detonsio in Codicibus Cryptoferratensi Bessarionis, & Barberino Sancti Marci: *εὐχὴ εἰς κουρεῦσαι παιδίον*, *Oratio ad tondendum puerum*. Tertia *Monachalis* in eodem Euchologio pag. 385. ubi post interrogatum eum, qui Tonsuram & habitum Monasticum suscipere cupit, cujus gratia institutum hujusmodi exposcat, statim Præfectus seu Abbas dicit ad eum: *Accipe forficem & trade mihi illam, ter. Ipsoque tradente, dicit iterum ad eum: ecce ex Christi manu illam assumis &c. Et accepta forfice e sacro Evangelio, ait: Benedictus Deus &c. & tondet eum in modum Crucis, dicens. Frater noster N. tondetur comam capitis sui, in nomine Patris &c.* Solam autem *Clericalem Tonsuram*, sive ab Episcopo fiat, sive Episcoporum permissu ab Abbate, qui Sacerdos sit, ad eum effectum requiri & sufficere, ut sive quis a puero, sive in matura ætate illam acceperit, divinas in suggestu Scripturas legere possit, ex recitatis Synodorum Canonibus liquet.

SE-

SECTIO X.

Animadversio in Canonem Trullanum XCIX.

CAnone Trullano XCIX. *Porro hoc quoque* (inquiunt Patres) *in Armeniorum regione fieri didicimus, quod quidam intus in sacris Altaribus carnium membra coquentes, frusta offerunt, Sacerdotibus Judaice distribuentes. Quocirca Ecclesiam immaculatam servantes, statuimus, nulli licere Sacerdoti, separata carnium membra ab offerentibus accipere, sed iis sint contenti, quæ offerenti visa fuerint, ejusmodi oblatione facta extra Ecclesiam. Siquis autem hoc non fecerit, segregetur*. Balsamon in hunc Canonem: *Quoniam didicere Sancti Patres, quod in Armeniorum regione per animalia quidem non fiunt sacrificia, sed carnium partes intra Altare coquuntur, & ex iis frusta quædam, scilicet membra separata, pedes forte & caput, vel aliquid ejusmodi, Sacerdotibus more Judæorum offernut, statuerunt, nec in Altari carnium membra coquere, nec extra ipsum tales separatas partes Sacerdotibus offerre ex antiqua consuetudine oportere; sed ejusmodi cessare, & Sacerdotes a laicis oblationem suscipere debere, in quibuscumque rebus & generibus ipsi voluerint. Ut est autem verisimile, propter consuetudinem, quæ in Armeniis obtinuit, concesserunt Sancti Patres, ut Laici Sacerdotibus offerrent quæ ipsi vellent. Apud nos enim nemo cogitur aliquid hujusmodi facere*. Mox idem Balsamon quærit. *Quomodo Canon tractet de duobus, quæ in Armeniorum regione fiebant, de coquendis scilicet carnium membris in Altari, & de frustis Sacerdotibus in Ecclesia offerendis, solam carnium in Ecclesia oblationem Patres prohibuerunt?* Respondet autem: *In Altaribus carnium membra coquere apud Christianos est omnino prohibitum, ex quo per animalia cessavit sacrificium; & propterea de eo Patribus dicere non placuit; unde & de solis frustis, quæ Sacerdotibus offeruntur, lex constituit; nempe quum de eo*

eo solum capite quæstio instituta esset. Eadem est Zonaræ expositio, dicentis: *Apud Armenios nulla quidem animalia immolabantur: siquidem illa sacrificandi consuetudo, Christianorum legibus sublata fuit. Sed intra Altare decoctis carnibus, ex iis certa ac definita quædam Sacerdotibus largiebantur. Quam quidem consuetudinem, quippe Judæorum mores adhuc redolentem, Synodus damnat, ac carnes quidem in Ecclesia coquere, aut in eadem definita illa Sacerdotibui offerri, vetat: promiscue vero quæcumque demum offerentes maluerint, extra Ecclesiam offerendi potestatem facit*. Utrumque quidem (juxta Balsamonem & Zonaram) censendi sunt Patres Trullani prohibuisse, & quod carnes intra Altare coquerentur, & quod separata ex iis frusta Sacerdotibus intra Ecclesiam offerrentur; solum autem permisisse, ut carnium extra Ecclesiam oblatio fieret. Verum si Canonis verba expendantur, de coquendis in Altari carnibus nulla fit expressa mentio. Hinc Canonem Aristenus sic interpretatur: *Quidam in Armeniorum regione carnium membra coquentes in sacris ædibus, offerebant; nonnulla eorum separata, Judæorum more, Sacerdotibus distribuentes. Hoc itaque factum fuisse intelligentes Patres, amplius fieri prohibent, jubentque non licere Sacerdotibus separata carnium membra reposcere, sed illis acquiescere, quæ offerenti placent; eorum autem oblationem extra Ecclesiam fieri*. Armeniorum nonnullos ex male intellecto Trullano Canone Græci Interpretes accusant, quod intus in sacris Altaribus, in sacris ædibus, in Ecclesia, carnium membra coquerent, & separata ex iis frusta ibidem Sacerdotibus offerrent. Utrumque (inquiunt) fieri prohibent, hoc unum permittentes, ut extra Ecclesiam carnes coquerent, & Sacerdotibus offerrent. Agni Paschalis (inquit Christian. Lupus ad hunc Canonem) & aliarum item carnium benedictionem, uti & plures ritus alios, laudatam in Ordine Romano, a Sancto Gregorio Magno & Apostolica Sede Armenii acceperunt; illum autem Judaicum de Agno abusum partim a Jacobitis, partim a quibusdam Latinis

nis Ecclesiis, de quibus in opere de rebus Ecclesiasticis Walafridus Strabo cap. 18. *Quorumdam simplicium error de Judaicarum superstitionum seminario natus, & ad nostra usque tempora quædam vetustatis extendens vestigia, jam ex magna parte, sapientum studio, compressus est. Et sicuti adhuc perniciosum hujus pestis germen revirescere fuerit comprobatum, mucrone spirituali radicitus est amputandum. Illum dico errorem, quo quidam, Agni carnes in Pascbate juxta vel sub Altari ponentes, benedictione propria consecrabant, & in ipsa Resurrectionis die ante ceteros corporales cibos de ipsis carnibus percipiebant: cujus benedictionis series adhuc a multis habetur*. Et hunc quorumdam imperitorum Sacerdotum excessum, omni Latinæ Ecclesiæ per calumniam imposuit Photius Schismaticus, uti Epist. 70. ad Gallicanos Episcopos queritur Nicolaus I. *Mentiuntur* (Photiani) *nos Agnum in Pascba, more Judæorum super Altare pariter cum Dominico Corpore benedicere & offerre*. Et in alia Appendicis Epistola 16. *Quod super Altare una cum Corpore Christi offeratur Agnus tempore Paschatis, est manifesta calumnia*. Nam & illi imperiti Sacerdotes non supra, sed juxta, aut infra Altare Agnum benedicebant, & nequaquam benedictione Sacrificativa, sed quali etiam Græci benedicunt triticum, uvas, aquas, sericum infectum, & alias species, de quibus in Euchologio. Præcipuam igitur sui abusus partem (uti Lupus concludit) Armenii acceperunt a Jacobitis, quos in multis judaizasse, & istud a Saracenis didicisse, testatur Jacobus a Vitriaco lib. 1. cap. 76. Hæc Lupus. Verum (quidquid sit de *Jacobitis*; a quibus neque Agnum in Paschate, neque carnes in Ecclesia benedici aut offerri, constat ex eorum (1) Ritualibus:) a vero prorsus abhorrere mihi videtur, quod de Armenis Græci dicunt, illos nempe *in Altari* aut in sacris ædibus sive in Ecclesia *carnes coquere*. Quis enim hoc sibi persuaserit, nisi qui quidquid in mentem venerit,

(1) Vid. Cod. Ms. LI. Tom. 2. Catalogi Codicum Mss. Syriacorum Bibliothecæ Vaticanæ edit. anno 1758. a pag. 314. ad 328.

rit, de iis comminiscatur, cujusmodi solent esse Græculi in Armenios æque ac Latinos infensissimi, quemadmodum idem Jacobus a Vitriaco loc. cit. subjungit: *Inter Armenios & Græcos sunt inexorabiles discordiæ, & dissensiones implacabiles, & invicem alii aliorum ritus & instituta detestantur*. Hoc unum igitur verum esse potuit, quod Armenii carnes sive crudas sive domi coctas, in Ecclesiam inferre consueverint, ibique a Sacerdotibus benedici, separatasque earum partes, iisdem Sacerdotibus offerri, eo prorsus modo, quo & imperiti quidam Latini faciebant: Id quod merito Trullani Patres in Ecclesia quidem fieri prohibent; extra Ecclesiam autem offerri & benedici, Armeniis juxta antiquam eorum consuetudinem permittunt; Interpretes vero Græci, non bene intellectis eorum Patrum verbis, carnes in Altari sive in Ecclesia ab Armenis coqui & offerri comminiscuntur: Verba enim Canonis Trullani hæc sunt: *quod quidam in Armeniorum regione, in sacris Altaribus, carnium membra coquentes, frusta offerunt, Sacerdotibus Judaice distribuentes*: Sensus quippe est, *carnium membra coquentes, frusta in sacris altaribus offerunt & Sacerdotibus distribuunt*: carnes scilicet extra Ecclesiam coquebant, & intra Ecclesiam offerebant: statuitur proinde, non ut carnes non coquerent in Altari, sed ut carnium oblatio extra Ecclesiam fieret. Antiqui Canones quid in Ecclesia offerri fas esset, præscribunt. Canon Apostolorum tertius: *Siquis Episcopus, vel Presbyter, præter Domini de sacrificio ordinationem, alia quædam ad Altare attulerit, vel mel, vel lac, vel pro vino siceram factitiam, vel aves, vel aliqua animalia, vel legumina, præter ordinationem, deponatur, præterquam novas spicas, vel uvam tempore opportuno. Ne liceat autem aliquid aliud ad Altare offerre, quam oleum ad luminare, & incensum tempore Sanctæ Oblationis*. Eorumdem Apostolorum Canon IV. *Omnis alius fructus domum mittatur, primitiæ Episcopo & Presbyteris: sed non super Altare*, Id confirmat Canon LVII. Trullanus: *Quod ad Altare mel, & lac offerri non oporteat*. Et Canon

Trullanus XXVIII. *Quoniam in diversis Ecclesiis intelleximus, uva ad altare allata, ex quadam quae invaluit consuetudine, ministros, postquam hanc incruento oblationis sacrificio conjunxerint, utraque simul populo distribuere; simul etiam decernendum esse perspeximus, ut nullus Sacerdos hoc amplius faciat, sed ad vivificationem & peccatorum remissionem, solam oblationem populo impertiat; tamquam primitias autem uvae ollationem existimantes, Sacerdotes eam seorsim benedicentes, petentibus impertire ad fructuum datori gratiarum actionem, per quos corpora nostra, divina dispositione, augentur & aluntur. Siquis itaque Clericus praeter haec decreta fecerit, deponatur*. Balsamon in Can. 4. Apostolor. *Sacrificia, quae ex Lege antiqua in templo fiebant per sanguinem & animalium caedem, prohibentes divini Apostoli, incruentum quod a Domino traditum est sacrificium fieri jusserunt* (Pane scilicet Vinoque conficiendum, ut Zonaras exponit:) *Quum autem audis Canonem dicentem*, Praeterquam novas spicas vel legumina, *ne putes per haec permitti fieri Sacrificium: & hoc enim prohibetur; sed dic, ea offerri Sacerdoti, tamquam novorum fructuum primitias. Et ideo, ut est verisimile, Patriarchae quoque uvae offeruntur in Altari sacrae aedis Blachernarum, peracto sacro in festo Dormitionis Sanctissimae Deiparae. Ego autem vidi quemdam depositum, & ex Venerandi Monasterii regionis cui praeerat praefectura ejectum, quod caseos & carnes ad altare inferret, consilio cujusdam improbi hominis, qui eum seduxit, & dixit, hoc modo futuram plurimorum morborum medelam*. Codex Canonum Ecclesiae Africanae cap. 40. permittit ad Altare offerri *lac & mel*, in uno solenni Paschalis festivitatis die, dari consueti Neophytis de sacro Baptismi fonte regeneratis: *Ut in Sacramentis Corporis & Sanguinis Domini nihil offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est, Panis, & Vinum Aqua mixtum; Primitiae vero, seu lac & mel, quod uno die solennissimo in infantium mysterio solet offerri, quamvis in Altari offerantur, suam tamen habeant propriam benedictionem, ut a Sacramento*

Domi-

Dominici Corporis & Sanguinis distinguantur. Nec amplius de primitiis offeratur, quam de uvis & frumentis: Utique super Altari: juxia laudatum Apostolicum Canonem IV. Novas igitur spicas, uvas, oleum ac thymiama in ipso altari offerri permittunt & benedici, quod nempe ex spicis, & uvis fiant panis ac vinum, proprium Eucharistiæ elementum: oleum autem ac thymiama, sunt propria Sacrificii & Altaris ornamenta. Reliqua ad Altare deferri prohibent. Quæ autem de *lacte & melle* ex Canone Africano XL. dicta sunt, prohibita etiam fuere apud Græcos Canone LVII. Trullano: quemadmodum in eund. Can. Africanum observant Balsamon & Zonaras.

SECTIO XI.

Ritus Sacrificandi pecoris ab Armenis usurpatus.

Sed in Armenis non modo abusus ille carnium in Ecclesia offerendarum distribuendarumque notatur in laudato Canone Trullano XCIX.; verum etiam error longe pejor reprehenditur a Nicone Monacho (1) in libello de pessimorum Armenorum pessima religione, his verbis: „ Armenii omnia fere, quæ sunt abolita legalia adhuc peragunt. Agnum enim magno Dominico „ (*die Paschali*) sacrificant, & limina inungunt, & „ ejus ossa comburentes, servant cinerem cum sanguine in signum expiationis: & velum ante Altare statuunt, & tintinnabula ipsi vel altari appendunt. Quin „ etiam pro mortuis, ovium & boum sacrificia peragunt, nec defunctum aliter servandum existimant, nisi „ tertiis, & vicenis, & quadragesimis ejus diebus, ejusmodi Sacrificia peracta fuerint. Antequam autem „ hujusmodi Sacrificia peragantur, sal benedicentes, „ au-

(1) Vide Galan. tom. 1. Conciliat. Eccl. Armen. p. 218. & Lupum in can. 99. Trullan. & alios: qui tamen hunc tractatum perperam attribuunt S. Niconi: quum sit opus Niconis alterius recentioris Graeci Schismatici: uti alibi a nobis est ostensum.

„ dant bestiis in nutrimentum, & super earum etiam „ capita dicunt quasdam orationes, & eas mactant. Hæc „ autem sacrificia nominant natalitia. Siquis autem „ aliquid horum negarit, eum anathematizant „. In hunc usque diem apud Armenos hæreticos nonnullos (plerique enim eum abrogarunt) error iste invaluit, idemque a Græcis, cæterisque Orientalibus jure merito sugillatur. Mirum autem videtur, quod nulla illius mentio occurrat apud Trullanos Patres, qui de carnium membris ad Altare delatis, distributisque inter Sacerdotes, dumtaxat loquuntur. At Nicon pessimum hunc Armenorum Ritum vere describit: & Galanus iu Conciliat. Eccl. Armen. cum Romana Tom. 3. pag. 412. ex ipsorum Rituali, præscriptum *Sacrificandi pecoris Ritum* exhibet, in hæc verba: „ Canon pro oblatis Do„ mino pecoribus benedicendis. Adferatur oblatum ani„ mal (*nempe, Agnus, aries, aut simile aliud*) ante „ januam Ecclesiæ: vinciatur collum ejus funiculo rubri „ coloris, ac rubro etiam indumento dorsum ejus ope„ riatur. Accenduntur candelæ (*cornibus ejus affixæ*:) at„ que thus adoletur: offerant immaculatum, ac sponte, „ ut Deo sit acceptabile. Recitantur Psalmi: *Beati quo„ rum remissæ sunt iniquitates. Benedicam Dominum in „ omni tempore. Miserere mei Deus secundum magnam. „ Te decet hymnus Deus in Sion*. Hymnus, *circumdan„ tes*. Capitulum, *Petamus*. Et dicit Sacerdos Oratio„ nem: *Benedictus es Domine Deus*... Sicut ergo Patres „ nostri antiqui vitulos, arietes, & hircos tuæ obtule„ runt majestati, ac fuerunt per bona sua opera tibi pla„ citi, nos servi tui infirmi offerimus tibi per Christum „ filium tuum, Arietem hunc, hircum &c. ut fiat Sanctita„ ti tuæ sacrificium laudis &c. *Post hæc dicitur Psalmus*: „ Memento Domine David: *& Lectiones ex Levitico*, „ ex *Isaia Propheta, & ex Epist. ad Hebræos*. Allelu„ ja. Jnbilate Deo omnis terra. *Evangelium secundum „ Lucam*. Capitulum: *Exaudiat Dominus*. Oratio pro „ sale benedicendo: *Benedictus es Domine &c.* Psalmus: „ *holocausta medullata offeram tibi*. Oratio super hostiam.

„ *Do-*

„ *Domine festorum*, & *susceptor votorum*. Ad summam, „ oblata ac jugulata pecora, coquuntur, & distribuun- „ tur discumbentibus, qui intincto in ipsorum Sangui- „ ne digito in ostiis suarum domorum, ac parietibus „ Ecclesiæ, crucis signum delineare solent „. Hinc apparet, iisdem, quibus Armeni Agnos, arietes, hircos in Rituali offerunt, verbis, verum se Deo Sacrificium offerre ad vivorum atque mortuorum expianda peccata, disertissime protestari. Audiendi proinde non sunt, quum factum ipsum excusare nituntur his verbis: „ Non est „ (inquiunt) actio illa, qua Deo dicimur pecus sacri- „ ficare, proprium Sacrificium, sed tantum quædam „ oblatio, suu potius benedictio pecoris, quod antequam „ occidatur, coquatur, distribuaturque circumstantibus, „ benedicitur. Quapropter & in nostro Rituali, ubi hu- „ jus oblationis forma præscribitur, hic ponitur titulus: „ Canon pro oblatis Domino pecoribus benedicendis. Respondet enim Galanus: satis constare de corpore delicti, non dico ex iis, quæ relatu aliorum didici, quæque propriis oculis conspexi; sed ex ipsamet Ritualis præscriptione. Quum enim Sacrificium proprie dictum nihil sit aliud, nisi externa oblatio, Deo facta, qua res aliqua sensibilis, in agnitionem humanæ infirmitatis, & professionem divinæ majestatis, a legitimo ministro ritu mystico consecratur, & transmutatur; non video, quid in proprio Sacrificio desiderari possit, quod Armeni actione illa non faciant; nisi solum obstet, quod id superstitiosissime faciunt. Præterea quid iis verbis, quæ in Rituali recitantur, nisi verum Sacrificium designatur? „ Sicut patres nostri antiqui vitulos, arietes & hircos „ tuæ obtulerunt majestati: ita nunc nos servi tui in- „ firmi offerimus tibi arietem hunc, ut fiat Sanctitati „ tuæ Sacrificium laudis. „ Suscipe hoc Sacrificium „ nostrum, sicut suscepisti præclaras eas oblationes ve- „ terum Sanctorum Patriarcharum, quos a victimis su- „ perstitiosæ gentilitatis sordibusque idololatriæ abhor- „ rentes & aversos conservasti, ac per Sanctum Mosen, „ prophetam tuum, Israëlitico populo præcepisti, ut ti- „ bi

„ bi ex gregibus & armentis, aliiſque animalibus Sacri-
„ ficia immolarent. Si ſacrificium fiat pro defunctis,
„ dicitur hæc oratio. „ Quapropter rogamus te Domi-
„ ne, ut Sacrificium ac munus hoc noſtrum, vitulos,
„ arietes, hircos, & agnos, panem etiam atque vinum,
„ benedicas, ſuſcipiaſque de manibus noſtris: propitius
„ eſto animæ ſervi tui, pro qua hæc munera tibi offe-
„ rimus, eique peccata dimitte „. Quid clarius dici
„ poſſit, ut verum ac proprium Sacrificium intelliga-
„ tur „? In Libello Benedicti XII. Papæ anno 1341. ad
Armenos (1) tranſmiſſo, eadem ſuperſtitio in Sacrificio
animalium uſurpando carpitur num. XLV. in hæc ver-
ba. „ Item quod apud Armenos, quando aliquis ex eis
„ mortuus eſt, talis obſervatio fit, quod de ſero ducun-
„ tur animalia munda ſecundum legem Moyſi, cujuſmo-
„ di ſunt oves, capræ, & boves, coopertæ pannis ſe-
„ ricis ad oſtium Eccleſiæ: ad quem locum exeunt Cle-
„ riei dictæ Eccleſiæ; & Sacerdos benedicit ſal, & de
„ ſale benedicto ponit in ore dictorum animalium, &
„ poſtea cum oleo de lino inunguntur dicta animalia, &
„ deinde effuſo ipſorum ſanguine occiduntur, & de car-
„ nibus dictorum animalium ſequenti nocte comedunt
„ Clerici cum ſale; ſed Sacerdos, qui in craſtinum de-
„ bet celebrare pro mortuo, non comedit de carnibus
„ dictorum animalium uſque poſt Miſſam. Faciunt, au-
„ tem prædicta, quia dicunt & tenent, quod licet re-
„ miſſio peccatorum fiat principaliter per Sanguinem
„ Chriſti; tamen non fieret dicta remiſſio peccatorum,
„ niſi ſanguis animalium prædictorum effunderetur in pec-
„ catorum vivorum & mortuorum remiſſionem, quia
„ lex Moyſi dicit, quod remiſſio peccatorum fit per ef-
„ fuſionem ſanguinis animalium brutorum mundorum, &
„ ſine eo non fit peccatorum vivorum & mortuorum
„ remiſſio: & Dominus dicit in Evangelio, quod ipſe
„ non venit ſolvere legem, ſed adimplere; quam ſol-
„ viſſet, ſi peccatorum remiſſio fieret ſine effuſione ſan-
„ gui-

(1) Vide Raynald. in Annal. ad ann. 1341. a num. 48. & Collect. Veterum Monument. Martene & Durand. Tom. VII. a col. 340.

„ guinis animalium brutorum. Et de hoc etiam reprehendit eos Damascenus, dicens, quod dicti Armeni „ accipientes de erroribus Judæorum, Saracenorum, „ Paganorum, & aliorum errantium, de illis erroribus „ suam fidem composuerunt, & de dicta fide in Concilio Manesguerdensi librum composuerunt, qui apud „ eos vocatur Radix fidei.

Accepto quem Benedictus XII. ad Armenos trasmiserat, Libello, quid Armeni circa hanc Sacrificii animalium superstitionem responderint, colligitur ex Concilio, quod Armenorum Catholicus *Mechitar* sub Constantino Rege anno Chr. 1345. congregavit: in eo quippe Concilio singulæ accusationes expensæ sunt, & apta excusatione refutatæ. Concilium hoc e Ms. Codice Bibliothecæ Regiæ ediderunt cl. Patres Martene & Durand in Collectione Veterum Monumentorum Tom. VII. a pag. 312. Initium. „ In nomine, in gloria Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Anno Incarnationis (1) Domini 1342. honorabilissimus Pater Dominus Benedictus XII. Sanctissimus Pontifex Romanus „ misit ad Ecclesiam Armenorum Libellum unum de erroribus, quos errores dicebat se audivisse ab aliquibus detractoribus Ecclesiæ: ideo paterna pietate rogabat Catholicon, & Regem Armenorum, petendo ab „ eis, ut cum Synodo Antistitum Ecclesiæ Armenorum „ suprascriptos errores prædicti Libelli audirent, cum „ examinatione condemnarent tamquam inimicos Catholicæ fidei, ut fides orthodoxa Catholicæ Ecclesiæ „ sine quocumque errore teneatur, prædicetur, & colatur, & in partibus Armenorum, sicut in Ecclesia Romana. Ideo ego Dominus Mequitar (2) quamvis in- „ dignus,

(1) Apud Raynald. *Anno* 1341. dicitur Benedictus XII. ad Armenorum Catholicum *Kl. Augusti anno Pontificatus VII.* misisse Libellum; in quo errores CXVII. continentur. Vide datam ad eundem Catholicum Epistolam ad ann. 1341. n. XLVI. quæ incipit: *Dudum ad audientiam nostri Apostolatus*.

(2) *Mequitar* Armenice idem sonat ac *Consolator* Latine. Hinc Clemens VI. Papa ad ea, quæ idem *Mequitar* in Synodo confecerat Romamque ad Sedem Apostolicam transmiserat, anno 1346. rescribens, (apud Raynald. ann. 1341. n. 118.) sic ait: „ Dudum Venerabiles Fratres nostri, Consolator dictus Catholicon Armenorum, necnon Archiepiscopi & Episcopi &c. „ Fallitur proinde Quienus, dum

Tom. 6

„ dignus, tamen providentia divina Catholicon omnium „ Armenorum, de voluntate & consensu gloriosi Domi- „ ni Constantini gratia & electione Dei Regis omnium „ Armenorum, Venerabilium Principum ejus, & dili- „ gentium Christum; etiam cum consilio & adjutorio „ omnium Episcoporum, Magistrorum, Abbatum Mo- „ nasteriorum, aliquorum aliorum Ecclesiasticorum Vi- „ rorum idoneorum qui sunt: hi Archiepiscopi nem- „ pe VI. Episcopi XV. Episcopi Titulares IV. Episcopi „ de Curia Catholici III. Notarius I. Magistri V. Ab- „ bates Monasteriorum Sacerdotes & Archipresbyteri „ VII. Congregati insimul legimus & audivimus Libel- „ lum errorum & falsitatum, quem in omni parte sua „ examinavimus, & separavimus veritates orthodoxæ fi- „ dei, & Sacramentorum Sanctæ Ecclesiæ, a falsis & va- „ riis erroribus, quos nobis imposuerunt, sicut quem- „ libet in articulis errorum, ubi memorantur, manife- „ stamus piissimo & Sacratissimo Patri nostro Domino „ Clementi Papæ Romano, successori præmemorati Do- „ mini Benedicti, & Apostolicæ Sedi ejus: Scilicet fi- „ dem, & Sacramenta Sancta, secundum Ritum & mo- „ dum, secundum quem habuit Ecclesia Armenorum, „ & nunc habet & confitetur. Et errores aliquorum „ Armenorum, qui quandoque demanaverunt, tamen a „ nobis non recipiuntur, sed spernimus semper & con- „ demnamus errores hæreticorum alienigenarum, quos „ non tenuimus, nec habemus, & quos alias non audi- „ vimus, quos false nobis imposuerunt, condemnavimus „ omnes cum anathemate, sicut semper apud vos ana- „ the-

Tom. I. Orient. Christian. pag. 1407. Jacobum ait sua Sede pulsum eiosque in locum suffectum fuisse MeKitarum, quo tamen paulo post defuncto, Jacobum restitutum fuisse: & pag. 1408. Aut Jacobum aut Mesrobum eius Successorem illum esse Catholicum putat qui Consolatoris nomine in Occidente notissimus fuit. Verum MeKitarum & esse eundem ipsum Consolatorem, & Jacobo defuncto successisse, ex hac ipsa Synodo constat. Vide Responsionem ad art. 75. apud Martene Tom. VII. p. 389. Quin etiam eundem Consolatorem seu MeKitarum mense Octobri ann. Chr. 1351. adhuc in vivis fuisse, colligitur ex data ad ipsum ab eod. Clem. VI. Epistola, quam refert Raynaldus, ann. 1351. num. 2. Demum eundem ipsum MeKitarum anno 1353. superstitem demonstrat Epistola Innocentii VI. Papæ ad Narsetem Episcopum apud Raynald. ad ann. 1353. num. XXV.

„ thematizati sunt. Et hæc patent in præsenti Libello „ malorum: in cujus principio dicit hoc, *Artic.* 1. Et „ primo quod aliqui antiqui Magistri Armenorum di- „ xerunt & prædicaverunt, quod Spiritus Sanctus pro- „ cedit a Filio, sicut & a Patre. Responsio. Verum est „ hoc „. Cetera. Ita ab his Patribus in Synodo Liber Apologeticus confectus est, in quo singulæ accusationes aut refelluntur, aut excusantur.

„ Censet P. Martene (verba cl. Mansii recito in not. ad an. „ 1341.) in Responsis hisce Armenorum non nihil interlu- „ cere, ex quo gens illa non plane ab errore immunis intel- „ ligatur. Ego Libellum totum evolvens, nihil offendi, „ quod minus recte illos de fide sentire demonstret. Ultro „ tamen fatentur Patres, orthodoxiam se Episcoporum „ minoris Armeniæ tantummodo tueri; nec vades se „ de fide Archiepiscoporum majoris Armeniæ præbere „. At vero Quienus Tom. 1. Orient. Christ. pag. 1408. sententiam Patris Martene sequutus, affirmat, in hisce Responsis quod *Consolator* (nempe, Mekitar Patriarcha) „ Non diserte satis, sincereque, ut promiserat, præsta- „ re visus esset, Clementem VI. Pontificem pro plenio- „ ri roboratione & confirmatione Armenorum in fide Ca- „ tholica, Joannem (1) Archiepiscopum Pisanum & An- „ tonium Scutarensem, Sedis Apostolicæ Legatos, illuc „ misisse, rursum ut Consolator ad ipsos clare & non „ sub involucro aut duplicitatis pallio responderet Guil- „ lelmo Patriarchæ Hierosolymitano, & Philippo Archi- „ episcopo Nicosiensi, & Othoni Paphensi, & Leodega- „ rio Nemosiensi Episcopis, quibus per literas suas in- „ mandatis dederat, ut ipsi, vel duo ex eis aliquem, vel „ aliquos probos viros zelum Dei habentes, quos ad ap- „ plicationem tanti remedii sufficientes & idoneos esse „ co-

(1) Fallitur Quienus. Nuncii Pontificii ad Consolatorem seu MeKitarum Patriarcham, Armenorum a Clemenre VI. anno Christi 1346. missi, non fuere Joannes Archiepiscopus Pisanus, & Antonius Scutarensis, sed Antonius Episcopue Gaietanus, & Joannes electus Coronensis, & postea Archiepiscopus Pisanus. Vide Epist. Clem. VI. Dat. Avin. 2. Kal. Sept. anno v. (Chr. 1346. num. 69. apud Raynald.) & Epist. eiusd. Pontificis ad eundem Consolatorem datam ann. 1351. apud Villamnovam Diœc. Avenionen. 3. Kal. Oct. anno x. (apud Raynald. ann. 1351. num. 2.)

„ cognoscerent, cum fideli interprete, ad eundem Con-
„ solatorem mittere festinarent, quodque ab eo cum gra-
„ vitate decenti prudenter & provide hujusmodi Respon-
„ siones lucidas & apertas postularent „.

Quidquid tamen sit de Armenorum Patriarchæ mente sentiendum (quod est a nobis alibi explicatum) ad id, quod in libello Bened. XII. art. XLV. de sacrificio animalium legitur, ita respondet in plena Synodo, an. 1345. ut supra congregata, Mekitarus seu Consolator Catholicus apud Martene T. VII. p. 362. *Secundum consuetudinem Armenorum, quando aliquis moritur, parentes mortui, si possunt & volunt, faciunt benedicere sal, & benedictum sal dant animalibus, & animalia illa occidunt, & sacerdotibus & pauperibus dant comedere, & vigilias & orationes faciunt fieri pro anima mortui, ut Deus aspiciens ad orationes & eleemosynas vivorum, mortuis misericordiam concedat: Et hanc consuetudinem Ecclesia Armenorum recepit a S. Gregorio, quia invenitur in historiis, quod Sacerdotes idolorum, qui per Sanctum Gregorium crediderunt in Christo, dicebant B. Gregorio, quod in gentilitate nostra de nefandis immolationibus habebamus cibaria pro nobis & filiis nostris; de cetero autem mandet & ostendat dominatio vestra causam vitæ nostræ, per quam vivamus: tunc ipse ordinavit eis dare decimas de omnibus, & mandavit populo, ut pro sacrificiis, quæ idolis ante offerebant, illam darent Deo oblationem de mundis animalibus, benedicerent sal, & darent animalibus; sed in festivitatibus & Dominicalibus & magnis festivitatibus Sanctorum, ad memoriam mortuorum in Christo, & eleemosynam ad cibum pauperum pro mortuis, & de immolationibus istis ordinaverunt dare fidelibus sacerdotibus partem. Tamen illud quod dicunt quod ducunt animalia in sero, & animalia sint secundum legem Moysi, & quod cooperiunt cum sericis ad portam Ecclesiæ, & quod inungunt cum oleo lini, & cetera quæ sequuntur, non sunt vera, quoniam nec vidimus, nec audivimus; &, si in aliquibus locis inveniatur ab aliquibus simplicibus, quos nescimus, talia facientes, de numero bestiarum reputamus; &, si quan-*

quandoque in aliquo tempore fuerunt talia in aliquibus locis, & particulariter, nunc autem nullo modo inveniuntur.

Synodicam Responsionem circa animalium Sacrificia, unacum aliis CXVII. articulis, quum Mekitarus Armenorum Catholicus per Joannem de Merchar, & Antonium Episcopos, nec non per Danielem Lectorem & Vicarium Fratrum Minorum in Armenia consistentium, ac nobilem virum Gregorium Cenquiz, suos nuncios ad Clementem VI. Papam transmisisset; datis Avinione 2. Kalend. Septemb. anno V. Chr. 1346. ad eundem Consolatorem seu Mekitarum, necnon ad Archiepiscopos & Episcopos, & Abbates, & cæteros Clericos in Armenia constitutos (1) Literis; Clemens VI. *Nos igitur* (respondit) *hujusmodi literis vestris affectu solitæ benignitatis receptis, visoque prædicto Libello nobis per dictos Ambassiatores & nuncios præsentato, & iis, quæ ipsi dicere ac explicare voluerunt, plenius intellectis; & tam cum fratribus nostris ejusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, quam multis Prælatis aliis sacræ scripturæ Doctoribus & Magistris habita deliberatione provida & matura; zelum devotionis, quem ad fidem ipsam ac nos & præfatam Ecclesiam Romanam vos gerere obtulistis, ac diligentiam quam circa revocandos & condemnandos dictos errores adhibuisse asseritis, multipliciter in Domino commendamus.* Addit tamen ad excindendos alios errores mitti a se ad ipsum Patriarcham Apostolicos Legatos Antonium Cajetanum & Joannem electum Coronenensem, simulque monet, ut iisdem Legatis morem gerat. *Verum quia errores alii valde perniciosi & damnandi, quos certe hostis humanæ salutis in illis partibus (ut sectatores illorum secum trahere valeat in damnationis præcipitiam) satagit, remanent extirpandi; nos desiderantes attente, ut ipsos ac alios errores, si quos astutia Satanæ, ut animas simplices diabolica fraude deceptas, secum in æternam prædam adducat, superseminare conatur, discernere clarius & confutare facilius atque prudenter*

(1) Apud Raynald. Ann. 1346. num. 68.

dentius valeatis, Venerabilem fratrem nostrum Antonium Episcopum Gajetanum, & dilectum filium Joannem electum Coronensem, Apostolicæ Sedis Legatos, viros utique profundæ scientiæ ac in lege Domini eruditos, & ipsius fidei sinceros & fervidos zelatores, qui per semitam mandatorum Domini gradientes, ipsum verum lumen de lumine veramque sapientiam (quantum eis ab ipso permittitur) imitantur, commisso eis & eorum cuilibet plenæ Legationis officio, ad vos & partes ipsas, de dictorum Fratrum consilio, decrevimus destinandos, ut per eos de ipsa fide ejusque salutari doctrina informemini plenius, & imbuamini viva voce, quam possetis scriptura instrui, vel literis informari, ac tenacius cordibus vestris impressa maneant, quæ ipsorum Legatorum studio, & linguæ ministerio fuerint propagata. Ideoque universitatem vestram monemus & hortamur, vobis nihilominus districte præcipiendo mandantes, quatenus Legatos ipsos, per quos Decretum & Decretales postulata transmittimus, imo potius nos in eis, pro nostra & ipsius Sedis reverentia, benigne recipientes, ac debita honorificentia prosequentes, eisque tamquam dictæ Sedis Legatis devote ac humiliter intendentes, eorum salubribus monitis & mandatis, exhortationibus & doctrinæ fideliter acquiescere, ac efficaciter & effectualiter obedire, ac unacum ipsis ad extirpandos penitus prædictos & alios errores, & de mentibus ac intentionibus Armenorum errantium evellendos & removendos omnino, diligentem operam & sollicitudinem, sicut Dei ministri, adhibere, nec non Dei doctrinam veræ fidei Catholicæ, super ipsis articulis & aliis ipsam tangentibus profiteri, sequi, ac docere, cum omni sollicitudinis studio efficaciter procuretis, ad eosdem Legatos super hujusmodi articulis ejusdem fidei, si forsan circa intelligentiam eorundem aliquid dubitationis emerserit, recurrentes.

Anno sequenti (nempe Chr. 1347.) datis ad Constantinum Armenorum Regem literis *Avin.* VI. *Kalend. Octob. anno* VI. eundem hortatur Clemens VI. ut *præfatis Legatis in officio Legationis hujusmodi, eis pro ip-*

sius

ſius fidei negotiis, ac tuæ ſubditorumque tuorum animarum ſalute commiſſo, tamquam princeps Catholicus & Evangelicæ veritatis amicus, tui favoris auxilio potenter & patenter aſſiſtas. Eoſdem autem Legatos, Cajetanum Epiſcopum & Electum Coronenſem (*Tom. 6. Epiſt. ſecret.* 402.) urſit, ut Sedi Apoſtolicæ ſignificarent, quo tandem modo in expugnandis Armenorum erroribus ſe geſſiſſent.

Non quidem ſcripto, ſed viva voce, reverſus ab inita Legatione Joannes electus Coronenſis (nam Antonius, alter Legatus, jam obierat) Clementi VI. anno Chr. 1350. renunciavit, quod Armeni adhuc in multis a veritate Catholicæ fidei aberrabant. Id colligitur ex ipſa Clementis VI. ad Philippum Archiepiſcopum Nicoſienſem Epiſtola data *Avin.* XVI. *Kalen. Octob. anno* IX. Chr. 1350. qua „ Conſtantino Armenorum Rege, & Mekitaro Catholico per ſuas literas expoſcentibus, ut adverſus inſultus & perſecutiones paganicæ feritatis, quibus ſe ac populum ſuum indeſinenter opprimi aſſerebant, providere ſibi de alicujus ſubventionis auxilio Pontifex dignaretur: Nos (inquit Clemens VI.) memoratis Regi & Catholicon ac Populo, quos involutos multis erroribus aliqui aſſerebant, ſpiritualiter primo ſubvenire volentes, Venerabilem fratrem noſtrum Joannem Archiepiſcopum Piſanum, tunc Electum (1) Mothonienſem, & bonæ memoriæ Antonium Epiſcopum Gaetanum, Apoſtolicæ Sedis Legatos, viros, ſicut experientia didiciſti, profundæ ſcientiæ, commiſſo eis plenæ Legationis officio, ad eoſdem Regem, & Catholicon, & populum duximus deſtinandos; ut ipſi Rex & Catholicos ſalutaribus eorumdem Legatorum monitis ab erroribus ad viam rectitudinis revocati, & adjuncti Catholicæ unitati, potentius eiſdem paganis reſiſterent, & nos eis opem ſalutaris auxilii favorabilius præberemus. Cumque dicti Legati ſe ad partes illas perſonaliter contuliſſent, & præfatus

(1) In aliis literis *Coronenſem*. Fortaſſe & Coronæ & Methonæ electus fuerat. Sunt enim duæ proximæ Urbes in Peloponneſo.

„ tus Archiepiscopus, eodem Antonio interim, sicut „ Domino placuit, sublato de medio, ad nos successu „ temporis rediisset, relatione sua comperimus, quod „ dicti Rex, Catholicos, & Populus minime resipuisse „ dicantur, sicut per quasdam literas missas & scripturam exhibitam nobis luculenter apparet. Ipsis tamen „ adjicientibus prioribus supplicationibus iteratæ supplicationis instantiam, nos pie compatientes eisdem & „ sperantes, quod ille Pater Luminum, qui via, veritas est, & vita, ipsis spiraculum inspirabit, ut diabolicæ fraudis confutatis erroribus, ad viam perveniant veritatis; fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Regi, populoque, cum „ ipse, ac dicti Catholicos & Populus aliquas recognitiones super aliquibus, quibus ab ejusdem fidei discrepant veritate, fecerint juxta formam, quam tibi per „ proprios nuncios, seu nuncium, authore Domino, „ transmittemus, per Venerabilem fratrem nostrum Odonem Episcopum Paphensem Apostolicæ Sedis Nuntium, sex millia florenorum auri de pecuniis Cameræ nostræ tradi & assignari facere non omittas. Nos „ enim dicto Episcopo damus per alias nostras literas „ in mandatis, & ad requisitionem tuam dicta sex millia florenorum eidem Regi tradere & assignare pro„ curet.

Anno 1351. Clemens VI. formam, de qua supra dixit, ad Armenorum Catholicum transmisit, data *apud Villam novam Avinionensis Diœc. 3. Kalend. Octob. anno* x. Epistola, cujus Inscriptio: *Venerabili fratri Consolatori, dicto Catholicon Armenorum*: Ut missis scilicet ambagibus, fidei veritatem puram in lucem collocaret, multis Interrogationibus ait apud illum instandum circa singula, ut mentem clare exprimeret. „ Super qui„ busdam capitulis (*inquit*) quæ pro pleniori eruditio„ ne tua & Ecclesiæ Armenorum in fide recta & vera „ Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ, quæ favente „ Domino, qui eam fundavit, rexit, & regit, quique „ ut fides ejus non deficeret, exoravit, per veritatis „ viam

„ viam impolluto calle incessit & graditur, dudum per
„ Venerabilem fratrem nostrum Joannem Archiepisco-
„ pum Pisanum, tunc Electum Coronensem, & bonæ
„ memoriæ Antonium Episcopum Gajetanum, (quos
„ ad partes ipsas, commisso eis in illis plenæ Legatio-
„ nis officio, signanter propterea misimus) Responsio-
„ nes tuas & Ecclesiæ minoris Armeniæ per eundem
„ Joannem Archiepiscopum, (præfato Antonio Episco-
„ po in sui prosecutione itineris, jubente Deo, naturæ
„ debitum exsolvente) sub certis Capitulis comprehen-
„ sas, benigne recepimus: & super eis, cum Venera-
„ bilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Car-
„ dinalibus, & nonnullis Patriarchis, Archiepiscopis,
„ & Episcopis, aliisque Prælatis Ecclesiasticis, ac Sa-
„ cræ Theologiæ Magistris Decretorum Doctoribus ha-
„ bita deliberatione matura, non potuimus nec possumus
„ ex Responsionibus hujusmodi quoad plura elicere, quid
„ Tu, & eadem Ecclesia minoris Armeniæ sincere & pu-
„ re credatis, ac etiam teneatis. Et ideo, quia confes-
„ sio Sanctæ & Catholicæ fidei simplex esse debet & cla-
„ ra, sicut Salvator & Redemptor noster nos edocens:
„ Qui facit, inquit, veritatem, venit ad lucem, ut
„ manifestentur opera ejus, quia in Deo facta sunt: &
„ e contra, qui male agit, odit lucem, & non venit
„ ad lucem, ut fiant opera ejus manifesta; Nos de tua,
„ cæterorumque Armenorum, sicut aliorum quoque fi-
„ delium, quorum curam providentia nobis divina com-
„ misit, ex paternæ charitatis affectu, attente sollici-
„ ti, ut nostrum in hac parte debitum impleamus,
„ quibusdam ex ipsis tuis, & ejusdem Ecclesiæ minoris
„ Armeniæ Responsionibus, ex quarum aliquibus condi-
„ tionata, ex quibusdam vero diminuta vel imperfecta
„ & ex nonnullis forsitan scriptoris vel interpretis vi-
„ tio minus vera confessio manifeste colligitur, Inter-
„ rogationes providimus salubriter subnectendas, ut Tu,
„ & eadem Armeniæ Ecclesia non in tenebris, sed in
„ luce ad illas pure & simpliciter respondentes, effecti
„ lucis filii illius Luminis veri de Lumine, quod inde-
„ ficiens

„ ficiens perſeverans, omnem hominem venientem in
„ hunc mundum illuminat, in æternæ beatitudinis pa-
„ tria, felici viſione perfrui valeatis.

In idem argumentum idem Clemens VI. aliam Epiſtolam *dat. apud Villam novam Diœc. Avin.* XVIII. *Kal. Octob. anno* X. Chr: 1351. ſcripſit ad Conſtantinum Regem Armeniæ hoc titulo prænotatam: *Clemens* &c. *Conſtantino Regi Armeniæ illuſtri: Gratiam in præſenti, quæ perducat ad Gloriam in futuro. Qua Epiſtola eundem Regem* (1) *auxilia Occidentalium adverſus Infidelium incurſus poſtulantem, excitavit, ut Patriarcham ac Præſules Armenos ad orthodoxam fidem, quam Romana tenet Eccleſia, omneſque ambages amputandas: Apud eundem Catholicum* (inquit) *quod ſalutaribus monitis & exhortationibus noſtris obtemperans, non in corde & corde, ſed pure & ſimpliciter, & ſecundum exigentiam Catholicæ veritatis, eiſdem Interogationibus reſpondeat, & Reſponſiones ſuas juriſjurandi adjectione confirmet, pro divinæ majeſtatis reverentia, noſtræ interventionis obtentu, & tuæ inſuper conſideratione ſalutis, efficaciter & ſolerter inſiſtas: ut eo cum univerſo Armenorum Clero & Populo tuo, felici tempore hujuſmodi, reaggregatis unitati Eccleſiæ memoratæ, obſtruantur ora obloquentium plurium Catholicorum; etiam Armenorum, qui Catholicon ipſum & Armenos alios non in veritatis ſimplicitate, ſed fictione quadam, ipſius fidei negotium proſequi; imo (quod deteſtabilius eſt, & amplius deploramus) communicatam eis per Legatos ejuſdem Sedis ſalutarem doctrinam ipſius fidei, in contemptum & deriſum habuiſſe, firmiter aſſeverant.* Ad hæc vero ad optatum finem perducenda, Guillelmo Patriarchæ Jeroſolymitano, Philippo Archiepiſcopo Nicoſienſi, Odoni Paphenſi, & Leodegario Nimocienſi Epiſcopis, injunxit, ut ſapientem virum, Catholicæ fidei ſtudio inflammatum, ad Armenorum Catholicum abjecta omni mora tranſmitterent e Cypro: *qui* (inquit) (2) *ab illo cum ea, qua decet, gravitate prudenter & provide Reſponſiones exigat ad ejuſmodi Articulos,*

(1) Quæ inſcriptio indicat, illum Regem a Clemente VI. nondum fuiſſe pro Catholico agnitum. (2) Epiſt. dat. X. Kal. Octob. anno X. (Chr. 1351.)

los, non circumfusas velamine, sed lucidas & apertas, ut qualis sit ejus ad Catholicam fidem zelus, an scilicet obliquus, an rectus, documentis manifestioribus cognoscamus.

Quum autem antedicti Patriarcha, Archiepiscopus, & Episcopi idoneum Interpretem ad Catholicum Armenorum transmittendum non reperisse se, ad Clementem VI. Papam scripsissent, quumque idem Clemens VI. die 6. Decembris anni 1352. vitam cum morte commutasset, Innocentius VI. ejusdem successor, *data* (1) *Kal. Octob. anno* 1. (Christi 1353.) *Epistola*, *Narsetem Archiepiscopum Manasguerdensem*, utriusque linguæ Latinæ & Armenicæ peritum, ad Patriarcham Armenorum proficisci jussit. „ Dudum (*inquit*) sicut fraternitati tuæ forsan „ innotuit, fel. rec. Clemens Papa VI. Prædecessor no„ster, ad bonum Christianæ fidei, & animarum salu„tem intentis studiis elaborans, Consolatori dicto Ca„tholicon Armenorum quosdam Articulos pro pleniori „ corroboratione & confirmatione sui, & sibi obedien„tium Armenorum in fide Catholica, quam Sancta „ Romana Mater Ecclesia tenet, docet, & prædicat, „ per Venerabilem fratrem nostrum Joannem Archiepi„scopum Pisanum, tunc Electum Coronensem, & bo. „ mem. Antonium Episcopum (2) Satacensem, tunc Le„gatos Sedis Apostolicæ, destinavit. Deinde, quia ipse „ Consolator ad ipsos Articulos minus sufficienter, & mi„nus clare, minusque plene responderat, idem Præde„cessor cupiens ipsos a ruina æternæ damnationis eri„pere, & ad viam reducere veritatis, præfatum Con„solatorem duxit suis literis exhortandum, ut ad ipsos „ Articulos clare, & non sub involucro aut duplicita„tis pallio responderet: & nihilominus venerabilibus „ fratribus nostris Guillelmo Patriarchæ Jerosolymita„no, & Philippo Archiepiscopo Nicosiensi, ac Odoni „ Paphensi, & Leodegario Nimosiensi Episcopis dedit

(1) Inscriptio. Innocentius &c. Venerabili Fratri Narses Archiepiscopo Manasguerdensi.

(2) *Scutarensem*: imo, Gaietanum, ut supra.

" per suas literas in mandatis, ut ipsi vel duo ex eis,
" aliquem vel aliquos probos viros zelum Dei habentes,
" quos ad applicationem tanti negotii sufficientes, &
" idoneos esse cognoscerent, cum fideli interprete ad
" eundem Consolatorem mittere festinarent, quodque
" ab eo cum gravitate decenti prudenter & provide hu-
" jusmodi Responsiones exigerent lucidas & apertas: di-
" ctique Patriarcha, Archiepiscopus, & Paphensis Epi-
" scopus, sicut per literas eorundem Archiepiscopi, &
" Episcopi Paphensis eidem Prædecessori directas nobis
" innotuit, quum ipsi inibi tunc Interpretem idoneum,
" quem ad dictum Consolatorem mitterent, invenire
" non possent, præfatas literas eidem Consolatori per
" fidelem nuncium destinarunt, ipsum Consolatorem ad
" præmissa per eorum literas seriosius exhortando; quod-
" que postmodum non solum ipse Consolator, sed caris-
" simus in Christo filius noster Constantinus Rex Arme-
" norum illustris, ipsis per eorum literas responde-
" runt, quod ipsi cum eorum subditis parati erant man-
" datis Apostolicis firmiter obedire, & omnia, quæ
" ipsis per dictum Prædecessorem injuncta fuerant, ple-
" narie & effectualiter adimplere. Sed quia ipsi sufficien-
" tem tunc Interpretem non habebant, qui eis dicta-
" rum literarum Prædecessoris ejusdem intellectum ple-
" narie declarare, non poterant Responsiones ad præfa-
" tos Articulos requisitas perfecte facere, prout inten-
" debant efficere, quamprimum hujusmodi eis Interpres
" adesset. Propter quod postmodum Archiepiscopus, &
" Episcopus supradicti eidem Prædecessori rescripserunt,
" quod ipsi adhuc in Regno Cypri sufficientem Inter-
" pretem, qui propter præmissa ad partes illas accede-
" ret, nequiverant, nec poterant invenire, nisi Te dum-
" taxat, qui Armenicam originariam tibi linguam per-
" fecte noveras, & Latinam, & ob ipsius fidei zelum,
" & Apostolicæ Sedis reverentiam ad partes illas pro
" executione dicti negotii, quatenus de beneplacito di-
" ctæ Sedis procederet, Te sponte obtuleras accessu-
" rum. Nos itaque devotionem & oblationem tuas hu-
" jus-

„ jusmodi, dignis in Domino laudibus prosequentes, „ Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, „ quatenus ab eisdem Archiepiscopo, & Paphensi Episcopo præmissorum Articulorum, & Literarum ipsius „ Prædecessoris copia, & super agendis circa præfatum „ negotium plena informatione receptis, cum illis, quos „ dicti Archiepiscopus & Episcopus ad hoc duxerint deputandos, in illius nomine, cujus res agitur, spontaneum Tibi ac Deo & Nobis acceptum onus hujusmodi lætanter assumens, & ad ipsos Consolatorem & „ Regem Te personaliter conferens, negotium petitæ „ per nos explicationis, & exigendarum ab ipso Consolatore Responsionum hujusmodi, illo Tibi inspirante ac præstante sermonem, qui repente Apostolos linguarum varietatem edocuit, juxta informationem ab „ eisdem Archiepiscopo & Episcopo, ut præmittitur, „ exhibendam, ad laudem divini nominis, exaltationem Catholicæ fidei, animarumque profectum, fideliter & sollicite prosequaris; ita quod inde adeo perennis vitæ, & a Nobis, & Apostolica Sede uberioris favoris & gratiæ præmia merearis. Datum Avin. „ Kal. Octobris Anno I.

Ex hac Innocentii VI. Papæ Epistola constat, Mequitarum seu Consolatorem Patriarcham & Constantinum Regem Armenorum ad annum Chr. 1353. adhuc fuisse superstites. Quid vero Narses Manasguerdensis Episcopus Armenus, ab eodem Innocentio Papa ad ipsos Patriarcham & Regem missus egerit, & quænam fuerint ejusdem Patriarchæ ad Articulos sibi missos Responsiones, non liquet. Miror tamen, Narsetem hunc ab Innocentio Papa ad Armenos fuisse ablegatum, quum Armenorum Patriarcha Consolator, Archiepiscopi, & Episcopi, in Responsionibus ad Articulos sibi a Benedicto XII. missos, eundem Narsetem in Synodo tanquam impostorem traduxerint. Sic enim respondent ad Articulum LXXV. apud Martene Tom. VII. Veter. Scriptorum pag. 389. *Sciendum est, quod Nerses Episcopus de Or-*

vi (1), *qui nunc in Romana Curia false se nominat Archiepiscopum Manasgardensem, scripserat supradictum errorem* (2) *a populo Hangæ, quod est Castrum magnum, & a populo de Villa Sahap, quæ sunt loca notabilia, Domino Jacobo, qui tunc temporis erat Catholicon Armenorum, & dictus Dominus Jacobus misit Legatos Dominum Basilium de Malmescia, qui est Episcopus Iconiensis, & Basilium publicum Notarium, ad inquirendum & certificandum, utrum ita esset, sicut scripserat supradictus Episcopus ex parte populi dictorum Castrorum, vel non. Sed dictus publicus Notarius Catholico Armenorum cum juramento testimonium perhibuit coram Domino Mekzivitar* (Mequitar) *qui nunc est Catholicon Armenorum, & coram Domino Sergio, & Domino Basilio, & Domino Gregorio, & fratre Daniele, & coram multis aliis, quod de mandato Catholicon ivimus ad Hanga Castrum solemne, & ibi congregavimus quinque Episcopos, & duodecim Sacerdotes, & plures Burgenses ejusdem loci, & Magistrum Matzincar, & Diracoë Sacerdotem, qui Missam eelebraverat, propter quem, & de quo supradictus Nerses Episcopus ex parte dictorum Castrorum scripserat errorem Domino Jacobo, & ibi Nerses Episcopus inventus est mendax; quia populus ille, ad instantiam cujus scripserat errorem, testimonium dederunt unanimiter, & una voce jurando, quod de dicto Matzinchar & Diracoë Sacerdote talia verba, quæ scripsit Nerses Episcopus de ipsis, non audierunt, nec de voluntate, & licentia eorum scripsit literam. Tunc rumor magnus fuit, quod si non fuissemus ibi, plures lapidassent eum, & nepotem suum, qui literam falsam scripserat de voluntate sui avunculi; & illud fuit principium & causa persecutionis suæ a Diœcesi, & fugiens venit ad nos. Nos vero propter hanc falsitatem, & alias multas injustitias, quas fecit apud nos, & in aliis locis, non*

(1) Alibi, *Orni*. leg. *Ormi*. Vide Tom. 4. Bibl. Orient. pag. 787.
(2) Quod nempe Eucharistia secreto debeat in Liturgia teneri, & non populo ostendi.

non potuimus eum recipere in amorem. Quare fugiens de nobis, venit ad Vos, & hæc multoties imposuit nobis. Alia accusationum capita in eundem Narsetem congerunt. *De duobus Archiepiscopis* (inquiunt in Responsione ad Art. LXXVIII. pag. 391.) *quos dixit, unus vocatur Simeon Bech, & alter Nerses Balo. De Simeone Bech, verum est, quod Theotopolis* (1) *Archiepiscopus erat. De Nerses vero, qui nunc est in Curia Romana, qui Archiepiscopum Manasgardensem se nominat, falsum est; quia ipse erat Episcopus Urni, & non de Manasgarde. Et isti ad dubitationes suas erroneas alios inducebant, rebaptizando, & in Missis eorum dubium introducendo, dicentes, quod Missæ Armenorum non veraciter sunt Missæ. Ideo Dominus Jacobus, qui tunc Catholicon erat, vocavit eos, ut non facerent a seipsis novam deceptionem, nec perderent homines in Civitate, & in habitatione sua; & non dixit eis, quod Missam Latinam non celebrarent, quoniam usque in hodiernum diem qui vult, & scit, facit.* Et post pauca. *Quia supradicti duo Episcopi non solum baptizabant qui dubitaret, an esset baptizatus, & dubium esset conveniens; sed etiam totam gentem in erroneam opinionem inducebant, & rebaptizabant, sicut in LXXXVII. articulo etiam diximus: ideo monebat eos Dominus Jacobus, quod non facerent; & non dicebat, quod Baptismus Armenorum melior esset, quam Baptismus Romanæ Ecclesiæ, quoniam nos Baptismum Romanæ Ecclesiæ & Armenæ Ecclesiæ unum scimus, secundum Apostolum, & unus Baptismus non est uno bonus & melior.* Ideo Nerses inter alios Articulos, num, 78. pag. 392. accusavit Armenorum Catholicum, quod quum multa sibi & Episcopo Simeoni inhibuisset, quæ ibi enumerantur. *Quia* (inquit) *noluerunt ei obedire in prædictis, gravem persecutionem contra eos fecit, propter quod unus ex eis post annum cum dimidio ivit ad insulam Cypri, & ibi audivit, quod dictus Catholicon, consentiente Rege Armeniæ, illos, quos illi & aliqui Latini baptizaverant, & ordinaverant, sub conditione in forma Ecclesiæ Romanæ, capi*

(1) Theodosiopolis.

capi fecit, & aliquos Sacerdotes ex eis degradavit, & in duro carcere Regis posuit; alios vero incarceravit, & adhuc sunt incarcerati, & eorum bona & possessiones fuerunt confiscatæ, & aliis venditæ. Quid ad hæc Armenorum Synodus? *Causa* (inquiunt) *persecutionis eorum non est hæc, quam dicunt. Quæ autem sit, in Articulo 77. manifestavimus* (1) *in parte, sicut & vos audietis, per literas multorum, qui sciunt facta Nerses*.

Hæc igitur omnia quum Innocentio VI. Papæ probe essent nota, aut nota esse debuissent, iterum miror, cur eundem Nersetem ad Armenos destinarit, quibus, tamquam suæ nationis calumniator, invisus esset. Caussam proinde non aliam fuisse puto, cur nullam fortasse Responsionem ad Pontificia scripta transmiserit Consolator Patriarcha Armenorum, nisi eo quod Nersetem viderit ad Ciliciam, unde fugerat, tam honorificis Papæ literis ornatum, redeuntem.

Verum quidquid sit de Nersete, ut ad id, unde deflexit oratio, redeam, hæc est Mechitari seu Consolatoris Patriarchæ, & Armenorum Synodi, ad Articulum XLV. de animalium sacrificio Responsio: illam enim, etsi supra recitavi, hic repetere juverit: „ Secun-
„ dum

(1) Hæc est Armenorum Responsio ad Articulum LXXVII. Sciendum est, quod supradicti Ecclesiastici, & Saeculares, non propter hoc fuerunt dehonestati, quia cum forma Latinæ Ecclesiæ baptizati fuerant, sed quia præsumserant tam in occulto, quam in secreto (*in publico*) errorem introducere in Ecclesia: quia ipsi reordinati fuerant, rebaptizati, & multos alios trahentes ad se, rebaptizaverunt, & reordinaverunt: aliquos rebaptizabant in balneis, alios in domibus, alios in transitu aquarum, & in occultis locis, & silvis reordinabant. Et causas dedicationis has dicebant, primo, quia quando primo baptizati fuistis, non eratis capaces rationis, & nescitis, utrum Sacerdos dixit: Baptizo te in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti: *Et* forte non dixit propter ebrietatem: ideo necesse est vobis baptizari in ætate perfecta, ut certitudinaliter a Sacerdote formam Baptismi recipiatis, & auferatis dubium de cordibus vestris. Secundo, quia peccata, quæ fecistis, si contingat, quod cum poenitentia non deleveritis, nunc per baptismum sanctificativum, & sine poenis Purgatorii potestis transire ad regnum Coelorum. Et, si verum esset, quod baptizati non essent: rebaptizari & reordinari necesse fuisset; tunc oportebat notificare Prælatis Ecclesiæ, & medelam sanitatis quærere, & non occulte & in secreto novum errorem & malum in Ecclesiam Dei introducere, & bonas conscientias Christianorum corrumpere. Ideo correxerunt eos in modico tempore Ecclesia & Rex per suum forum judiciale, & iterum misericordiam fecerunt, dando eis res suas, et constituendo eos ad executionem Ordinum. Cætera vide apud Martene Tom. VII. pag. 391. et seq.

„ dum (1) consuetudinem Armenorum, quando aliquis
„ moritur, parentes mortui, si possunt & volunt, faciunt
„ benedicere sal, & benedictum sal dant animalibus, &
„ animalia illa occidunt, & Sacerdotibus & pauperibus
„ dant comedere, & vigilias & orationes faciunt fieri
„ pro anima mortui, ut Deus aspiciens ad orationes
„ & eleemosynas vivorum, mortuis misericordiam con-
„ cedat: Et hanc consuetudinem Ecclesia Armenorum
„ recepit a S.Gregorio, quia invenitur in historiis, quod
„ Sacerdotes idolorum, qui per Sanctum Gregorium cre-
„ diderunt in Christo, dicebant B. Gregorio, quod in
„ gentilitate nostra de nefandis immolationibus habeba-
„ mus cibaria pro nobis & filiis nostris; de cætero au-
„ tem mandet, & ostendat Dominatio vestra causam vitæ
„ nostræ, per quam vivemus. Tunc ipse ordinavit eis
„ dare decimas de omnibus, & mandavit populo, ut
„ pro sacrificiis, quæ idolis ante offerebant, illam darent
„ Deo oblationem de mundis animalibus: benedicerent
„ sal, & darent animalibus; sed in festivitatibus, & do-
„ minicalibus, & in magnis festivitatibus Sanctorum,
„ ad memoriam mortuorum in Christo, & eleemosy-
„ nam ad cibum pauperum pro mortuis, & de immola-
„ tionibus illis ordinaverunt dare fidelibus Sacerdotibus
„ partem. Tamen illud, quod dicunt, quod ducunt ani-
„ malia in fero, & animalia secundum legem Moysi, &
„ quod cooperiunt cum fericis ad portam Ecclesiæ, &
„ quod inunguntur cum oleo, & cætera quæ sequuntur,
„ non sunt vera, quoniam nec vidimus, nec audivimus:
„ Et, si in aliquibus locis inveniantur ab aliquibus sim-
„ plicibus, quos nescimus, talia facientes, de numero
„ bestiarum reputamus; Et, si quandoque in aliquo tem-
„ pore fuerunt talia in aliquibus locis, & particulariter,
„ nunc autem nullo modo inveniuntur „. Ad illud, quod
licet remissio peccatorum principaliter fiat per Sangui-
nem Christi, tamen non fieret dicta remissio peccatorum,
nisi sanguis animalium prædictorum effunderetur in pec-
catorum vivorum & mortuorum remissionem; Respon-
dent

(1) Apud Martene Tom. VII. pag. 362.

dent Armeni (1) in Synodo : „ Quia lex Moysi dicit, „ quod remissio peccatorum fit per effusionem sanguinis animalium brutorum mundorum , & sine eo non „ fit peccatorum remissio , vivorum & mortuorum . Et „ Dominus dicit in Evangelio , quod ipse non venit solvere legem , sed adimplere , quam solvisset , si peccatorum remissio fieret sine effusione sanguinis animalium ; tamen secundum novam legem credit , & habet Ecclesia Armenorum , quod per Corpus & Sanguinem Domini fit : quæ celebrantur ad propitiationem „ & remissionem peccatorum vivorum & mortuorum : „ & non per effusionem sanguinis animalium , secundum „ Legem antiquam ; tamen immolationem animalium „ quare , & qua intentione facit Ecclesia Armenorum , „ superius manifestavimus , & non est necesse replicare. „ Et quia nos secundum Legem Moysi non facimus , „ per hoc patet , quoniam pro vivis faciebant , & nos „ pro mortuis ; licet quandoque pro vivis etiam , & altera ceremonialia secundum legem antiquam nos non „ facimus . Quomodo ergo eleemosyna nostra similis est „ immolationibus eorum ? Ergo falsum est , quod dicunt „ hi de nobis . Item , quod quando veritas venit , quod „ est Sacrificium Christi , Sacrificia antiquæ legis completa fuerunt , quæ figuræ erant veritatis ; ideo non solum quod nos (2) facimus secundum legem antiquam , „ sed abhorremus valde , si aliquis de Christianis inveniatur Judaice vivere „ . Ad id vero , quod de hoc etiam Armenos reprehendit Damascenus , dicens , quod dicti Armeni accipientes de erroribus Judæorum , Saracenorum , Paganorum , & aliorum errantium , de illis erroribus suam fidem composuerunt : Respondent : „ Fidem & confessionem Ecclesiæ Armenorum mittimus „ Sanctitati Vestræ , & inde videre poteritis , utrum de „ Christi Evangelio est , an de errore Judæorum , Saracenorum , & Paganorum . Et mentiuntur , quoniam „ inde manifestabitur falsitas eorum , qui injuste con„ tem-

(1) Apud Martene Tom. VII. pag. 363.
(2) Non facimus.

„ temnunt Armenos. De Damafceno vero non habe-
„ mus talia dicta de nobis, ficut fuperius fuit dictum:
„ tamen, fi dixerit, ut homo Græcus, tunc non folum
„ nobis dixit, fed vobis plus quam nobis, quod incon-
„ veniens putavimus fcribere „. Concludunt, ad illud,
quod ultimo loco eis objiciebatur, „ de dicta fcilicet
„ fide in Concilio Manafgardenfi librum compofuerunt,
„ qui apud eos vocatur Radix fidei: dicentes: „ Nos
„ Concilium Manafgardenfe unacum omnibus determi-
„ nationibus fuis reputamus contra veritatem, & a ma-
„ gno tempore citra non recipimus eum, ficut fuperius
„ multoties manifeftavimus „. Et clarius in Refponfio-
ne ad Articulum 3. pag. 317. „ Sciendum eft, quod
„ Concilium Manafgardenfe factum fuit contra Armenos
„ illos, qui a tempore Efdras Catholicon ufque tunc re-
„ ceperant Concilium Chalcedonenfe, & determinatio-
„ nes ejus, ut manifefte invenimus, & caufam condem-
„ nationis Chalcedonenfis Concilii pofuimus in fecun-
„ do Articulo, quod Armeni illi, qui reprobaverunt
„ Concilium Chalcedonenfe, propter hoc fuit, quod di-
„ vulgatum fuit, quod (1) recepit hærefes Neftorii.
„ Sed poft hoc fuerunt duo Concilia facta, unum in Si-
„ fio per Dominum Gregorium, fecundum in Adana per
„ Dominum Conftantinum, contra dictum Concilium Ma-
„ nafgardenfe, quæ fine comparatione erant folemnio-
„ ra, quam Manafgardenfe Concilium: & in Conciliis
„ Sifi, & Adanæ determinatum fuit contra determina-
„ tiones Manafgardenfis Concilii; fcilicet, recipere Con-
„ cilium Chalcedonenfe, & determinata in eo per San-
„ ctos Patres, qui propter duas naturas, voluntates, &
„ operationes Chrifti Domini determinaverunt taliter,
„ ficut fuerunt in Chrifto propter perfectam humanita-
„ tem & divinitatem ejus, ficut nunc habet univerfalis
„ Ecclefia Romana, & nos eadem confirmando facimus
„ & docemus, ficut prænominati Prædeceffores noftri
„ determinaverunt „.

(1) Pura puta hæreticorum impoftura. Nam in Concilio Chalcedonenfi adeo non recepta fuit hærefis Neftorii, ut potius illa difertim et explicite fuit damnata.

Ex his tamen Armenorum Responsionibus colligitur quidem, illos in iis quæ ad orthodoxam fidem spectant, ab omni hæreseos suspicione fuisse immunes: clare enim & distincte profitentur, Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere, in Christo Domino unam esse personam, & duas naturas, voluntates & operationes: Concilium Chalcedonense amplectuntur: septem Ecclesiæ Sacramenta admittunt: Aquam Vino miscent in Calice. Et alia omnia suscipiunt, quæ illis Sancta Romana Ecclesia præscripsit; non tamen a se amoliuntur antiquam illam Græcorum criminationem de Animalium Sacrificio. Excusant illud quidem, propter antiquam (quam referunt) consuetudinem sibi a S. Gregorio Illuminatore traditam, *ut pro Sacrificiis, quæ idolis ante offerebant, illam darent Deo oblationem de mundis animalibus, benedicerent sal, & darent animalibus, idque in festivitatibus Dominicis, & in solemitatibus Sanctorum, ad memoriam mortuorum in Christo, & eleemosynam ad cibum pauperum pro mortuis*. Pernegant autem, quod *de sero ducuntur animalia ad portam Ecclesiæ, cooperta pannis sericis, ad quem locum exeunt Clerici dictæ Ecclesiæ & Sacerdos benedicit sal & de sale benedicto ponit in ore animalium, & postea cum oleo de lino inungit dicta animalia, & deinde effuso ipsorum sanguine occiduntur, & de carnibus dictorum animalium sequenti nocte comedunt Clerici cum sale; Sacerdos autem, qui in crastinum debet celebrare Missam pro mortuo, non comedit de carnibus dictorum animalium usque post Missam*. Hæc omnia pernegant, dicentes, *quoniam nec vidimus, nec audivimus*. Nimirum in Cilicia & in Minori Armenia, ubi Catholicam fidem Patriarcha, Rex, & populus Armenorum profitebantur, hæc animalium Sacrificia tam pro mortuis, quam pro vivis, ita uti in objectione peragi dicuntur, jam cessaverant; At in Majori Armenia, ubi duo Patriarchæ hæretici, Eccimiazensis, & Achtamarensis, per id tempus Armenis præerant, & in aliquibus locis apud simpliciores Armeniæ minoris homines, antiquus sacrificii animalium usus adhuc

adhuc retinebatur: id quod fatentur in Responsione ad Art. 45. dicentes: *Si in aliquibus locis inveniatur ab aliquibus simplicibus, quos nescimus, talia facientes, de numero bestiarum reputamus: &, si quandoque in aliquo tempore fuerunt talia in aliquibus locis, & particulariter, nunc autem nullo modo inveniuntur*. Et in Responsione ad Art. LXXX. p. 394. *Et licet quandoque in festivitatibus Sanctorum, aliqui ob solemnitatem festi præmittunt eleemosynam dare pauperibus, tunc occidunt animalia, & cibant famelicos, non tamen secundum supradictum modum*.

Tres autem tunc temporis fuisse Armenorum Catholicos seu Patriarchas, ritibus quidem & lingua, non tamen orthodoxa fide consentientes, patet ex Responsione ad Art. 37. pag. 337. ubi, quum objicitur: *Quod a tempore Heraclii Imperatoris citra, fuerunt tres Catholici in Armenia, tenentes diversam fidem, & diversum Baptismum ad invicem*: Respondet Mequitarus Patriarcha: *Sciendum est, quod in hoc Articulo ponunt multa inaudita, & insitas pessimas falsitates super Armenos: quia licet Catholicus* (1) de Alnanc, *quod interpretatur* Columbarum, *&* Jurgeanorum, *quandoque obediebant Catholico Armenorum* (Minoris Armeniæ:) *tamen tres Catholici, ut dicitur in Articulo, Armeni non tenuerunt, nec post Heraclium, nec ante diversas fides, nec diversum Baptisma tenuerunt ad invicem. Catholicus de Alnanc est antiquus, & constitutus a Beato Gregorio; sed Archamarensis* (Achtamarensis) *Archiepiscopus est, & quandoque obediebat Catholico, & de parvo tempore citra, nomen Catholici imposuit sibi; quare excommunicatus fuit a Catholico Armenorum, & adhuc est in excommunicatione: tamen Baptismus, fides, & officium, & ordinationes Ecclesiæ, & doctrina eorum trium per unum modum fuerunt usque ad illud tempus, quod Catholicus, qui est in Armenia Minori, & Rex simul cum obedientibus eis, uniti fuerunt cum Ecclesia Romana. Nunc autem ista est differen-*

(1) Alibi primus dicitur, Catholicus Armeniæ Maioris, de Alvan seu Columbarum, & Eccimiazin. Secundùs, Catholicus de Achtamar, et corrupte, de Archamar, seu Georgianorum. Vide Art. 37.

ferentia inter nos, & eos, quia nos ponimus Aquam in Sacrificio, & facimus festum Nativitatis xxv. *Decembris, & dicimus in Christo duas naturas unitas in una Persona Filii Dei, & recipimus Sanctam Synodum Chalcedonensem, & confitemur Purgatorium, & cognoscimus Primatum Ecclesiæ Romanæ: sed ipsi secundum antiquam consuetudinem non ponunt Aquam in Sacrificio, & faciunt festum Nativitatis & Epiphaniæ Sexta Januarii, & dicunt Christum perfectum Deum & perfectum hominem, tamen unam naturam, propter ineffabilem unionem, secundum verbum Cyrilli, qui dicit, quod una est natura Verbi Incarnati, & adhuc non recipiunt Concilium Chalcedonense, neque nomen Purgatorii audiverunt, nisi de quinquaginta annis citra, & non cognoscunt Primatum Ecclesiæ Romanæ*. Benedictus Papa XII. Epistola, quam anno 1341. Armenorum Catholico Sisensi dedit, quamque Raynaldus ad eund. ann. num. 46. recitat, narratis capitibus, quibus Armeni ab Ecclesia Romana discrepare videbantur, tres apud illos *Catholici* titulum sibi vindicare ait: *Catholicon Columbarum, Catholicon medium*, & *Catholicon tertium*. Et num. 88. *Catholicon Columbarum, Catholicon Minoris Armeniæ, & Catholicon de Hactamar*. Quemlibet autem eorum dicere, *quod ipse tenet veram fidem, & verum Baptisma habet, & quod alii ab eo Catholici non habent veram fidem, nec verum Baptisma*.

Atqui schisma illud triplex (uti recte observat Quienus Tom. I. Orient. Christ. pag. 1407.) non a tempore Heraclii Imperatoris, ut tunc ajebant, sed recens apud Armenos invectum fuisse, duo suadent, nempe quod, ut ex prædictis constat, majoris Armeniæ Ecclesia, Constantini Catholici II. qui in Cilicia sedebat (quique Jacobi, & Mechitari decessor fuerat) jurisdictioni hactenus manserat obnoxia, quodque Greg. VIII. Catholicus Epistola ad Haytonem Leonis Regis parentem significabat, ipsius nutu civitatem Aghtamarensem eo honore auctam esse, ut Episcopus in ea sederet: *Curasti jampridem*, inquit, *ut benediceretur civitas Aghtamarensis*. Qui *Catholicus Columbarum* in illa Bene-

Benedicti Epistola dicitur, is in Monasterio *Eschmiazin* sedebat: at pro genuino Patriarcha ille censitus non fuit, quandiu apud Sisenses illa, de qua sæpe dixi, *theca brachii S. Gregorii* servata est, quæ in Catholici consecratione adhibebatur: quippe qua ceremonia significaretur illum legitimum esse S. Gregorii Illuminatoris Successorem. Hæc autem apud Sisenses habebatur adhuc tempore Benedicti Papæ XII. ut constat ex errorum ipsorum Articulo 98. quos Romanus ille Pontifex suis literis intexuit: *Item Catholicon Minoris Armeniæ apud se ulnam brachii & manum adhuc integram B. Gregorii, qui fuit Catholicon, & fuit ordinatus more Ecclesiæ Græcæ: quam ulnam & manum dictus Catholicon ponit super caput & manum illorum, quos ordinat in Episcopos: & dicit, quod si dictæ manus impositio & brachii non fieret super caput & manus illorum, qui per eum ordinantur in Episcopos, non essent ordinati in Episcopos: quia impositio dicti brachii & manus faciunt consecrationes Episcoporum: Et propter hoc ipse nullos Episcopos ut Episcopos recipit, qui ordinati fuerint per alios Catholicos Armeniæ Majoris, quia nullus alius Catholicus, nisi ipse, dictum brachium & manum Gregorii habeat.* Quod quum sic fieri soleret apud Armenos, idcirco Catholici Sisenses reliquis prælati semper fuere, ad Cyriacumusque Catholicum, qui Thecam illam (circa ann. Chr. 1441.) in Armeniam majorem retulit, inque Monasterio Eschmiazin deposuit.

Hactenus Quienus, verissime quidem quoad tres illos Armenorum Catholicos: non tamen quoad assertam Episcoporum ordinationem, quæ a Catholico Minoris Armeniæ invalida censeretur, nisi theca illa brachii manusque Sancti Gregorii, capitibus ordinandorum imponeretur. Nam ad Articulum illum 98. sic respondet Mechitarus Sisensis Catholicus apud Martene Tom. VII. pag. 405. *Hoc omnino falsum est: quia quamvis dexteram B. Gregorii Sancti Patris nostri, qui fuit Successor B. Thadæi Apostoli, & convertit gentem Armenorum, cum multis passionibus & miraculis de idololatria ad cultum Dei, ponamus super capita Episcoporum*

porum signando, tamen non dicimus, nec habemus, prout habetur in articulo, quod impositio dicti brachii seu ulnæ faciant consecrationem Episcoporum, quoniam patet manifeste falsum: quia secundum hoc sequeretur, quod nullus de aliis Episcopis esset Episcopus; quos omnes tamen reputamus Episcopos, & illos etiam, qui de Catholico Alnanensi, & Archiepiscopo Akathamarensi consecrati sunt, quamvis cum ipsis propter eorum rebellionem non participamus; tamen quando uniunt se Ecclesiæ nostræ, recipimus eos ut Episcopos. Propter eorum rebellionem, inquit: nimirum, & hæresi infecti erant, quemadmodum supra ex Responsione ad Art. 37. ostensum est: & sibi, tamquam legitimo & orthodoxo Armenorum Patriarchæ non obtemperabant, uti in Responsione ad Art. 94. de iis, qui a se, & a Catholico Majoris Armeniæ ordinantur, ita loquitur: *In Majori Armenia Episcopi, qui a nobis consecrantur, ita sicut manifestavimus in 92. articulo: qui vero non obediunt nobis, eos non bene cognoscimus veraciter*: Et infra: *De Minori Armenia, ponimus Evangelium super spatulas, & ungimus pollicem, & caput, sicut in 65. Articulo expressimus: & astant multi Episcopi in consecratione. In majori vero Armenia, qui non obediunt nobis, quomodo faciunt, nos nescimus veritatem.* Hoc unum scire se fatetur, tam Catholicos illos majoris Armeniæ & Aghtamaræ, quam obedientes eis, ab Ecclesiæ Catholicæ communione abhorrere: in Minori insuper Armenia, temporibus Haytoni Regis & Constantini Patriarchæ, Vartanum quendam hæreticum extitisse, qui Armenos ab ineunda cum Romana Ecclesia unione avertere studuisset: sic enim habet Articulus cxv.
„ Item, quia quum Rex Armenorum vocatus Ethon
„ (*Hayton*) ut Armeni unirentur Ecclesiæ Romanæ,
„ congregasset omnes Episcopos Armeniæ & Magistros,
„ & Catholicon, ut disputarent cum Legato misso ei per
„ Romanam Ecclesiam, & finita dicta disputatione, co-
„ gnovisset dictus Rex, quod veritatem tenebat Sancta
„ Romana Ecclesia, & quod Armeni errantes erant a
„ veritate; ex tunc Reges minoris Armeniæ tenent fi-
„ dem

„ dem Romanæ Ecclesiæ ; sed Episcopi , Magistri , & „ Principes Armenorum non fuerunt de hoc contenti ; „ & post recessum dicti Legati , quidam Magister , di- „ ctus Varcham (*Vartan*) de Nigromonte , composuit „ unum librum , vocatum de Risma , contra Papam „ & suum Legatum , & contra Ecclesiam Romanam , in „ quo vocant Papam Romanum , superbum Pharaonem „ cum suis subditis in mare hæresum submersos , & Le- „ gatum ejus esse ambasiatorem Pharaonis fuisse rever- „ sum cum maxima verecundia . Et dixit , quod Eccle- „ sia Romana erat multum decepta , quia Nativitatem „ & Aquam a maledicto Archomano (*Artemone*) rece- „ pit , & multas alias blasphemias scripsit ; qui magnus „ est , & multi Magistri Armenorum , & Episcopi , & „ Presbyteri dictum librum habent , & honorant , tam- „ quam Canones Apostolorum „ . Responsio Mekitari Patriarchæ pag. 412. „ Invenimus , quod in diebus ma- „ gni Ethimy (*Haitoni*) Regis , venit Legatus a Papa „ pro Unione , & Rex recepit eum caritative , & di- „ ctum Legatum misit in Hormengela ad Dominum Con- „ stantinum Catholicon ; & ipse etiam cum caritate & „ honore recepit eum : & in tempore illo erat in Ni- „ groponte (*Nigromonte*) supradictus Varchan (*Var- „ tan*) vir ignotus , & amator rixæ , qui scripsit aliqua „ verba insipida , erronea , & inordinata contra verba „ Legati , quæ non placuerunt Regi , nec Catholico , & „ sunt valde reprehensibilia apud nos , & ubicumque „ inveniuntur , igne comburuntur „ . Constantinus Arme- niæ minoris Catholicus , de quo Mechitarus loquitur , duo Concilia habuit , in quibus fidem Catholicam , pro- fligatis Armenorum erroribus , in Cilicia restituit : al- terum Sisense anno Chr. 1307. quum adhuc post Grego- rii Patriarchæ obitum Sedes Catholici vacaret , idem- que ipse adhuc Cæsariensis Archiepiscopus esset : alte- rum Adanense anno 1316. nono Patriarchatus sui anno. Utriusque Concilii Acta vide apud Galanum Tom. 1. Con- ciliat: Eccl. Armenæ cum Romana p. 455. & 472. Quum autem in Responsione ad art. 115. dicatur , a Romano Pon-

Pontifice missus ad Regem Armenorum Legatus. & post recessum dicti Legati, Vartanum hæreticum adversus confectam Ecclesiæ Armenæ cum Romana Unionem insurrexisse, argumento est, id factum, postquam Sisense Concilium absolutum fuerat. *Exiguo enim post Sisense Concilium tempore* (uti scribit Galanus Tom. 2. pag. 169.) *Hæretici Armeniorum nonnulli Decretum illius calumniantes, populum ab inita cum Romana Ecclesia Unione avertere tumultuose studebant. Quare Oscinus Armeniæ Rex, & Constantinus Patriarcha, Joanne XXII. Romano Pontifice adhortante, aliam Episcoporum ac Magistrorum Synodum, ad Sisensis Concilii Decretum denuo examinandum, in urbem Adanam convocarunt.* In eorum hæreticorum numero, qui Sisense Concilium impugnarunt, *Vartanus* fuit de *Nigro monte*, qui Ciliciam a Syria dividit. *Hic vero hæreticus* (Galano teste) *duo scripsit opuscula: Alterum, cujus titulus*, Monita ad Armenios: *alterum*, Refutatio Epistolæ Romani Pontificis, ad Haytonem Armeniæ Regem: *in quibus Romanæ Ecclesiæ principatum, dogmata, & ritus oppugnat: Aquæ commistionem a sacro Calice rejicit: & improbat Purgatorium: & gloriam Sanctorum, ac pœnas impiorum ante diem Judicii: & Processionem Spiritus Sancti a Patre & Filio: Monophysitarum etiam & Aphthartodocitarum hæreses obstinate defendit: docet præterea, omnes humanas animas simul a principio conditas esse: & Christum ad Inferos descendentem, damnatorum etiam animas liberasse; ipsumque Inferni locum destruxisse. De Ecclesiæ denique Sacramentis errores profert in omni memoria inauditos.* Ex quibus apparet, non modo in majori Armenia, sed etiam in minori, complures extitisse Armenos hæreticos, qui initam a Rege, Catholico, & Episcopis in Synodo Sisensi & Adanensi cum S.R.E. concordiam impugnabant. Illis proinde adscribendus videtur is sacrificandi pecoris Ritus, qui apud Galanum Tom. 3. pag. 412. inscribitur: *Canon pro oblatis Domino pecoribus benedicendis.*

Mechitarus quidem Patriarcha, qui in Responsionibus

nibus quoad Episcoporum ordinationes, ingenue negat se scire quid in Armenia majori geratur; ignorabat fortasse, in Rituale etiam Armenicum intrusam fuisse solennem illam Pecorum mactandorum in Ecclesia benedictionem; *id autem tantummodo concedit in sua Ecclesia ab Armenis sibi obedientibus factitari, ut quando aliquis moritur, parentes mortui, si possunt & volunt, faciunt benedicere sal, & benedictum sal dant animalibus, & animalia illa occidunt, & Sacerdotibus & pauperibus dant comedere, & vigilias & orationes faciunt fieri pro mortuis: idque etiam peragi in Festivitatibus Dominicis, & in solemnitatibus Sanctorum. Negat autem, dicta animalia in sero ad ostium Ecclesiæ duci, sericis cooperta, & oleo lini inuncta, ibique immolari, & carnes eorum distribui*. Quidquid tamen sit, consuetudinem illam non esse probandam, hæc S. Augustini verba serm. xv. de Sanctis demonstrant, quæ ad xxii. Febr. in festo Cathedræ S. Petri leguntur: *Quum solemnitatem hanc Ecclesiis merito religiosa observatio introduxerit, miror, cur apud quosdam infideles hodie tam perniciosus error increverit: ut super tumulos defunctorum, cibos & vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ cibos requirant*. Quæ vero a Mechitaro Patriarcha, extra Ecclesiam vel in funere defunctorum, vel in Dominicis festivitatibus aut in solemnitatibus Sanctorum ita fieri dicuntur, ut animalia a Sacerdote benedicta occidantur, atque a Fidelibus in cibos distribuantur, ea inde profluxisse existimo, ab antiquis scilicet Christianorum moribus, qui certis quibusdam diebus communes cœnas, seu convivia, quæ *Agapes* dicuntur, olim quidem in Ecclesia, postea vero extra Ecclesiam celebrabant. De his S. Jo. Chrysostomus hom. 27. in 1. Cor. 11. *Statis diebus mensas faciebant communes; & peracta Synaxi, post Sacramentorum communionem, inibant convivium, divitibus quidem cibos afferentibus, pauperibus autem & qui nihil habebant, etiam vocatis, & omnibus communiter vescentibus*. Tertullianus Apol. cap. 39. *Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit: vocatur enim* ἀγά-

ἀγάπη, id quod est penes Græcos dilectio. Quo vero ordine, quove ritu communia convivia a Christianis olim celebrari consuevissent, antiquorum Auctorum testimoniis exponit Eminentissimus Baronius ad annum Christi 57. a num. cxxxiv. Aristææ nempe, Philonis, & Clementis Alexandrini, & Minutii Felicis. Triplici autem ex causa, inter Christianos publica convivia celebrari solita, idem Baronius num. cxxxix. ostendit, productis hisce S. Gregorii Nazianzeni verbis: *Non insuper ad sacrum aliquod epulum, vel natalitium, vel funebre, vel connubiale cum pluribus currens*. Et *connubiale* quidem epulum fiebat occasione nuptiarum, in quibus invitabatur ipse Episcopus seu Sacerdos, præterquam in nuptiis Digamorum, de quibus hæc Canone septimo Concilii Neocæsariensis: *Presbyter in nuptiis ejus, qui duas uxores ducit, sive Digamus efficitur, ne convivetur. Quum enim requirat pœnitentiam Digamus, quis erit Presbyter, qui eo quod sit convivio acceptus, nuptiis assentiatur*? Hæc quidem Canon. At in ejusdem expositione audiatur Balsamon: *Quia autem videmus offendi aliquos, eo quod nullus eorum, qui secundum matrimonium contraxit, aliquando puniatur, nec eis Sacramentorum participatio impediatur, sed potius etiam Chartophylacis pittacium permittatur; vidimus autem & Patriarchas, & alios Antistites, comedentes cum Imperatoribus, qui secundas uxores ducunt, & reliquis; dicimus, quod, etiamsi temporalis excommunicationis pœnæ ex prædictis Canonibus Digami subjecti sint, Unionis tamen decisio* (1), *quæ a nobis sita est in quarto Canone S. Basilii, quam lege, quæ primo matrimonio secundum omnino æquavit, & dixit, quando ii omnino punientur, pœnam dissolvit, hæc præcise dicens etiam de tertio matrimonio = At qui nec secundum, nec primum sine securitate reliquimus; sed & illa sic constituenda decernimus, ut nullam improbam causam habeant, vel ex raptu, vel ex clandestino præcedente coitu, sed sint legi-*

(1) Unionis Tomus factus sub Constantino Porphyrogen. & Romano anno Mundi 6429. Indict. 9.

legitima, & ab ejusmodi inquinamentis sordibusque aliena. Epulum *Natalitium*, dicebantur *Agapæ* seu convivia, quæ in natalitiis Sanctorum Martyrum, in Ecclesiis celebrari consueverant, de quibus hæc Theodoretus Evang. Verit. lib. 8. in fine: *At illos* (Deos scilicet gentium) *Deos cassos gloria vanosque reddidit: suis autem Martyribus honorem illum dedit: Pro prandiis enim & Diasiis, ac Dionysiis, hoc est, Jovis, Liberique patris solemnitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Mauritio, aliisque Sanctis Martyribus solemnitates populari Epulo peraguntur: proque illa veteri pompa, pro turpi obscœnitate atque impudentia fiunt modestæ, castæ, ac temperantia plenæ festivitates, non illæ quidem mero delibutæ, non comessationibus leves, non cachinnis solutæ, sed vivis canticis personantes, sacrisque sermonibus audiendis intentæ*. *Funeralis* denique Agape in mortuorum exequiis peragebatur, de qua hæc Origenes in Job lib. 3. *Sic itaque nos diem nativitatis celebramus, quia in perpetuo vivunt hi qui moriuntur: celebramus nimirum, religiosos cum Sacerdotibus convocantes, fideles una cum Clero invitantes, adhuc egenos & pauperes, pupillos & viduas saturantes, ut fiat festivitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus, quorum memoriam celebramus, nobis autem efficiatur in odorem suavitatis in conspectu æterni Dei*. Et Chrysostomus in Matth. hom. 32. *Cur post mortem tuorum pauperes vocas? cur Presbyteros, ut pro eo velint orare, obsecras? non ignoro te responsurum, ut defunctus requiem adipiscatur, & propitium Judicem inveniat*. Solitas quoque celebrari Agapas in dedicatione Ecclesiarum, liquet ex iis, quæ S. Gregorius Papa, dedicaturus oratorium B. Mariæ, pro agape præparari mandat, ad Petrum Subdiaconum lib. 1. Epist. 14. sic scribens: *Sed quia cellæ ipsius tenuitas exigit, debere nos in ipsa diei festivitate concurrere; propterea volumus, ut ad celebrandam dedicationem dare debeas ad erogandum pauperibus in auro solidos decem, vini amphoras triginta, annonæ modios ducentos, olei orcas duas, verveces duode-*

tim, gallinas centum: quæ tuis possint rationibus postmodum imputari. In Gangrensi Concilio adversus eos, qui Christiana hujusmodi convivia spernerent, Canone XI. hæc statuuntur: *Siquis despicit eos, qui fideliter agapes, idest, convivia, pauperibus exhibent, & propter honorem Dei convocant fratres, & noluerit communicare hujusmodi vocationibus, parvipendens, quod geritur, anathema sit*. Vetitum autem antiquis Canonibus, Agapas in Ecclesia fieri. Concilium Laodicenum Canon. 28. *Non oportet in Basilicis, seu Ecclesiis Agapen facere, & intus manducare, vel accubitus sternere*. Et Trullanum Can. 74. *Quod non oportet in Dominicis locis, vel Ecclesiis, eas, quæ dicuntur, Agapas, idest, charitates facere, & intus in æde comedere, & accubitus sternere. Qui autem hoc ausi fuerint, vel cessent, vel segregentur.* Concessit tamen S. Gregorius Magnus Anglis recens ad fidem conversis, ut in tabernaculis juxta Ecclesiam positis, ejusmodi convivia celebrarentur, sic ad Mellitum lib. 9. Epist. 71. rescribens. *Qui boves solent in sacrificio dæmonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua solemnitas immutari: ut die Dedicationis, vel Natalitio Sanctorum Martyrum, quorum illæ reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa easdem Ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conviviis* solemnitatem celebrent: *nec Diabolo jam animalia immolent, sed ad laudem Dei in esu suo animalia occidant, & donatori omnium de satietate gratias referant, ut dum eis aliqua exterius gaudia reservantur, ad interiora gaudia consentire facilius valeant. Nam duris mentibus simul omnia abscindere, impossibile esse non dubium est: quia is qui locum summum ascendere nititur, necesse est, ut gradibus vel passibus, non autem saltibus elevetur. Sic Israëlitico populo in Ægypto Dominus se quidem innotuit, sed tamen eis sacrificiorum usus, quos Diabolo solebant exhibere, in cultu proprio reservavit, ut eis in sacrificio suo animalia immolare præciperet, quatenus cor mutantes, aliud de sacrificio amitterent, aliud retinerent, ut, etsi ipsa essent animalia,* quæ

quæ offerre consueverant, verumtamen Deo hæc, & non idolis immolantes, jam sacrificia ipsa non essent. Divinæ hujusmodi dispensationis rationem, quam Armeni in Synodo a S. Gregorio Illuminatore circa sacrificia animalium se accepisse dicunt, edicit S. Gregorius Nyssenus Episcopus scribens de S. Gregorio Thaumaturgo, istas suo Neophyto populo Neocæsariensi Agapas in Martyrum festivitatibus permittente. *Quum animadvertisset* (inquit Orat. de Sancto Gregorio:) *quod propter corporis voluptates simplex ac imperitum vulgus in errore simulacrorum cultus permaneret, quo maxime id, quod præcipuum est, interim in iis assequeretur, nempe ut variis superstitionibus relictis in Deum converterentur, permisit eis, ut in memoriam Sanctorum Martyrum sese exhilararent, & oblectarent, atque in lætitiam effunderentur, quod successu temporis aliquando futurum esset, ut sua sponte homines ad honestiorem & exactiorem vitæ rationem transirent, præsertim quum etiam fides viam ad illam rem præmonstraret. Quæ res nimirum etiam jam in plerisque successit atque confecta est, omni voluptate a corporis oblectamentis ad spiritalem lætitiæ formam traducta*. Et adversus Faustum Manichæum, qui Christianos de Paganorum Sacrificiis in Agapas immutatis accusabat, sic scribit S. Augustinus lib. 20. cap. 30. *Sacrificia Paganorum non vertimus in Agapas, sed sacrificium illud intelleximus: misericordiam volo, quam sacrificium. Agapes enim nostræ pauperes pascunt, sive frugibus, sive carnibus, quas vos Manichæi, ut tenebrarum principis opus, damnatis*. Et infra. *Quoniam plerumque in Agapis etiam carnes pauperibus erogantur, misericordiam Christianorum similem dicitis sacrificiis Paganorum*. Dominicus Macrus in Hierolexico, sive Sacro Dictionario, V. *Agape*, edit. Romæ anno 1677. pag. 16. *In Orientali Ecclesia* (inquit) *usque ad præsens hæ Agapes durant; ubi festivitatum & funeralium occasione sæpe interfui, quamvis non intra Ecclesias, sed penes ipsas sub dio, vel in privatis domibus . . . talia convivia celebrantur. Itaque inter alia convivia, in quibus ibi præsens*

sens fueram , sumptuosissimum illud erat non minus , ac devotissimum Montis Libani , quando de anno 1624. pro Sanctæ Sedis Apostolicæ negotiis ad Patriarcham accesseram : ibi enim in festivitate Patriarchalis Ecclesiæ , quæ sub titulo Deiparæ Assumptionis est , convivium celebratum fuit , in quo interfuerunt Episcopi non pauci , magna Clericorum caterva , & innumerabilis populorum concursus : non enim in hoc Venerabili Cœnobio , excepto hoc solum die , carnes manducare , nec unquam animalia mactare. licet , quod pro hac die extra clausuram permittitur . At Patriarcha cum cæteris Monachis , & Episcopis ejusdem Ordinis , seorsim comederunt ; eorum enim regula , quæ est D. Antonii Abbatis , nunquam carnes manducare permittit ; unde Maronitæ Monachi , licet ad Prælatitias dignitates ascendant , observant nihilominus hanc carnium abstinentiam , & reliquas Antonianas Constitutiones . Idem Macrus in V. *Transfiguratio Domini* p.635. *Maronitarum natio valde pia & Catholica , cum ingenti lætitia Festum Transfigurationis solet celebrare , ut egomet in Monte Libano eo die interfui & vidi . Nam Patriarcha cum Clero universo , ejusdem Montis cacumen ascendit , in quo vertice aliquæ Cedrorum reliquiæ vigent .* Et infra . *Igitur in cacumina Libani ascendit Patriarcha , a Clero & Catholico populo comitatus , ibique super lapideum Altare sub dio erectum solemniter celebrat : quo peracto omnes ad prandium , Dives aliquis invitat .* Addit idem Macrus pag. 16. *In ruralibus Insulæ Melitensis Ecclesiis , quum aliquod festum celebratur , solent post Vesperarum solemnitatem , buccellas una cum fructibus populo distribuere . Græci vero placentas & cinericios panes distribuunt . At in exequiis dant granum frumenti coctum & benedictum , quod condimentis , ut bellariorum , & id generis adulcare solent , quæ* Κόλυβα, *Latine Bellaria vocamus .* Vide quæ ex Græcorum Triodio subjungit de origine Colyborum , Baronius ad annum 362.

SE-

SECTIO XII.

Criminationes Græcorum adversus Latinos circa abolitorum Legalium observationem, referuntur, & refelluntur.

ATque hæc dicta sufficiant de convivio illo, quod in funere mortuorum, dicunt Armeni, fidelibus exhiberi extra Ecclesiam; idque differre affirmant a Sacrificio Animalium, quod ex Rituali eorumdem Armenorum Galanus loc. supra cit. describit.

Græci tamen Photiani & Cerulariani, implacabili uti solent in Latinos odio, eandem criminationem, qua Armenos jure meritoque circa Sacrificia Animalium in Ecclesia peracta coarguunt, ad Sanctam Romanam Ecclesiam mendaciter detorquent. Sic enim in Criminationibus adversus Latinos (apud Cotelerium Tom. 3. Monument. Eccl. Græc. pag. 499. num. 20,) nugantur: *Ad magnam Paschatis Dominicam Agnum mactantes & assantes, in Altare inferunt, mensæque apponant in eo, quod peragunt sacrificio; & post dimissionem comedunt quidem Agnicarnes; ossa vero comburunt, eorumque favillam per totum annum servant, e qua quos volunt, inspergunt, atque uti rentur, sanctificant*. Latini quidam imperiti Sacerdotes (ut supra ex Walafrido Strabone adnotavimus) *Agni carnes in Paschate juxta, vel sub Altari ponentes, benedictione propria olim consecrabant, & in ipsa Resurrectionis die ante cæteros cibos corporales de ipsis carnibus percipiebant*. Falsum & calumniosum est, quod Græci de Latinis scribunt: *In Paschate scilicet Agnum mactantes & assantes, in Altare inferunt, mensæque apponunt in eo quod peragunt sacrificio, & post dimissionem comedunt quidem Agni carnes, ossa vero comburunt, eorumque favillam per totum annum servantes, ea quos volunt inspergunt*. Hoc totum purum putum mendacium esse, liquet ex Ritualibus Latinis, in quibus non quidem ad Altare inferri Agnum, mactatum & assa-

allatum; neque post peractum Sacrificium, in Ecclesia manducari, aut ejus cineres asservari, præscribitur; sed extra Ecclesiam habentur *Benedictiones Agni in Pascha. Ovorum. Panis. Novorum fructuum. Ad quodcumque comestibile. Candelarum. Loci. Domus novæ. Thalami. Novæ Navis &c.*

Celebris est etiam Græcorum calumnia in Latinos, quam refert idem Cotelerius Tom. cit. pag. 506. n. 56. his verbis: *Atque ut majora subjungantur; Judaizant quidem, seu Judæos imitantur in multis relatis criminationibus: in Azymis, in Agni esu, quum Episcopi totum corpus radunt: dum quomodocumque Sabbata observant; per aspersiones & expiationes*. Et pag. 505. num. XLVII. *Comedunt suffocata, morticina, a bestiis capta, sanguinem, & impura, ursos, picas, testudines, echinos, canes fluviatiles, cornices, corvos, laros, & similia*. Quæ omnia, tamquam ἀκάθαρτα, *Immunda*, æstimantur, & a Græculis schismaticis idcirco redarguuntur quidam Latinorum, quod iis vescantur. Temerariam hanc Schismaticorum in Latinam Ecclesiam assertionem, Benedictus XIV. in Epistola, qua excitantur omnes Græci Ritus Orientales, ut nova Euchologii anno 1754. typis impressi editione utantur (Bullar. Tom. 4. pag. 400.) refutat his verbis: *Tentarunt quidem Schismatici Ecclesiam Latinam, veluti Judaizantem, traducere, propterea quod in Azymo consecret, & Sabbata observet, Regumque unctionem inter sacros Ritus retineat. At Leo Allatius in suo egregio opere, De perpetua consensione Ecclesiæ Occidentalis et Orientalis Lib. 3. cap. 14. temerariam hanc illorum assertionem refellit; specialiter vero sub num. 4. ita adversus eos argumentatur: Qui Judæi Sabbata servant, qui servat Sabbata, Judæum agit: ergo qui suffocata non manducat, Judæum agit; quum Judæi ex lege prohibeantur illa comedere. Sed Græci suffocata non edunt. Ergo Græci Judaizant. Deinde num. 9. ad rem nostram recte concludit, minime posse absolute & indistincte dici, quod is Judaizet, qui in Ecclesia aliquid agit & servat consentaneum & simile cere-*

ceremoniis antiquæ Legis. „ *Siquis sub alium finem & commoditatem, etiam & ex intentione cultus, & tamquam religiosas ceremonias, non tamquam spiritu veteris Legis, nec tamquam habentia in illa fundamentum, sed vel ex proprio arbitrio, vel ex aliqua consuetudine humana, vel ex præcepto & institutione Ecclesiæ, observaret; neque peccaret, neque diceretur Judaizare. Quare non semper quisquis in Ecclesia aliquid agit, quod cum ceremoniis veteris Legis similitudinem habet, statim dicendus est Judaizare*. In Græcos Schismaticos retorquenda esset eadem criminatio, quam illi in Latinos vibrant, si nuda Euchologii ipsorum verba considerentur: In Euchologio quippe leguntur Orationes *de cibis mundis & immundis: deque Puerperis & menstruatis ab Ecclesiæ ingressu interdictis*: Et aliæ hujusmodi observationes, quæ ad ceremonialia Legis veteris pertinent. Ut autem deprehendatur, num ex prædictis aliisque similibus orationibus & observationibus justa præbeatur occasio suspicandi de Græcis, ne forte observatio Ceremoniarum Legalium veteris Legis unacum nova Lege & Evangelio cumulari seu retinere velint; sequentes Propositiones idem doctissimus Pontifex in laudata Epistola (Tom. 4. Bullar. pag. 396. §. 61.) indigitat, ex quibus omnia illustrentur, & propria in luce collocentur. *Prima est; Ceremonias Legis Mosaicæ per adventum Christi fuisse sublatas, & post promulgationem Evangelii, non posse amplius absque culpa servari. Quum itaque discrimen a lege veteri inductum inter cibos mundos & immundos, ad ceremonialia præcepta pertineat; hoc satis est, ut asseri jure possit, nullum amplius superesse, aut statui debere discrimen inter cibos mundos & immundos*. Quamobrem in Professione Fidei orthodoxæ quam Orientales ex præscripto Urbani VIII. emittere debent, quæque impressa fuit anno 1642. hæc leguntur: *Item legalia veteris Testamenti, seu Mosaicæ Legis ceremonias, Sacra, Sacrificia, & Sacramenta, Domino nostro Jesu Christo adveniente, cessasse, & post promulgatum Evangelium, sine peccato observari non posse*. *Ejusdem etiam*

Legis veteris ciborum mundorum & immundorum differentiam, ad ceremonialia pertinere, quæ, surgente Evangelio, transierunt. Sanctus quoque Gregorius II. in suo Capitulari, quo instructos in Bavariam ablegavit Marinianum Episcopum, & Georgium Presbyterum cap. 7. ita loquitur: *Ut nihil in perceptione ciborum judicetur immundum, nisi quod fuerit idolis immolatum, quia, juxta quod magisterio Apostolico docetur, omnis creatura Dei bona, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*. Similiter Sanctus Nicolaus I. in Responsis ad Consulta Bulgarorum num. 43. de animalibus mundis & immundis hæc habet: *Quæ animalia, seu volatilia liceat manducare, quantum existimo, Dominus evidenter ostendit, quum post diluvium animalia cuncta Noë tribuit & filiis ejus edenda... Itaque omne animal, cujus cibus minime corpori nocivus esse probatur, & societas hoc in cibum admittit humana, comedi non prohibetur*. Itaque in Concilio Florentino in Decreto pro Jacobitis (1) edito sequentia verba leguntur. „ Sacrosancta Romana Ecclesia &c. firmiter credit, profitetur, & prædicat, omnem creaturam Dei bonam, nihilque rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; quia, juxta verbum Domini, non quod intrat in os, coinquinat hominem; illamque Mosaicæ Legis ciborum mundorum & immundorum differentiam ad ceremonialia asserit pertinere, quæ, surgente Evangelio, transierunt... Nullam itaque cibi naturam condemnandam esse denunciat, quam societas admittit humana; nec inter animalia discernendum per quemcumque sive virum, sive mulierem, & quocumque genere mortis intereant; quamvis pro salute corporis, pro virtutis exercitio, pro regulari & Ecclesiastica disciplina, possint & debeant multa non negata dimitti, quia, juxta Apostolum, omnia licent, sed non omnia expediunt.

Altera propositio est. Quamvis promulgato Evangelio, cessarint Ceremonialia præcepta veteris Legis, & nul-

(1) Concil. Labb. Tom. 13. pag. 1203. edit. Paris.

& nullum in Lege nova extet præceptum, quo mundi ab immundis cibis secernantur, cujusmodi erat in Lege veteri; non minus tamen in potestate est Ecclesiæ Christi, justis concurrentibus rationibus, gravibusque de causis, ut obligationem redintegret observandi aliquod ex præceptis ceremonialibus, quæ erant in Lege veteri, licet in nova, ut innuimus, abrogata sint; dummodo præceptum non sit ex eorum numero, quæ in Lege veteri præcipue ordinata erant ad præfigurandum Messiam venturum; cujusmodi patet fuisse, exempli gratia, Circumcisionem, & animalium sacrificia..., sed sit ex genere eorum, quæ ad externam disciplinam, & corporis munditiem pertinebant, in quorum classem profecto referenda veniunt, quæ de cibis mundis & immundis præscripta fuerant. Id autem assumptum non minus ex Occidentalis, quam ex Orientalis Ecclesiæ disciplina, & quidem, ex priorum seculorum monumentis comprobatur.

Allatius in laudato opere de Perpetua Ecclesiarum Occidentalis & Orientalis consensione lib. 14. a num. v. enumerat multa, quæ æque a Judæis in Lege veteri fiebant, ac Græcis in nova sunt in usu, quamvis non tamquam a Moyse præscripta, sed tamquam de novo ab Ecclesia præcepta, quæ vidit & judicavit Statutum illud esse honestum & convenire legi Christi. „ In „ sacris literis (inquit Allatius) multa sunt Judæis im„ munda, quibus si vescantur, facinus fuerit; qualia „ multa Scriptura enumerat. An non illa eadem in eo„ dem gradu sunt apud Græcos: quorum etiam vel con„ tactu commaculari creduntur, non homines tantum, „ sed & reliqua inanimata? Observavi inter eos quos„ dam, confectos inedia & morti devotos, renuentes „ limacum coctarum, ne repentia vel pejora commemo„ rem, esu vires reficere; alios ab immundis hujusce„ modi abhorrere, idque non natura, sed religionis „ affectu; ut non vereantur palam fateri, velle se po„ tius mori, quam illorum comestione fœdari. Hinc „ tot apud eos preces, & spissæ rerum ab immundo„ rum illorum contactu excantationes. Si evenerit, ut

,, immundum aliquid in puteum aquæ ceciderit, χρὴ πρῶ-
,, τον &c. *Oportet prius exhaurire ex aqua cados qua-*
,, *draginta, & foras abjicere: tum accendit cereos Sacer-*
,, *dos*. Siquis in exhauriendo, plures quadraginta cadis
,, vel pauciores ex aqua illa putei abjecerit, an expia-
,, tio illa aquas emundabit? εἰ συμβῇ τι ἐκπεσεῖν &c. *Si*
,, *occurrerit aliquid incidere in vas vini vel olei vel*
,, *mellis vel alterius, immundum quod cecidit, ſtatim*
,, *extrahendum eſt, & in aliud vas vinum aut oleum im-*
,, *mittendum, & vas evacuatum intus extraque abluen-*
,, *dum; tum Sacerdos accipiens thuribulum, intus ablu-*
,, *tum vas ſuffumigat*, εἰ δέγε συμβῇ τὸ ἐμπεσὸν ἀκάθαρ-
,, τον &c. *Quodſi immundum quod cecidit, progreſſu tem-*
,, *poris in vaſe vini vel olei computruerit, omnia effun-*
,, *denda ſunt, & vinum & oleum, quæ a nullo tangi*
,, *debent*. Et ſic de aliis. Signo Crucis, aquæ benedi-
,, ctæ aſperſione, & precatione Sanctorum, multa ſupra
,, naturam effici, niſi quis in clariſſimis cæcutire velit,
,, fateatur neceſſe eſt. At tot ceremoniis & ritibus rem
,, involvere, plane Judaicum eſt ,,. Mox profert ex Le-
,, vitico cap. XI. quæ Moyſes, Dei juſſu, de mundis &
,, immundis præſcripſit in hæc verba n. 45. ,, Iſta eſt
,, lex animantium, ac volucrum, & omnis animæ vi-
,, ventis, quæ movetur in aqua, & reptat in terra, ut
,, differentias noveritis mundi & immundi, & ſciatis
,, quid comedere, & quid reſpuere debeatis ,,. Tum
vero proſequitur Allatius: ,, Et ne ſingula aggeram,
,, integrum Puerperæ mulieris officium, & potiſſimum illa
,, oratio quæ incipit, κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν, *Domine Deus no-*
,, *ſter*, quæ recitatur ſuper Puerperam prima die partus
,, pueri ſui, & recenſetur in Græcorum Euchologio; an
,, non mere Judaica ſunt? In illis ſiquidem legalia Ju-
,, dæorum præcepta & ceremoniæ de Puerperis videntur
,, inſtaurari & probari. Nam in ea utcumque aſſeri videtur,
,, parere eſſe peccatum, puerperam tangentes & qui in
,, puerperæ domo reperiuntur, peccare: namque recitant
,, συγχώρησον τῇ δούλῃ σου. *Quæ perperit hodie*. Et infra.
,, τῇδε καὶ παντὶ τῷ οἴκῳ &c. *Parce huic famulæ tuæ*,
,, *& uni-*

„ *& universæ domui, in qua natus est puer, omnibus* „ *qui eam tetigerunt, ac cunctis qui ibidem inventi sunt.* „ Et: καὶ καθάρισον αὐτὴν &c. *Munda eam a corporali* „ *profluvio, & a variis viscerum vitiis, quæ ei advene-* „ *runt*. An non hæc a Judaicis illis promanarunt? quæ „ leguntur Levitici XI. n. 4.) *Deinde maneat triginta* „ *tribus diebus in sanguine purificationis suæ; nihil San-* „ *ctum tangat, in Sanctuarium non ingrediatur, donec* „ *fuerint exacti dies purgationis suæ*. Et: *qui adducto* „ *illo in conspectu Domini, expiabit pro ea, munda-* „ *biturque a fonte sanguinis sui*; Quemadmodum & il- „ la: τῇ δὲ τεσσαρακοστῇ ἡμέρᾳ πάλιν προσάγεται &c. *Post* „ *quadragesimum a partu diem adducitur in Templo,* „ *ut principium accipiat in Ecclesiam ingredi; adducitur* „ *vero a matre jam purgata & abluta*. Puerperam an- „ te quadragesimum a partu diem, propter immundi- „ tiam, non esse idoneam Sacramentis suscipiendis, dum „ pro ea deprecatur: καὶ ἀξίωσον αὐτὴν μεταλαβεῖν τοῦ „ τιμίου αἵματος καὶ σώματος τοῦ χριστοῦ σου, &c. *Et fac* „ *eam dignam, quæ suscipere valeat pretiosum Corpus* „ *& Sanguinem Christi tui, ablue eam a sorde sui cor-* „ *poris & macula animæ; quum compleverit quadragin-* „ *ta dies*: Et: καθάρισον ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας, &c. *Mun-* „ *da eam ab omni peccato, & ab omni sorde, acceden-* „ *tem ad tuam Ecclesiam, ut sine culpa, digna fiat su-* „ *mere sancta Sacramenta*. Crimen auget, quod ista „ legalia esse agnoscant & fateantur, & ex penu recen- „ tiorum deprompta, quum in manuscriptis antiquis Co- „ dicibus similes deprecationum formulæ non habean- „ tur „. His tamen positis, quia tam Græci, quam La- tini, qui easdem fere ceremonias in Ritualibus habent, illas non tamquam spiritu Legis veteris, sed ex institu- tione Ecclesiæ sub alium finem observant, neque pecca- re neque Judaizare, idem Allatius a num. VIII. osten- dit. „ Queruntur Græci (inquit num. VII.) se imme- „ rito injuriam accipere, & Judaismi insimulari. Aliud „ enim illis objicitur, aliud formularum notæ sonant: „ Negant ipsi, purificationem post partum legalia præ-

„ cepta

„ cepta instaurare. Negant, puerperæ, & tangentibus „ eam, & una habitantibus, remissionem peccatorum, „ quod tetigerint vel adfuerint, à Deo implorari, & „ puerperam pariendo, & tangentes & habitantes pec- „ casse: negant, purgationem a corporali profluvio & „ variis viscerum vitiis, immunditiam legalem signi- „ ficare. Quid, quod precemur, eam dignam fieri ad „ suscipienda Sacramenta, ideo eam prius indignam, „ quæ illa suscipiat, censeri? Responsione, qua Græci „ calumniam illatam amolientur, eadem & criminatio- „ nibus, quas ipsi contra Latinos afferunt, responde- „ bitur. Nolo hic alios, præter Græcos ipsos, Latino- „ rum defensores. Quod Græci pro se adducent, La- „ tinis magis favere comperiemus, si materiæ, de qua „ agitur, applicetur „. Nimirum, quæ Græci pro tu- tandis suis afferunt, his etiam suffulti Latini Judaismum a se repellunt. „ Quod enim ipsi faciunt (pergit idem „ Allatius num. XVI.) ex instituto Christi & Ecclesiæ est; „ quibus longe alia fuit mens, quum illa constituerent „ quæ Græci accusant, quam Mosaicæ Legis observatio. „ Et absone quis concluderet, si ita rationem introdu- „ ceret: Hoc Hebræi ex præcepto faciebant: Ergo, si „ Christianus id faciat, de Hebraismo insimulari pote- „ rit. Nam Hebræus id aget alia ratione, & alio sco- „ po & fine; Christianus alio, & ex præcepto Eccle- „ siæ: cujus integritatem, Judaismi arguere, esset om- „ nium insulsissimum atque impiissimum.

Itaque ad criminationes contra Latinos a Græcis propositas, quas supra recensuimus, Arcudius lib. 3. in Concordia c. 6. aptissime respondet in hæc verba: „ Non igitur Græci „ jejunent, non festivitates celebrent, quia Judæi jeju- „ nant, & celebrant. Nec dissimili ratione Græci ju- „ daizant, quod aqua in baptismate infantes abluant, „ qua utebantur Judæi in suis purificationibus: quod mo- „ re Judæorum, velum Templi habeant; imo, quod Fer- „ mentatum panem apponant & consecrent, quo Ju- „ dæos usos esse in quibusdam Sacrificiis, jubente Deo, „ Scriptura testatur; præsertim quum non tantum Pa-

„ scha,

„ scha; verum etiam omnia sacrificia antiquæ Legis, „ nostram præfigurarent, Et, si Paschatis Azyma de- „ bent cessare, quod figura fuerint, ex sententia quo- „ rumdam Græcorum, similiter abroganda erunt Fer- „ mentata reliquorum sacrificiorum. Imo, quum dæ- „ mon utatur Aqua, Pane, & Oleo, idque ad imita- „ tionem Christi, ut refert Tertullianus in Præscrip- „ tionibus: Diabolus (inquit) ipsas quoque res Sacra- „ mentorum divinorum, in Idolorum mysteriis æmu- „ latur: tingit & ipse quosdam, utique credentes & fi- „ deles suos, expiationem de lavacro repromittens: si- „ gnat illic in frontibus milites suos: celebrat Panis & „ Vini oblationem. Et lib. 1. contra Marcionem: sed „ ille (inquit) usque nunc nec Aquam reprobavit Crea- „ toris, qua suos abluit, nec oleum quo suos ungit, „ nec mellis & lactis societatem, quo suos infantat, „ nec Panem in quo ipse suum corpus repræsentat. Si „ ea non abrogaverint Græci, dicant, se ipsos non „ tantum Judaizare, sed etiam dæmonizare „. Hæc Arcudius contra Græcos, qui exinde Latinos carpunt, quod nonnulla faciunt, quæ ex more Judæorum etiam patrantur; quum & ipsi non dissimili ratione in plurimis judaizare videantur.

Hinc inter Monita, quæ sub initium novissimæ Editionis Euchologii Græcorum posita sunt, quartum est de peculiaribus quibusdam immunditiis, ad quas expurgandas nonnullæ benedictiones & preces in eodem Euchologio appositæ leguntur, in hæc verba: „ Denique „ sciendum, quod, si contigerit, immundum quid, aut „ contaminatum incidere in puteum, aut in aliud vas „ liquidi cujuscumque, sive etiam rem immundam tan- „ gi, aut manducari, sive in Ecclesia animal impurum „ gigni, aut mori, Sacerdotes quidem Orientalis Ec- „ clesiæ precibus & benedictionibus in Euchologio con- „ tentis, secundum Ecclesiæ suæ consuetudinem, utun- „ tur, nullatenus tamen intendunt observare præcepta „ antiquæ Legis, quæ sunt per adventum Christi sublata, „ quemadmodum omnibus manifestum est „. Hoc ipsum

Mo-

aut casu aliquo inquinatum, neque decet a Clero segregare, neque rejiciendum a sacris censere. Et Joannes Episcopus Citri in respons. diversis, respons. 8. apud Diplovatacium : οὐδένα κατὰ τοῖον δήτι μιανθέντα &c. *Neminem in ejusmodi quopiam pollutum, arcendum a Sacramentis: nam animo innocuam esse hujusmodi hominem, quando non est regnum Dei esca, & potus*. Ex quibus liquet, neque esse criminosum, neque Irregularem apud Græcos, qui nondum expiatos liquores tetigerit aut degustarit: sed, si quando his usus sit coram imbecillis hominibus ob scandalum agere pœnitentiam ex Ecclesiæ præscripto debere. Id, quod & antiquitus in more fuisse apud Latinam Ecclesiam, quæ species ab immundis animalibus conspurcatas precibus & aqua lustrali expurgabat, Goarius in not. ad Eucholog. Græcor. edit. Venet. anni 1730. pag. 483. affirmat, ostenditque ex Gregorii III. Papæ excerpto cap. 40. *Si in farina, aut aliquo sicco cibo, aut in melle, aut in oleo, aut in lacte coagulato, mus, aut mustela mortua inveniuntur, quod circa corpora est, projiciatur; reliqua aqua conspersa, sana sumantur mente*. Alias autem: *Qui comederit, vel biberit sordidatum a cane, vel a mure, quinquaginta Psalmos cantet: sæcularis tres dies pœniteat. Qui postea noverit quod talem potum biberit, Psalterium cantet: sæcularis, tres dies pœniteat*. Adeo non prorsus innoxii visi sunt antiquitus tam apud Græcam, quam apud Sanctam Romanam Ecclesiam, qui per immunda animalia species pollutas gustassent.

Jam vero in Latinis Ecclesiis nullum amplius superest abstinentiæ hujusmodi ab immundis cibis vestigium. Viget illa tamen vel nunc in Ecclesia Græca; vigebatque apud Armenios, quibus Vartanes quidam schismaticus persuaserat, ut a quibusdam cibis abstinerent, quos lex Mosaica immundos pronunciavit, excepta solum carne suilla, quam eis a S. Gregorio Illuminatore, primo èorum nationis Patriarcha, concessam fuisse asserebat, eosdemque docuisse confringere vasa oleo, vinoque

que plena, si forte musca, vel aliud animalculum hujusmodi in ea cecidisset. Nihilominus (uti Galanus in Conciliat. Eccl. Armen. cum Rom. Tom. 2. testatur,) in Collationibus habitis ad conciliandam unionem Armenorum cum Romana Ecclesia, statutum fuit, ut sequitur: *Patres Armeni tum Sisensis, tum Adanensis Concilii, cum Romana Ecclesia suam conciliantes, approbarunt Epistolam dogmaticam Gregorii Armeniæ Patriarchæ ad Regem Haytonem, ubi Hebraica illa ciborum discretio his verbis refellebatur: Cibos autem immundos, præcipue qui ad pauperum manus obiter veniunt, omnes, ut inquit Paulus, in nomine Dei purificatos haberi jubemus, quos & orationibus benedici docuit Dominus Nierses; nimirum Ghelajensis, qui similiter Armeniæ Doctor & Patriarcha fuerat*. Quin imo quum a Benedicto XII. inter Armenorum errores, hic etiam in Articulo XLVI. relatus fuisset: *Item quod dicti Armeni observant discretionem ciborum mundorum & immundorum animalium, secundum quod Lex Moysi dicit*: Ad hanc objectionem Patriacha Mechitarus & Episcopi in Synodo sic respondent apud Martene Tom. VII. Veter. Script. & Monument. Collect. pag. 364. *Licet Armeni aliqua animalia separent, & aliquas volucres, & non comedant: tamen hoc non faciunt propter Ceremonialia Legis Moysi, sed propter inconsuetudinem gentis. Qui sani sunt, cum gratiarum actione recipiunt omnia secundum Apostolum. Omnes creaturæ Dei bonæ sunt, nec est aliud dejicibile, iis maxime, qui cum gratiarum actione recipiunt, quoniam omnia manducantur per verbum Dei*.

CAPUT XXI.

De Hymno Trisagio.

SECTIO I.

Origo Hymni Trisagii.

TRullani Patres quum nonnullos Armeniorum errores, ut supra diximus, notassent rejecissentque, Canone LXXXI. hæc de Trisagio Hymno statuunt. *Quoniam in nonnullis locis didicimus, in Hymno, quo ter Sanctus canitur, additamenti loco dici post illud:* Sanctus Immortalis, *hoc*, Qui crucifixus es pro nobis; miserere nostri: *id autem ab antiquis Sanctis Patribus, ut a pietate alienum, ex hoc Hymno ejectum est cum scelerato hæretico, qui hanc vocem innovavit; nos quoque confirmantes ea, quæ a sanctis nostris Patribus prius pie constituta sunt, anathematizamus eos, qui post præsens Decretum, ejusmodi vocem admittunt in Ecclesiis, vel aliquo alio modo sanctissimo Hymno adjungunt. Et, si est quidem Sacerdotalis ordinis, qui transgressus est, eum Sacerdotali dignitate privari jubemus: sin autem laicus, vel Monachus, segregari.* Non indicant, *quibus in locis, aut a quibus*, Græcis ne, an Armenis, aut Syris, Appendix illa, *Qui crucifixus es pro nobis*, hymno Trisagio adjungeretur. Affirmant tamen, Appendicem illam, ut a pietate alienam, a Sanctis Patribus dudum fuisse rejectam. Et magna quidem animorum contentione hæc controversia agitata fuit, statim atque Petrus Cnapheus, Patriarcha Antiochenus, hymno Trisagio Additamentum illud adjunxit: eo nimirum quod conjunctum cum dogmate videatur. Sed origo istius Hymni nobis est prius exponenda.

Theophanes in Chronographia ad ann. Incarnat. secundum Alexandrinos 430. Kalendis Septembris anni Christi 437. inchoatum, de Theodosio juniore, & Sancto

cto Proclo Conſtantinopolitano Epiſcopo loquens : *Sub hoc Sancto Proclo* (inquit) *terræmotus facti ſunt magni Conſtantinopoli per quatuor menſes , ita ut timentes Byzantini , extra Civitatem in loco , qui dicitur Campus, cum Epiſcopo precibus & Litaniis ad Deum vociferantes perſeverarent . Quadam ergo die , fluctuante terra , & omni plebe intenſius exclamante* , Κύριε ἐλέησον , Domine miſerere , *circa Horam Tertiam , omnibus videntibus , contigit , divina virtute ſuſtolli quemdam adoleſcentulum in aërem* (1), *& audiri divinam vocem admonentem eum , Epiſcopo ac populo nunciaret , ut Litanias ſic facerent , & dicerent* , Ἅγιος ὁ Θεὸς , Ἅγιος ἰσχυρὸς, Ἅγιος ἀθάνατος , ἐλέησον ἡμᾶς, Sanctus Deus , Sanctus Fortis , Sanctus Immortalis , miſerere nobis ; *nihil aliud apponentes . Sanctus autem Proclus hac ſuſcepta ſententia, præcepit populo pſallere: & ſtatim terræmotus ceſſavit . Porro Beata Pulcheria cum ejus fratre ſupra modum admirata , ſanxit per univerſum Orbem terrarum , divinum hunc pſallere Hymnum . Et tunc receperant omnes Eccleſiæ per ſingulos dies hunc canere Deo*.

Baronius id factum narrat ad annum Chr. 446. quo Conſtantinopolis terræmotu concuſſa , uti ſcribit Marcellinus in Chron. ſub Coſſ. hujus anni , nimirum *Fl. Aëtio III. & Q. Aurelio Symmacho*, quamvis juxta editionem Onuphrii , & Sirmondi , terræmotus ille memoretur *Ardabure & Callepio Coſſ.* , anno ſcil. ſequenti 447. Verum non tantum Marcellinus , ſed etiam Auctor Chronici (2) Alexandrini , hunc terræmotum in annum 447. confert , his verbis : „ Eodem anno ingentes adeo ter„ ræ tremores fuere , ut mœnia procumberent (quæ „ alioqui vetuſtate fatiſcebant) & nemo quiſquam au„ deret domi ſuæ manere , ſed omnes deſerta urbe fo„ ris dies & noctes precibus & litaniis vacarent . Om„ nes enim ingens terror occupaverat , qualis a condita „ ur-

(1) Lectorem fuiſſe quidam afferunt .
(2) Edit. Pariſ. pag. 317. Venetæ ann. 1729. p. 252. ſub Conſulatu Ardaburii & Alypii .

„ urbe non fuerat. Nonnulli ignes quoque cæleſtes a ſe „ ſpectatos affirmabant. Unde & anniverſaria memoria „ etiam hodie peragitur Litaniarum in Triconcho VIII. „ Idus Novemb. pro clementi Dei in genus humanum „ patientia, quum in tantis minis cæleſtibus neminem „ tamen morti dedit „. Idem Auctor Chronici Alexandrini ſub Conſulatu (1) *Valentiniani Aug. VII. & Avieni*, anno nempe Chr. 450. alium terræ motum in hæc verba recitat. „ Hoc anno Conſtantinopolis magnam labem accepit ex terræmotu, menſe Januario (2) Sexto & viceſimo die, noctu a Troadeſiis porticibus „ uſque ad æreum Tetrapylum, ſat diu durante, ita „ ut nemo auderet domi ſuæ manere, ſed omnes fugerent in Campum, dieſque & noctes continuarent preces. Ipſe Imperator cum Senatu & populo, Clero„ que nudus pedes, multis diebus Deum votis propitiabat. Ingens enim terror, qualis nunquam fuerat, „ omnes perculerat. Quidam affirmabant ſe ignes in „ cœlo vidiſſe; unde anniverſaria memoria precum celebratur etiam hodie in Campo, ad Dei clementiam „ in genus humanum laudandam. In tanta enim malorum trepidatione nemo extinctus eſt „. Pagius ad ann. 446. num. 4. recitatis hiſce Chronici Alexandrini verbis ſubdit: „ Exiſtimo Auctorem Chronici Alexandrini eundem terræmotum in duos perperam diviſiſſe, licet Goarus in notis ad Theophanem p. 571. diſtinguendos contendat. Nam Evagrius lib. 1. cap. 17. „ Theophanes ad annum Theodoſii 30. Cedrenus ad annum Theodoſii 28. & Nicephorus lib. 14. cap. 47. de „ unico terræmotu loquuntur, quem Theophanes ait, „ *quatuor menſium ſpatio* factum eſſe Conſtantinopoli; „ & tam Theophanes, quam Cedrenus ac Nicephorus „ narrant, adoleſcentulum in aëra divina virtute ſublevatum, Proclo Epiſcopo Conſtantinopolitano renunciaſſe, ſe hæc verba audiſſe: *Sanctus Deus, Sanctus* „ *For-*

(1) Edit. Pariſ. p. 318. Venetæ p. 254. ſub Conſulatu Valentiniani VII. & Albini.

(2) *Menſe Audynæo*. Atque Audynæus iuxta nonnullos reſpondet Decembri, iuxta alios Novembri.

„ *Fortis*, *Sanctus Immortalis*, *miserere nobis*; Proclum „ vero populum, ut ita caneret, adhortatum esse, & „ confestim terræ quievisse motum. Verum est, hunc „ terræ motum, & hanc *Trisagii* institutionem a Pro- „ clo factam memorari in Menologio die xxv. Septem- „ bris; ab Auctore vero Chronici Alexandrini tradi, „ eam anniversariam memoriam sua ætate die vi. No- „ vembris factam. Sed existimo Festum illud a mense „ Novembri ad Septembrem temporis progressu, quod „ in aliis Festis non raro accidit, ob rationes nobis „ ignotas, translatum esse „. *Hæc Pagius*. Et quoad mensem quidem, verosimilius mihi videtur, idcirco in Menologio ad xxv. Septembris eam terræmotus memoriam recoli, quia quum quatuor mensibus duraverit, quumque Auctor Chronici Alexandrini secundum terræmotum, *Coss. Valentiniano VII. & Avieno*, idest anno Chr. 450. *die 26. Januarii* contigisse dicat, consequens est, eum terræmotum cepisse 25. Septembris & desiisse 26. Januarii, quatuor mensium spatio exacto; Græcos vero instituisse ejus memoriam peragi primo, quo is cœperat, die, nempe 25. Septembris: adeoque in Chronico Alexandrino quemadmodum error est in eo terræmotu dividendo, ita in eodem Chronico pro viii. *Idus Novembris*, legendum puto vi. *Kal. Octobris*, nimirum xxv. Septembris. Quid? quod Marcellinus in Chron. ad ann. Chr. 471. a Baronio laudatus, narrat eruptionem Vesuvii montis eo anno (vel potius sequenti, uti Pagius censet) contigisse, ejusque memoriam Byzantii mense Nov. die 6. celebrari consuevisse. Id quod non solum Marcellinus confirmat ad ann. Chr. 512. sed etiam Theophanes, quum ad eum annum scribat, ex processionis precibus ad Triconchum eo die (idest, 6. Nov.) *propter pulverem igneum* habitis, populum Byzantinum sese subduxisse, quum Timotheus Patriarcha Trisagio Hymno clausulam, *Qui Crucifixus es*, adjici jussisset. Eam porro Vesuvii eruptionem significat idem ipse Theophanes ad ann. Inc. secund. Alex. 466. Chr. 474. sic scribens: „ Hoc anno ex nubibus ardere visis decidit pul- „ vis,

„ vis, adeo ut ignem depluvium stillare cuncti arbi-
„ trarentur. Supplicationibus igitur & processionibus in-
„ tenti contremiscebant „. Ejusdem eruptionis, tacito Vesuvii nomine, meminit quoque auctor Chronici Alexandrini ad ann. Marciani XII. Ind. VII. Coss. *Zenone, & Marciano, anno Chr.* 469. „ Hoc anno Constantino-
„ poli imbris vice cinis depluit, & 4. digitos altus su-
„ pra tegulas resedit, adeo ut omnes terrefacti suppli-
„ cationes agerent, ac dicerent, ignem esse, & extin-
„ ctum esse, & cinerem inventum, Deo genus humanum
„ miserante, mense Dio, Novembris undecima „, Ad cinerem igitur tunc lapsum, non ad terræmotum, referenda est supplicatio quæ fiebat Constantinopoli VIII. Idus Novembris: id quod significat idem Auctor iis verbis ad ann. Chr. 447. „ Nonnulli ignes quoque cæleſtes a se spectatos affirmabant „ tametsi unam cum altera calamitatem ibi unus idemque auctor perperam conjunxisse videtur. Sed quidquid sit de mense ac die, certum est, stare non posse, quod asseritur de anno Chr. 446. 447. & 450. Nam quum is terræmotus sub Proclo acciderit, & sub Proclo desierit, quumque Proclus die 24. Octobris anno Chr. 446. decesserit, fieri nequit, ut VIII. *Idus Novembris anno* 446. 447. aut 26. *Jan. anno* 450. (quemadmodum in Chron. Alexandrino dicitur) is terræmotus contigerit. Stat ergo, a Theophane recte eum Terræmotum conferri ad annum Theodosii 30. Incarn. secund. Alex. 430. æræ vulgaris 437. mense Septembri usque ad Januarium 438.

Menologium ad 25. Septembris sic habet: „ Impe-
„ rante Theodosio juniore accidit horribilis terræmotus:
„ quo factum est, ut totus populus cum Imperatore
„ Theodosio, & Patriarcha Proclo, ac universo Eccle-
„ siæ cœtu, tota urbe exierit in locum, qui dicitur
„ Campus, ad orandum præ timore. Jam Theopaschi-
„ tarum hæresis ex diaboli astu sumebat initium, & Hy-
„ mno Trisagio cum blasphemia addebant, *Qui cruci-*
„ *fixus es pro nobis*. Extemplo puer in aërem raptus
„ volitabat, clamantibus cunctis præ timore & stupo-
„ re

„ re per multas horas: *Domine miserere*. Repente de-„ scendit puer, perinde ac nubi insidens, & magna vo-„ ce admonebat, ab Archangelorum choris Trisagium il-„ lum hymnum Deo concini sine illo additamento: *Qui* „ *crucifixus es*: sed ita, *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*. „ *Sanctus Immortalis*, *miserere nobis*. Et illico cum his „ vocibus animam Deo reddidit, & illa terræ agitatio „ quievit „. Recentioris Græculi opus est istud Synaxarium, in quo quot verba, tot fere errores. In primis Proclo Patriarcha vivente (vixit autem, ut dixi, usque ad 24. Oct. ann. Chr. 446.) nondum Eutychetis hæresis emerserat, nondum Chalcedonense Concilium adversus unius naturæ assertores celebratum fuerat, nondum denique Theopaschitæ exorti fuerant, qui Trisagio hymno Appendicem illam, *Qui crucifixus es pro nobis*, addidissent: nam id factum a Petro Cnapheo, qui longe post Procli tempora Antiochenam Sedem invasit. Deinde, Græculus iste sibi ipse contradicit: historiam enim inventi sub Proclo Trisagii hymni narrare volens supponit, illum jam antea extitisse, tametsi additamento illo a Theopaschitis (uti ineptit) facto corruptum. Vides ergo, quænam fides Synaxariis Græcis sit adhibenda, quæ prodiisse dicuntur a Nicephoro Callisti Xanthopulo. Miror proinde, a Goaro, viro docto, in notis ad Theophanem p. 571. Synaxarium istud ex Menologio proferri sine ulla animadversione, perinde ac si Theopaschitæ jam antea emersissent. Miror etiam, eumdem Goarum in eadem Adnotatione, postquam ex Chron. Alexandrino binos terræmotus Constantinopoli contigisse, alterum Coss. Ardabure & Callepio, anno Chr. 447., alterum Coss. Valentiniano Aug. VII. & Avieno, anno Chr. 450. adnotasset, sic subjungere: „ Haud itaque „ priore, sed secundo, in aërem elevatus est puer, & „ secundi hujus memoria, quidquid in adversum ad Chro-„ nici marginem adnotet Raderus, renovatis precibus an-„ nua observatione recolitur. Chronicon tamen in eo „ deceptum animadverto, quod motum hunc in ulti-

„ mum Theodosii annum, quo Proclus excesserat e vita, „ seponendum censuerit „. Si primus terræmotus anno 447. VIII. Idus Novembris contigit, uti Goarus ex Chron. Alexan. refert; in quem, rogo, alium Theodosii annum alter terræmotus erit conferendus, ut is Procli temporibus accidisse dicatur, quum Proclus etiam ante primum illum terræmotum excesserit e vita? Obiit enim die 24. Oct. anno 446., id est, anno integro & diebus tredecim, antequam prior terræmotus contigisset. Quod autem sub Proclo & terræmotus factus sit, & Trisagius hymnus excogitatus, non solum Theophanes narrat, sed etiam testes omni exceptione majores tradunt *Simplicius* Papa, & *Acacius* Constantinopolitanus Episcopus, in suis ad Petrum Cnapheum literis anno Chr. 478. datis, hoc est, quadragesimo post illum terræmotum anno, quemadmodum infra patebit.

Idem Goarus not. in Euchologium Græcorum p. 109. postquam hæc Theophanis verba de Trisagio hymno recitasset: „ Porro B. Pulcheria cum ejus fratre supra„ modum admirata, sanxit, per universum orbem ter„ rarum, divinum hunc psallere Hymnum. Et tunc re„ ceperunt omnes Ecclesiæ per singulos dies hunc ca„ nere Deo „; Sic subjungit: „ Ecclesias hic intellige „ Orientales: Occidentales enim non nisi in die San„ cto Parasceves, Græce simul & Latine, hoc quidem „ pacto, ut sua lingua Deum celebret; illo, ut divi„ nam ipsam vocem Byzantii a puero Lectore auditam „ imitetur, canendum suscepit; die, inquam, Parasce„ ves Sanctæ, tum propter causas omnes a Durando & „ aliis adductas, tum maxime, quia eo ipso die a cæ„ lo accepit Ecclesia eum concinere Hymnum. Idque „ firmatur ex Menologio Græcorum dicente: πρὸ τῆς „ ἀναςάσεως, *Ante Resurrectionis diem* id contigisse, ita „ ut Ecclesia nostra illum merito succinat ea die ipsa, „ qua sic cælitus recinendum, primum & auditum & „ præceptum est. Nec abs re, inquit Vincentius Ric„ cardus suis in Proclum notis; quia quum adversus
„ Theo-

„ Theopaschitas, divinum (1) imperavit numen, in „ Ter sancto Hymno non addendum hac voce, ὁ σταυρωθεὶς „ δι' ἡμᾶς, *Qui crucifixus est pro nobis* (quam Petrus „ Cnapheus, & sequaces interjicere sunt moliti) ne San- „ ctum Immortalem Deum, passum & mortuum fuisse „ concedatur; ideo Ecclesia Latina, ipso die, quo Chri- „ sti domini passionem celebrat & mortem, ut in car- „ ne passum demonstret, non secundum divinitatem; il- „ lum canit Hymnum, qui ad id signandum, ita tunc „ cani cœptus fuerat „. Iterum miror Goarum, & quidem Presbyterum, qui proinde singulis diebus Horas Canonicas recitabat, oblitum fuisse dicere, Hymnum Trisagium in Ecclesia Latina non solum cani semel in anno in die Parasceves, sed singulis etiam diebus Ferialibus ad Primam, quando *Preces* dicuntur: sic: *Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina. Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, miserere nobis*. Ceterum non solum Ecclesia Latina, sed etiam Græca & Syriaca in die Parasceves in Adoratione Crucis canit Hymnum Trisagium.

Addit Goarus „ Patet itaque, nec Jacobum, nec „ Basilium, aut Chrysostomum, Theodosio antiquiores, „ illum (*Trisagium Hymnum*) primitus suis Liturgiis „ inseruisse, & nullius proinde illorum sequentem oratio- „ nem, ὁ Θεὸς ὁ ἅγιος, ὁ ἐν ἁγίοις ἀναπαυόμενος, sed aut „ Procli ipsius, aut alicujus posterioris ætatis opus di- „ ci posse: cujus argumentum est, quod in antiquissimo „ Barberino Ms. superius alia reperiatur (2) oratio, ἅγιε „ ἁγίων ὁ Θεὸς ἡμῶν „. Verum quum in omnibus omnium Orientalium Liturgiis, & *hymnus Trisagius*, & subsequens oratio, *Deus Sancte, qui in Sanctis requiescis*, sive, *Sancte Sanctorum Deus noster*, reperiatur, ad Apostolica tempora id referri debere, dicendum est; non enim post invectam Nestorii, Eutychetis, Diosco-

 ri,

(1) Jam supra monui, falsum esse, quod de Theopaschitis dicitur, quo tempore Trisagius hymnus sub Proclo decantari cœptus est. Nondum enim emerserant, uti res est notissima.

(2) In Euchol. Venetiis ann. 1710, impresso cum notis Goari, p. 83.

ri, Severi, aliorumque hæresim, Nestoriani Chaldæi, Jacobitæ Syri, Ægyptii Monophysitæ, aut hymnum Trisagium, aut orationem illam, in suis Liturgiis ab orthodoxis acceptam, inseruissent. Certe Nicephorus Callistus lib. 18. cap. 51. Trisagium istud censet ab Apostolis ipsis Ecclesiæ per manus datum esse. Et Amphilochius Iconiensis sive quisquis est Auctor vitæ Basilii Magni, narrat Sanctum Basilium, quum Nicææ in Templo Sancti Diomedis versaretur, Trisagium carmen pronunciasse „ Assumens (1) itaque Sanctus Pater noster „ & Ecclesiæ præses, populum orthodoxum cum mulie- „ ribus & parvulis, foras civitatem egreditur, in tem- „ plum Sancti & gloriosi Martyris Diomedis; expleta- „ que nocte pervigili, ac matutinis precibus absolutis, „ populum reducit, cantans illud: Sanctus Deus, San- „ ctus Fortis, Sanctus Immortalis, miserere nobis „. Et Carolus du Fresne du Cange in Glossario mediæ & infimæ Græcitatis Tom. 2. pag. 1610. postquam ex Jobio tum primum sub Proclo Trisagium hymnum ab Angelis decantatum scripsisset, subdit: „ Alii contra sen- „ tire videntur, longeque ante Proclum in Ecclesia „ Trisagium hymnum decantatum volunt, tum quod in „ sacris Liturgiis Jacobi, Marci, Basilii, & Chryso- „ stomi passim reperiatur (quibus alii post Proclum in- „ sertum putant) tum etiam quod hymnus Cherubicus, „ qui non alius est a Trisagio, etiam ante Proclum, „ obtinuerit, uti ait Nicephorus Callistus lib. 18. c. 51. „ & pluribus probat Leo Allatius in dissert. de Litur- „ gia S. Jacobi num. 16. 17. 18. „ Denique in fine Actionis 1. Concilii Chalcedonensis, postquam Dioscorus depositione dignus est judicatus, Orientales seu Diœcesæos Antiochenæ Episcopi, & qui cum ipsis Reverendissimi Episcopi, ipsum Hymnum cecinerunt, (2) dicentes: *Multos annos Senatui. Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, miserere nobis. Multos annos Imperatoribus*. Ex quibus colligitur, ante Basilii Magni

(1) Tom. 4. Concil. Labb. 1115.
(2) Amphiloch. in vitam S. Basilii Paris. 1644. p. 209.

gni ætatem Hymnum Trisagium in Ecclesia decantari consuevisse. Quod & Jobius Monachus apud Photium Cod. 222. (Cangio, ut supra, laudatus) insinuat, dicens, ejus Hymni compositionem ex Seraphico cantico, & ex his Psalmi 41. verbis, *Deum*, *Fortem*, *Vivum*, in Ecclesiam invectam fuisse. Scio, eundem Jobium, aliosque (uti mox dicam) Proclo Constantinopolitano Episcopo eum Hymnum acceptum referre: Verum (uti cl. Combefisius in laudatum Amphilochii locum pag. 276. observat) „ Quamquam Proclus terræmotu quassata Con„ stantinopoli, eum hymnum divinitus doctus, calami„ tatem depulerit; non tamen censendus est primo il„ lum doctus, sed usum potius didicisse, qua de re in Euchologio, & nuper vulgato Ἀρχιερατικῷ.

Isaac Habertus in *Pontificali* (1) *Ecclesiæ Græcæ*, observat. VI. De *Hymno Trisagio*, postquam Cedreni, ac Nicephori testimonio, dixisset, eum Hymnum sub Proclo Constantinopolitano, annis fere 40. a Chrysostomi ejus, quam commentatur, Liturgiæ Auctoris excessu, Angelis canentibus exceptum fuisse, subdit: „ Non de„ sunt viri etiam eruditi qui hunc Hymnum Trisagii „ multo antiquiorem esse tueantur, ex eo, quod, in„ quiunt, commemoratur tum a Græcis; tum a Lati„ nis scriptoribus, ut a Greg. Nysseno Orat. in Pro„ crastinationem Baptismi, ubi hæc inter cætera habet: „ φθέγξαι μεθ' ἡμῶν ἐκεῖνα ἃ καὶ τὰ ἑξαπτέρυγα Σεραφεὶμ „ μετὰ τῶν χριστιανῶν ὑμνοῦντα λέγει, *Dic nobiscum ea*, „ *quæ sex alis prædita Seraphim*, *Christianis concinen*„ *tia*, *dicunt*. S. Cyrillo Hierosolym. in Catech. V. Myst. „ Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος κύριος σαβαώθ. διὰ τοῦτο γὰρ τὴν πα„ ραδοθεῖσαν ἡμῖν Σεραφεὶμ θεολογίαν ταύτην λέγομεν. *San*„ *ctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, *Dominus Sabaoth*. *Idcirco enim* „ *hanc nobis ab ipsis Seraphim traditam Theologiam di*„ *cimus*. Item Cæsario Arelatensi homil. XII. qui pene „ eadem. Verum nihil hæc omnia ad Trisagium, de „ quo agitur, dicet aliquis. Alius enim est hymnus Se„ raphicus qui & Cherubicus Græcis Liturgicographis „ dici-

(1) Edit. Paris. 1676. p. 64.

„ dicitur, & ἐπινίκιος, seu Triumphalis, qui habetur „ in parte sequenti Liturgiæ: & alius porro hymnus „ Trisagii. In illo enim, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, &c. „ quæ verba Esaiæ sunt: In hoc, *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Immortalis*, *miserere nobis*. Quæ „ verba in sacrosanctis audita mysteriis, ante Procli „ tempora, probari non videtur satis ex iis contextibus, qui allati sunt „. Probari tamen videtur ex iis, quæ Combefisius protulit, quæque Quienus, tacito Combefisii nomine, producit *Admonitione in Epistolam S. Joannis Damasceni de Hymno Trisagio*, sic scribens: „ Quia vero id gestum fuit (loquitur de „ Trisagio a Patribus Chalcedonensibus decantato) post „ aliquot annos ab obitu Procli, addam auctorem alium „ antiquiorem; scriptorem (1) nempe vitæ S. Basilii „ Magni, qui a multis Amphilochius Iconiensis fuisse „ putatus fuit: ceterum recentior non est Proclo, aut „ Chalcedonensi Concilio; quippe qui, contra ac ætatis „ istius usus tulit, Tres Trinitatis Divinæ Personas esse docet, *τρία ἐνυπόστατα, μιᾶς οὐσίας, μιᾶς δυνάμεως, μιᾶς, ὑποστάσεως*, nihil discernendo *Hypostasim* „ ab essentia. Hic porro narrat Basilium, quum Nicææ „ in Templo S. Diomedis versaretur, Trisagium carmen istud pronunciasse.

Sed quidquid sit de illius Hymni antiquitate, operæ pretium esse puto, eorum testimonia huc congerere, qui Trisagium Proclo esse, aut non esse vetustius adstruunt. E Græcis testis advocetur *Jobius* Monachus, qui, Gul. Caveo teste, circa annum Christ. 530. vivebat. Hic apud Photium in Bibliotheca Cod. 222. *in Commentario de Verbo incarnato adversus Severum* lib.6. cap.25. pag. 606. *de Trisagio Hymno Angelico* hæc habet. *Triplicem quoque illam, & omnino invariatam in se vocis*, Ἅγιος, Sanctus, *exclamationem*, *Trium Personarum immutabilitatem*, *quoad essentiam*, *potentiam*, *&* *facul-*

(1) Baronius, Bellarminus, Possevinus, & alii tam orthodoxi, tam hæretici, vitam S. Basilii, quæ Amphilochii nomine inscribitur, spuriam esse, & recentioris cujuspiam Græci opus existimant. Corruit proinde istud Quieni & Combefisii argumentum.

facultatem subindicare. Quin & illorum trium consubstantialitatem atque Unitatem, velut sigillo obsignari ac coaptari, dum Unum dumtaxat postea (per vocem) Κύριος, *Dominus, inducitur, & infertur*. Et post pauca p. 610. de eodem Trisagio, uti in Liturgia canitur: *Scriptum est enim, quod etiam Angeli accedentes ministrarent ei. Angeli vero appellatio, ut rerum divinarum periti norunt, commune est intelligibilium spirituum nomen. Et iterum de Primogenito in orbem terræ introducto, Sacra Scriptura loquitur: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Propterea etiam, simulatque ad Altare Sacerdotes accedunt*, ὁ ἱεροψάλτης. ἄνωθεν ἀναβοᾷ τὸ, ἅγιος ὁ Θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος, *Cantor sacer a superiore loco sic clamat:* Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis. *Quem hymnum ex veneranda ac tremenda Seraphinorum professione compositum asserit, non tamen de suo habere hoc inventum, sed e Judæorum gente quemdam veritatis doctrina imbutum, qui alias quoque docendi auctoritatem ab Ecclesia accepisset, virum ceteroquin sapientem, vitaque illustrem, hujus doctrinæ Jobio auctorem fuisse, quum unde compositus esset sacer ille Hymnus, exponeret. Docere vero ipsum, ex Cherubinorum Hymno, & Psalmo XLI. Sacrorum Cantorum Canticum illud constitum esse. Celebrari enim in hoc Psalmo* Deum Fortem Vivum, *ac mutatam quidem esse vocem* Vivum *in æquipollens vocabulum* Immortalis; *ipsa voce* Fortis *retenta. Porro exprimi voces* Deus, & Sanctus, *ut distinctio fiat ab idolorum simulacris, quæ terrestria sunt, humanarum manuum opus, & veræ abominationes.* Fortis *vero, adversus muta, immobilia, & imbecilla idola.* Immortalis *denique, quod idola nec spirent, nec ullam efficiendi vim habeant, sed nec tantillam quidem vitæ partem acceperint. Narrat hoc etiam, eundem illum sacrum virum sese docuisse, quemadmodum ab aliis quoque Scriptoribus refertur, ut B. Proclus (Constantinopoleos is Præsul erat) prædicti hymni constructionem per revelationem edoctus sit, quum Angelis sacrum hunc Hymnum canentibus, primus ille eandem doctrinam hausit.*

Ex

Ex Nestorianis prodeat *Georgius* Arbelæ Metropolita, qui anno Chr. 970, vivebat. Hic testimonio usus *Jesujabi Adjabenici* (qui Nestorianorum Patriarcha fuit ab anno 650.) dum *Officiorum Ecclesiasticorum Declarationem* scribit, Tractatu 2. *de Officio Vespertino*, cap. 15. quærit: *Quid sibi vult Canon iste Trisagii? & quid* (1) *exprimit? & quare dicitur in fine Officii?* Respondet (2) autem sic: *Quemadmodum tradunt inspirati a Deo Doctores & Libri Ecclesiastici, Anno Græcor. 748. Theodosii Imperatoris 25. postquam illegitima* (3) *Ephesi Synodus per impium Cyrillum congregata est, & Sanctus Nestorius dejectus fuit; quo anno Pueri Ephesini resurrexerunt, magnus Byzantii terræmotus contigit, & lapides e rupe evulsi, supra urbem steterunt; quumque timore correpti homines, fugissent, & foras exissent, existimantes, fore, ut urbs penitus deleretur; apparuerunt Angeli Presbytero* (4) *Ecclesiæ ejusdem urbis Byzantii, Proclo appellato, hymnum canentes Græca voce ac dicentes,* Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, Miserere nobis. *Monuitque eum Angelus, ut populum in Ecclesiam congregaret, terque eas voces, quas audierat, recitaret. Quum igitur populum is Presbyter in Ecclesiam congregasset, & coram ipsis clamasset, ipsique post illum ter eas voces dixissent, quievit terræmotus, simulque urbs pacata est. Id vero quum circumquaque per loca fuisset divulgatum, visum fuit huic Beato, ut Canon iste in fine Officii recitaretur: ut, quemadmodum illi tunc temporis misericordiam consequuti, ab angustiis, in quibus versabantur, sunt liberati; ita nobis Deus suam semper misericordiam exhibeat, dum Canonem hunc canimus.* Hæc Georgius de tempore, quo invectus in Ecclesiam Trisagius Hymnus; multiplici tamen cum errore: Primo, quia annus Græcor. 748., idemque Christi 437., non

(1) Vide me Tom. 3. Biblioth. Orient. pag. 528.
(2) Cod. Syr. 21. Vide Tom. 3. Bibl. Orient. pag. 489.
(3) Ita Nestoriani blaterant de Sacra Synodo Ephesina.
(4) Jesujabum Patriarcham intelligit Georgius Arbelensis. At vero Seleuciensem Ecclesiam *Dadjesus* Catholicus tum regebat, quum id factum sub S. Proclo contigit, idest, anno circiter Chr. 437.

non respondet anno Theodosii 25. sed 30. deinde, quia anno Chr. 437. Proclus non erat Presbyter, sed Patriarcha Byzantii, jam ab anno 434. mense Aprili post Maximiani obitum inauguratus: quamquam Nestoriano scriptori hac in re parcendum est, qui, Nestorio olim Byzantino Antistite, sed propter hæresim, in Synodo Ephesina dejecto, & usque ad annum 451. quo Synodus Chalcedone coacta est, in vivis agente, pro suo ergahæresiarcham illum favore, quotquot per id tempus Byzantii sederunt, non Episcopos, sed Presbyteros appellat. Errat tamen luculenter, dum ad Jesujabum Patriarcham, qui ducentesimo & amplius post Proclum vivebat anno, refert inductum in Syrorum Nestorianorum Ecclesiam Trisagium hymnum: qui certe in antiquiora tempora conferendus est, quando scilicet nondum Syri omnes, quos nunc Chaldæos vocamus, Seleuciensium Archiepiscopo subjecti, Nestorianam hæresim susceperant: alioquin fieri nequit, ut sub Jesujabo inductum a Catholicis tum Syris, tum Græcis morem, Nestoriani amplecterentur. Denique addit ibidem Georgius: ܦܛܪܘܣ ܩܨܪܐ ܐܝܟ ܡܗܓܡܢܘܬܐ ܡܢ ܒܢܝ ܐܠܟܣܢܕܪܘܣ ܘܣܘܝܪܐ ܕܐܠܗܘܬܗ ܗܘܐ ܦܛܪܝܪܟܐ ܕܐܢܛܝܘܟܝܐ: ܐܘܣܦ ܠܗ ܠܩܢܘܢܐ ܗܢܐ ܗܝ ܕܐܨܛܠܒܬ ܡܛܠܬܢ. *Petrus Cnapheus, hæreseos Severi Sectator, qui Antiochiæ Patriarcha fuit, adjecit huic Canoni, Appendicem illam, Qui crucifixus es pro nobis.* Id quod neque laudat, neque reprehendit: at vero in iis quæ ad Chronologiam spectant, dormitare se ostendit; quum non Petrus Severi, sed Severus Petri, hac in re Sectator fuerit.

Audiamus nunc Syros Jacobitas. Dionysius Barsalibæus, qui & Jacobus, Amidæ Metropolita, in sua Sacræ Liturgiæ Syriaca expositione ad Ignatium ejusdem Sectæ Jacobiticæ Hierosolymitanum Episcopum, duo sibi explicanda suscipit quoad Hymnum Trisagium: quando nam videlicet, & a quo institutus sit, & cur Appendix illa, *Qui crucifixus es pro nobis*, ei sit adjecta. Sic

enim scribit (1) cap. 5. ܡܡܠܠܐ ܩܕܝܫܐ ܐܠܗܐ, *de Hymno Sanctus es Deus*. ܐܠܐ ܗܫܐ ܘܢܡܠܠ ܥܠ ܩܕܝܫܐ ܐܠܗܐ ܕܣܕܝܪܐ ܒܟܠܗܘܢ ܨܠܘ̈ܬܐ ܐܝܟ ܚܬܡܐ ܒܥܙܩܬܐ.

„ Age nunc differamus de Hymno Trisagio, qui in om-„ nibus orationibus, tamquam sigillum in Anulo, ordi-„ natus est. Quoniam vero in nostris adversus Chalce-„ donenses scriptis quæstionibusque de eo fusius scripsi-„ mus, juverit nunc summatim de eodem dicere. Quæ-„ runt nonnulli: Quare in omnibus nostris orationibus, „ initio & in fine dicimus, *Sanctus Deus*? Ad hanc in-„ terrogationem respondemus: non ita in quolibet Festo „ gaudet Deus, sicut in eo Festo, quo crucifixio ejus „ in carne recolitur. Id quod ex eo patet, quod scri-„ ptum est: *Nondum advenit Spiritus, quia nondum* „ *glorificatus est Jesus*. Ubi Gloriam Jesu in ejus Cru-„ ce ponit. Quodsi ejus crucifixio, gloria ipsius est: igi-„ tur in Orationibus, & in sacra Liturgiæ oblatione „ convenit, ut dicamus, *Qui crucifixus es pro nobis*, „ unacum hymno Trisagio. Etenim Doctores audien-„ tes Danielem, Christum *Sanctum Sanctorum* appellan-„ tem, idcirco tradunt docentque, in unoquoque Offi-„ cio dicendum esse Hymnum Trisagium, tamquam si-„ gillum regiis scripturis appositum. Audierunt etiam „ Angelum dicentem mulieribus in Evangelio Matthæi: „ scio, quod Jesum quæritis, non est hic: surrexit enim, „ sicut dixit: venite, & videte locum, ubi positus erat „ Dominus noster. Videntes enim, quod Jesum Ange-„ lus Dominum suum appellavit, eundemque crucifi-„ xum confessus est, nec erubuit; manifestum hinc ap-„ paret, eundem esse Verbum incarnatum, & in carne „ crucifixum. Quamobrem Hymno adjecerunt, *Qui cru-„ cifixus es*, ne scilicet alius esse putetur qui crucifixus „ est,

(1) Syri tum Maronitæ, tum Jacobitæ, hunc Hymnum sic recitant. *Sanctus es Deus. Sanctus es Fortis. Sanctus es Immortalis*. Nestoriani vero, instar Græcor. *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis*. A Syriacis Dionysii verbis recitandis abstineo, ne liber hic in immensum crescat. Videri autem possunt in Cod. Syr. 36. Tom. I. Bibl. Orient. p. 578. & Tom. IV. pag 180.

„ est, a Filio, a Jesu, & a Domino. Undenam autem Hymnus Trisagius traditus ad nos devenit? Quidam ajunt, Josephum Buleutam, idest Consiliarium Pilati, eo quod in Christum crediderat, petiisse corpus Jesu, & de ligno deposuisse; dignus proinde factus, qui Angelos videret tribus choris ordinatos, quorum primus dixerit, *Sanctus Deus*: alter: *Sanctus Fortis*; tertius autem, *Sanctus Immortalis*. Ipse vero in spiritu dixit: *Qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis*. Quis autem docuit homines hymno isto precari? Nonnulli dicunt, *Ignatius* Theophorus id docuit. Alii vero, hunc Hymnum ajunt ex eo desumptum, quod apud Isaiam legitur, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: Et quoniam Isaias in spiritu vidit Seraphim eum Sanctum dicentes, qui in throno sedebat, quique crucifixus est; ideo Doctores Hymno addidere: *Qui crucifixus es*. Sed & ii, qui ab Ignatio conscriptum hunc Hymnum asserunt, ajunt eundem Hymnum ab Angelis fuisse decantatum. Quum enim viderent Emmanuelis funus a Josepho & Nicodemo curari, in tres Ordines divisi portarunt Corpus Christi: quumque eum sepulturæ in spiritu mandarent, primus ordo dixit: *Sanctus Deus*, qui quum esses Deus, factus es homo. Secundus chorus dixit: *Sanctus Fortis*, qui quum natura tua esses Fortis, propter homines corpus induisti, & tamquam infirmus apparuisti. Chorus tertius dixit: *Sanctus Immortalis*, qui quum immortalis esses, factus es voluntate tua mortalis in carne, ut mortale genus nostrum vivificares. Tunc Joseph & Nicodemus addiderunt dicentes: *Qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis*. Alii ajunt, ab Apostolis traditum ad nos hunc Hymnum devenisse. Alii vero dicunt, in libro quem Jo: Evangelista de Virgine scripsit, hunc inveniri scriptum hymnum. Moyses Barcepha eis consentit, qui ad Ignatium Theophorum referunt hunc Hymnum. Sanctus autem Severus (1) Patriarcha homilia ultima inter Catholicas, quæ est de hoc Trisagio, asserit, post-

(1) Ita hæreticum hæreticus appellat.

„ quam Nestorius ab Ecclesia dejectus esset, invectam „ fuisse Appendicem illam, *Qui crucifixus es pro nobis*, „ neque enim eam esse valde antiquam, a Petro nempe Antiochiæ Patriarcha, qui Severum uno medianre Episcopo antecessit, eam fuisse compositam, ne scilicet videretur is qui crucifixus est, esse quarta persona, & pro Trinitate Quaternitas adoraretur. Quin „ & ipsi Chalcedonenses testantur, a Petro eam Appen„ dicem invectam in Oriente, quum in regionibus Oc„ cidentalibus, Meridionalibus, & Borealibus antiqua „ non esset „. Hactenus Barsalibæus, fabulas quascumque in ore vulgi reperire apud suos Jacobitas potuit, congerens. Quæ enim de S. Ignatio, aut de Josepho (1) & Nicodemo dicuntur, ad fabulas aniles sunt amandanda.

Ejusdem cum Barsalibæo furfuris *Zacharias* (2) *Rhetor* in hist. Eccles. quam a Constantini Magni Imperio usque ad vigesimum Justiniani annum produxit, lib. 7. cap. 9. Marinum Apameensem inducit, Anastasio Imperatori persuadere conatum, Trisagium hymnum ab Eustathio Patriarcha Antiocheno in Ecclesiam fuisse inductum. Verba Zachariæ (3) accipe. *Post Macedonium Timotheus* (4) *Constantinopolis Episcopus factus est, vir orthodoxus* (impius scilicet monophysita) *cujus nomini opera consentiunt: honorans enim Deum interpretatur. Ejus diebus Marinus* (5) *quidam Apameensis exstitit, vir vigilans, dexter, operibus sagax, sapiens & doctus. Hic* *ortho-*

(1) Guido Fabricius Boderianus Antuerpiæ edidit Syriaca & Latina quædam ad Baptismi & Sacræ Synaxis ritus pertinentia, ceu Severi Patriarchæ Alexandrini essent, quum tamen in textu Syriaco *Alexandrini* nomen non legatur, noisque alibi ostenderimus, ea ad Severum Antiochenum esse referenda. Itaque ad calcem eorum Rituum, Trisagius hymnus cum additione sic habetur. „ Glorificatio Ange„ lorum, dum crucifigeretur Dominus noster. Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus „ Immortalis „. Joseph & Nicodemus dixerunt; Qui crucifixus es pro nobis mise„ rere nobis, „. Fabula nempe ex Barsalibæo desumta.

(2) Hujus Rhetoris meminit Evagrius hist. Eccles. l. 2. c. 2. 8. 10. & l. 3. c. 5. 6. 7. 12. Vide Tom. 2. Bibl. Orient. a p. 54.

(3) Syriacum textum recitavi Tom. 2. Bibl. Orient, p. 59.

(4) Macedonio dejecto & in exilium pulso, sub finem anni 511. successit Timotheus, obiitque anno 517. v. Apr.

(5) *Maximus* appellatur apud Victorem Tunnunensem. Sed Zachariæ consentit Marcellinus in Chron. sic scribens: „ Die Dominico, dum jubente Anastasio Cæsa„ re, per Marinum, perque Platonem, in Ecclesiæ pulpito consistentes, in Hym„ num Trinitatis Deipassianorum Quaternitas additur &c. „

orthodoxam etiam fidem colebat, & Imperatoris amicus, a secretis, & a consiliis erat: qui quum per vicos urbis incederet, aut alicubi sederet, quidquid observatu dignum in mentem ipsi succurrebat, literis mandari jubebat. Praeterea atramentarium ad lectulum appensum tenebat, accensa juxta pulvinar lucerna, ut cogitationes suas in charta describere posset, quas orto sole Imperatori significabat, eundem admonens, ut eas executioni mandaret. Et quoniam ex Antiochiae provincia oriundus erat, quae ab Eustathii Episcopi temporibus vocem, Qui crucifixus es pro nobis, *primum praedicare tentavit, ipse etiam omni studio Anastasium Imperatorem ad hoc idem peragendum sollicitabat. Quos hominis conatus quum haeretici quidam cognovissent, ipsum catervatim adorti; cur, inquiunt, terrenos homines inducere vis, ut faciant praeter sanctum Hymnum, quem Angeli Trinitati offerunt, dicentes:* Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus fortis, cujus laudibus pleni sunt cœli & terra? *Ad haec Deus Verbum, qui pro nobis hominibus crucifixus est, in ore ejus apologiam hujusmodi statim praeparavit: Angeli quidem Hymnum confessionis suae recte ad colendam & consubstantialem Trinitatem dirigunt, eumque pro ipsis crucifixum nequaquam praedicant. Nos vero in Hymno confessionis nostrae crucifixum pro nobis hominibus illum juste dicimus. Ex nobis enim, non ex Angelis corpus assumpsit. Atque ita illis quidem os obturavit; Imperatori vero sensum patefecit; qui particulam illam,* Qui crucifixus es pro nobis, *sicut in Antiochena provincia, sic in urbe Regia praedicari jussit.* Ubi Zacharias mentitur, ab Eustathio Antiochiae Patriarcha Hymnum Trisagium cum illa Appendice, fuisse in Antiochenam provinciam invectum. Id quod quum a Jacobitis passim *Eustathio* attribueretur, hinc factum puto, ut Nestoriani fabulas fabulis opponentes; Sanctorum & ipsi Patrum sententias quasdam confingerent, quibus suam haeresim confirmarent. Sic enim Sabariesus Presbyter Nestorianus, in Tractatu, qui inscribitur, *Responsio ad eos, qui dicunt* (1), *Deum passum, cru-*

(1) Vide Tom. 3. Bibl. Orient. pag. 540.

crucifixum, *& mortuum*, inter alia corrupta Patrum testimonia profert hoc Sancti Eustathii; *siquis dixerit Deum Verbum quascumque creaturarum passiones passum fuisse, maledictus esto in cœlo & in terra*. Dividunt quippe Nestoriani Personam Verbi a Persona Christi, & huic, non Verbo ajunt convenire passionem & mortem. Quamobrem appendiculam illam Trisagii, *Qui crucifixus es pro nobis*, ita horrentes fugiunt, ut Diabolus visa Christi cruce. Sed Nestorianos & Jacobitas relinquamus. Ad Auctorem Appendicis veniamus.

SECTIO II.

Auctor Appendicis ad Trisagium Hymnum.

MArtyrio Antiochenam Sedem obtinente, Petrus Cnapheus seu Fullo, Cœnobii Acœmetensis Monachus, ob Eutychianismi studium exinde pulsus, mox S. Bassæ apud Chalcedonem Presbyter, anno circiter 464. magnas Antiochiæ turbas excitare cœpit, Martyrium Patriarcham Nestorianismi accusans, Deumque crucifixum esse docens, addita hymno Trisagio Appendicula. Theophanes ad annum Incarn. secundum Alexandrin. 456. Epochæ (1) vulgaris 464. uno tenore refert quæ Antiochiæ, sub Zenone Leonis Imperatoris genero, Petro Fullone auctore, contigere. *Hoc anno* (inquit) *Leo Imperator* (2) *Zenonem generum, Ducem Orientis instituit, & Basiliscum Verinæ Augustæ fratrem Thra-* *ciæ*

(1) Quienus Orient. Christian. Tom. 2: p. 724. hunc annum Christi perhibet fuisse 468., male; nam anno Christi Alexandrino 456. additis annis octo, habetur annus 464. non 468. Quid? quod apud Theophanem is annus confertur in annum Imperii Leonis VII. adeoque inter ann. Christi 463. & 464.

(2) Hoc ipsum Theodorus Lector in Collectaneis l. 1. c. 20., Martyrio Antiochensis Ecclesiæ Episcopatum gerente, Zeno magister militum, qui Leonis Imperatoris filiam Ariadnen, uxorem duxerat, Antiochiam venit. Erat in ejus comitatu Petrus quidam, cognomento Fullo, Presbyter Ecclesiæ S. Bassæ Martyris, quæ est Chalcedone. Hic Sedis Antiochenæ cupiditate captus, persuasit Zenoni, ut conatus ipsius adjuvaret. Conductis igitur quibusdam ex Apollinaris secta, contra fidem, & contra Martyrium Episcopum plurimos tumultus excitavit, anathemati subjiciens eos, qui non dicerent Deum crucifixum; quam ob causam populum quoque inter se dissidere fecit. Addiderat enim Trisagio hæc verba: *Qui crucifixus es pro nobis*. Cetera.

ciæ pariter Ducem. Zeno vero Antiochiam profectus, ſacrum Martyrium in ea comperit Epiſcopum. Petrus autem Fullo etiam in templo Baſſæ martyris Chalcedonenſis Presbyterio fungens, Zenonem ſequebatur. Is, implorata Zenonis opera, nonnullos ex Apollinarii aſſeclis mercede conductos ſibi conjungit, & innumeros tumultus contra fidem & Martyrium Epiſcopum excitat. Anathemate etiam ferit qui non aſſererent, Deum crucifixum; *populoque demum in duas partes Antiochiæ diſciſſo, addit ter ſancto Hymno*; Qui crucifixus es pro nobis: *quæ voces ab eo tempore in hodiernum uſque diem a Theopaſchitis uſurpari conſueverunt. Martyrius porro ad Imperatorem Leonem profectus, Gennadii Conſtantinopolitani Præſulis commendationibus multo cum honore ſuſcipitur. Antiochiam deinde reverſus, quum populi factiones varias easdemque tumultibus comperiſſet agitatas, & Zenonis favore fortiores, in Eccleſiæ conventu ceſſit Epiſcopatu: verbis uſus hujuſcemodi: Clero inobedienti, populo contumaci, & Eccleſiæ ſordibus infectæ, nuncium remitto: ſolaque Sacerdotii dignitate mihi reſervata, Epiſcopale munus depono. Eo ſecedente, Petrus Fullo in Antiochiæ thronum inſiliens, confeſtim Joannem* (3) *quemdam degradatione damnatum ordinat Apameæ Epiſcopum. Nuncio de his accepto, Gennadius cuncta refert ad Imperatorem, qui Petrum Fullonem exilio plectendum pronunciat: quod quum Petrus audiſſet, ipſe fuga proprium*

(3) Non eo tempore Joannes a Petro Fullone factus eſt Apameæ Epiſcopus, ſed aliquanto poſt, quum regnante Baſiliſco idem Petrus ab Æluro Antiochiam remiſſus eſſet. Id docet auctor geſtorum de nomine Acacii. „ Illo enim tempore „ quo de Petro damnato retulerat, non longe poſt etiam de Petro & Joanne ſcri- „ pſerat, Petrum apud Conſtantinopolim Monaſterium gubernaſſe. Sed hoc propter „ crimina derelicto, Antiochiam fugiſſe. Ibi pulſo Martyrio Catholico Epiſcopo, „ per hæreticos Sedem ipſius occupaſſe, continuoque damnatum a Leone tunc Prin- „ cipe ad Oaſitanum exilium eſſe directum, de quo lapſum, Conſtantinopolim re- „ diiſſe, & dediſſe fidem, quod nullas ulterius turbas facere prorſus auderet. Sed „ ſicut ſuperius dictum eſt, Baſiliſci temporibus, a Timotheo illo damnato, qui „ Conſtantinopolim venerat, ad Antiochiam remiſſum fuiſſe, ut iterum ille Epi- „ ſcopatum teneret. Quo facto, idem Petrus Joannem quendam Presbyterum or- „ dinat Apameæ Epiſcopum. A quibus non receptus, venit Antiochiam, & Petrum „ Epiſcopatus ſui pellit auctorem, & invadit ejus Eccleſiam, quos iterum da- „ mnatos dicit Acacius, petens ab Apoſtolica Sede, ut ſi forte ad eam confuge- „ rent, nec viſu dignos haberet „. Cetera ex Valeſio in notis ad hunc Theduri locum.

prium exilium evitat. Moxque communibus suffragiis Julianus quidam Antiochiæ Episcopus institutus est. Gennadius Constantinopolitanus Antistes, sub quo Martyrius sese abdicavit, & Petrus Antiochenam Sedem quum invasisset, a Leone Imperatore (eodem Gennadio suggerente,) in exilium deportari jussus fuit, eoque fugiente, Julianus Antiochiæ Præsul ordinatus est. Gennadius (inquam,) sub quo hæc omnia contigere, obiit anno Chr. 471. quum adhuc Leo Magnus Imperium obtineret. Quamobrem circa ann. 468. videtur Petrus Sedem invasisse, eodemque anno exeunte vel ineunte 469. fuga exilium prævertisse, ordinato in ejus locum Juliano: ac proinde fallitur Quienus, dum Tom. 2. pag. 725. recitatis Theophanis verbis, subjungit: *Sedem igitur superstite Gennadio Martyrius abdicavit* (hoc verum est) *quam Cnapheus seu Fullo statim occupavit* (hoc etiam verum:) *non sub Leone II. sed sub Zenone ejus successore Imperatore*. Hoc falsissimum est: nam Gennadio adhuc Patriarchatum obtinente, Cnapheus Sedem Antiochenam invasit, a qua, ejusdem Gennadii suasu, ab Imperatore fuit exturbatus; Gennadius autem (ut modo dicebam) anno 471. defunctus fuit; Zeno vero Imperium non iniit, nisi mense Februario anno 474. Julianus itaque post Cnaphei fugam, saltem ante annum 471. jam Sedem Antiochenam obtinuerat. In tabulis Theophanis, primus Juliani annus figitur ad ann. Alexandr. 461. hoc est, Epochæ vulgaris 469. dum adhuc Zeno Orientis Magister esset, atque Antiochiæ resideret: nam anno sequenti, idest Chr. 470. subdit Theophanes: *Hoc anno Leo Imperator Zenonem militiæ in Oriente Magistrum, & proprium generum, urgente belli necessitate, in Thraciam misit*. Rexit igitur Julianus Antiochenam Ecclesiam annis 6. nam anno 475. intruso iterum Fullone decessit. Theophanes ad ann. Alexandr. 467. Chr. 475. quum Zenone pulso Basiliscum narrasset Imperio potitum, subdit. *Porro Basiliscus Imperator in campo acclamatus, mox Marcum filium Cæsarem creat, & Augustæ corona Zenodiam conjugem ornat: ac statim,*
Zeno-

Zenodiæ maxime verbis ad id impulsus, rectæ fidei bellum indicit. Quare Timotheum Ælurum, promulgato Edicto, revocavit exilio, Petrumque Fullonem in Insomnium Monasterio latitantem, Sedi restituit: quotquot autem Sanctam Synodum Chalcedonensem adversarii respuebant, ii liberrime impugnabant veritatem. Et post pauca. *Eum* (Ælurum scilicet) *post hoc Imperiali diplomate munitum, & Synodi decretis infensum, Basiliscus Alexandriam transmisit, & Antiochiam Petrum Fullonem; animis utriusque adversus veritatem exasperatis, & ejus sensu corroboratis.* Tum vero: *Cæterum Julianus Antiochiæ Præsul, ex gestis rebus dolore concepto vitam amisit. Petrus autem Fullo thronum invadens, se ad anathemata, & tumultus excitandos convertit: ex qua cædes & domorum direptiones ob appositum Ter sancto Hymno additamentum.* Idem Petrus Joannem quendam Presbyterum ordinavit Apamenis Episcopum, a quibus non receptus, venit Antiochiam. Quumque anno 477. Zeno (fugato & interemto Basilisco) Imperium recuperasset, anno sequenti tum Constantinopoli sub Acacio, tum Romæ sub Simplicio Papa coactis Synodis, Petrus propter Additamentum ad Hymnum ter sanctum, & propter hæresim Monophysiticam damnatus fuit, ejusque loco Joannes sese intrusit. Sed hoc etiam post tres menses ejecto, Stephanus ordinatus fuit: Petrus autem in exilium Pityos relegatus. Theophanes ad ann. secundum Alexandrin. 469. Chr. 477. *Cæterum Petrum Fullonem, ut qui Basilisco faverat, Zeno habuit exosum. Orientalis itaque Synodi decreto dignitate motus est, & in ejus locum Joannes ordinatus. Hic quoque post menses tres ejicitur, ac demum successor ejus Stephanus vir pietate spectabilis, Antiochiæ promovetur Episcopus. Petrus autem Pityos relegatus, custodes eludit, & ad Sanctum Theodorum, Euchaitarum tutelarem, profugit.* Ibi delituit hæreticus Petrus usque ad ann. 485. quo Sedem Antiochenam tertio invasit.

Interim Stephano post tres annos defuncto successit alter Stephanus anno Christi 481. Evagrius libro tertio capit. 10. *Petro Antiochena Ecclesia exturbata,*

to, *Stephanus Sedem illius capessit*. Non meminit Joannis, quia ab occupata tyrannice post Petrum Sede, statim exturbatus fuit, nimirum post tres menses. Theophanes ad ann. Incarnat. secundum Alexandr. 473. qui Kalendis Septemb. anno Chr. 480. inchoatur: *Hoc anno Stephano Antiochiæ Episcopo fatis functo*, *Stephanum* (1) *alterum*, *Zenonis Imperatoris jussu*, *in ejus locum ordinaverunt*: *quem fidei perduelles*, *pro sua in Petrum Fullonem propensione*, *in amentiæ subsidium furorem armantes*, *in S. Martyris Barlaham Baptisterio acutis calamis perfossum & necatum*, *in Orontem fluvium projecerunt*. *Zeno porro facinus attentatum ulturus*, *Acacio Constantinopolis Præsuli*, *ut Antiochiæ crearet Episcopum*, *mandavit*: *qui consecravit Calendionem*: *Antiochenses ordinationis factæ nescii*, *Joannem cognomine* (2) *Codonatum*, *sibi præfecerunt*: *quem Episcopum Calendionpostmodum in Tyri Sedem*, *quæ post Antiochiam prima est*, *transtulit*.

Calendion igitur anno 482. ab Antiochenis admissus, Ecclesiæ suæ scissuras sarcire curavit, & primum quidem Sancti Eustathii Episcopi Reliquias Philippis in Macedonia Antiochiam transtulit. Theophanes anno Incarnationis secundum Alexandrinos 481. Christi 488. (non suo scilicet : nam Calendion anno 485. dejectus fuit: adeoque id factum inter annum 483. & 484.) *Hoc anno Calendion Antiochenus Episcopus Eusta-*

(1) De hoc Stephano juniore, non de primo intelligenda sunt ea Theophanis verba ad ann. Incarn. secundum Alex. 470. Stephanus autem communi Petri Fullonis sequacium suffragio Antiochiæ designatus Episcopus, apud Zenonem quasi Nestorianus accusatur: quem tamen velut ab imposito crimine alienum Orientalis Synodus Imperatoris mandato Laodiceæ congregata, suæ Sedi restituit. Auctor Libelli Synodici de Laodicena Synodo anno 481. vel 482. habita. „ Qui vero Petri studiosi erant, tamquam Nestorianum illum (Stephanum juniorem) insimulabant: & „ Imperatori Zenoni persuadebant, ut divinam & sanctam Laodiceæ Synodum cogeret. Quæ quum falso accusatum ab impiis Stephanum comperisset, solio eum Antiochiæ restituit. Qui vero falsum dogma profitebantur, non longo tempore interposito, ita maxima ex invidia accensi, B. Martyrem Stephanum arundinibus acutis instar hastarum confixum, interemerunt, & in profluentem Orontem fluvium demerserunt.

(2) Is erat Joannes, quem Petrus Fullo Apamensibus Episcopum præfecerat, quique Fullone ejecto, Sedem Antiochenam invaserat, a qua post tres menses exturbatus fuerat. Hunc Antiocheni Schismatici, post martyrium Stephani Patriarchæ junioris, iterum sibi præfecerunt. Sed adveniens Calendion jam Constantinopoli consecratus Patriarcha, eum Tyriorum præsulem fecit.

Eustathii Magni Reliquias Philippis, ubi sanctus exul obierat (non Philippis, sed (1) Trajanopoli in Thracia obierat, sed inde corpus Philippos in Macedonia translatum fuerat) *transtulit*; *tota Antiochiæ Civitate ad duodecimum milliare in occursum cum plurimo honore effusa*. *Qui vero sancti causa ab Ecclesia se resciderant*, *annis ab ejus obitu exactis centum*, *iterum se ei sociaverunt*. Deinde quum Trisagium hymnum alii cum Petri Cnaphei Appendice, alii purum sincerumque canerent, ambas partes conciliare cupiens, præmitti instituit Cnaphei Additamento, vocem hanc, *Christe Rex*, qua significaretur *de Christo*, seu Deo homine facto, ter Sanctum illud canticum dici: quod Theodorus Lector lib. 2. disertis verbis affirmat: *Scribit etiam* Theodorus, *eundem Calendionem*, *Ter sancto hymno adjecisse*, Christe Rex, *propter eos qui adjecerant Appendicem illam*: Qui crifixus es pro nobis. Hoc & Nicephorus lib. 15. cap. 28. tradit: sed & Theophanes ad ann. Incarn. secundum Alexandr. 482. Chr. 490. (loco non suo) multa congerit de Calendione & Petro Fullone, quæ ad annum 484. & sequentes pertinent, & librarii fortasse errore Appendicem a Calendione adjectam, ad Fullonem refert: his verbis. *Imperator Zeno a tyrannis se opprimentibus liber*, *Calendionem Antiochensium Ecclesia expulit*, *& Oasim relegavit*, *atque Petrum Fullonem in Sedem restituit*. *Nestorem autem Romanum Chalcedonis*, *Eusebium Samosatenum*, *Julianum Mopsvestiæ*, *Paulum Constantinæ*, *Manum Hemeriæ*, *& Andream Theodosiopoleos Præsules*, *specie quidem collati in tyrannos favoris*, *sed revera* διὰ τὸ ἑνωτικὸν ζήνωνος, *concordiæ Zenonis ab eis rejectæ causa*, *dignitate moveri jussit*. *Petrus autem Fullo Antiochiam ingressus*, *multa nefanda perpetravit*, *ut puta Synodi execrationes*, *Episcoporum abrogationes*, *noxiorum intrusiones*, *ordinationes illegitimas*, *& his similia*. *In primis autem Ter sancto hymno addidit*, Rex Christe, qui pro nobis crucifixus es, Χριστὲ Βασιλεῦ, ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς; *reversus idem sustulit verba* Χριστὲ Βασιλεῦ.

(1) Vide Pagium ad ann. 482. n. 13. & seq.

λοζ, Rex Christe. *Xenajas porro Satanæ mancipium, Domini Sanctorumque Imagines proscribendas & amoliendas docebat. Erat is genere Persa, fortuna servus, & a proprio domino sub Calendione profugiens, Vicos Antiochiæ propinquiores, nondum Baptismi lavacro expiatus, Clericum se fingens, a vero fidei sensu deturbabat. Et Calendion quidem exitium exterminaverat. Petrus autem Fullo Hierapoleos Episcopum consecratum, appellaverat Philoxenum: eumque demum Baptismo nondum initiatum comperiens, ejus Ordinationem Baptismi defectum supplere sanxit.* De Xenaja, alias Philoxeno, Episcopo Hierapolitano sive Mabugensi, Monophysitarum antesignano, vide a me observata Tom.2.Bibl. Orient.a p.10.ad 46.

Henoticum decretum a Zenone Imperatore fuit promulgatum anno Chr. 482. de quo hæc Pagius ad eum annum num. xxi. *In eo non aliud symbolum admittendum decernit, quam Nicænum: approbat duodecim Sancti Cyrilli capitula: Nestorium & Eutychem damnat anathemate: de Dioscoro silet, ne Alexandrinos offendat: Synodum Chalcedonensem & fidei definitionem in ea editam, ac Epistolam S. Leonis ad Flavianum, silentio premit: imo damnat anathemate Sanctam Synodum, si exposita in hoc suo Edicto fidei contraria sit. Cæterum fidem Concilii Chalcedonensis reipsa profitetur, & anathema iterat in hæreticos omnes, præsertim in Nestorium & Eutychetem.* Rigidiores Catholici edictum illud rejecerunt, tamquam fidei orthodoxæ injuriosum: molliores receperunt, quasi pro bono pacis. Hæretici Monophysitæ triumpharunt, perinde ac si sectæ suæ magis, quam orthodoxæ fidei faveret; neque hic steterunt, sed ulterius progressi, disertum anathema in sacram Synodum & in eos qui Christum in duabus & ex duabus naturis profiterentur, tulerunt. Evagrius lib.3. cap.30. de Henotico edicto. *Et nonnulli quidem Episcoporum cuncta quæ in illo Concilio* (Chalcedonensi) *exposita fuerant, pertinacissime defendebant: neque in ejus decretis vel ullam syllabam remittere, ac ne unius quidem literæ mutationem admittere sustinebant; sed magna cum fiducia rece-*

recedebant ab iis, qui decreta illius Concilii minime suscipERENT, nec illis communicare ullo modo sustinebant. En ardentiores Catholici, in quorum numero erat Calendion Antiochenus, & cæteri Episcopi a Zenone dignitate amoti, eo quod Henoticum non admisissent, uti supra dictum est. Pergit Evagrius. *Alii vero Chalcedonensem Synodum ejusque decreta non modo non suscipiebant, verum etiam illam una cum Leonis Epistola sub anathemate damnabant.* En rigidiores hæretici, in quorum numero ponendus est Petrus Fullo, qui ejecto in exilium anno Christi 483. Calendione, Antiochenam Sedem tertio invadens, ea peregit, quæ supra ex Theophane sunt narrata. Evagrius: *Alii Zenonis Henotico mordicus inhærebant: idque tametsi inter se dissiderent, de una, aut de duabus naturis: hi quidem compositione Imperialium literarum decepti, illi vero paci & concordiæ magis studentes: adeo ut totius Orbis Ecclesiæ in varias factiones divisæ essent, ac ne Antistites quidem sibi mutuo communicarent. Hinc multa dissidia in Orientis & Occidentis partibus, & per Africam extiterunt.* En remissiores Catholici, & hæretici, quorum hi quidem in animo decreta Synodi damnantes, unam in Christo naturam profitebantur, illi vero & Synodum in corde admittebant & duas in Christo naturas prædicabant: sed palam & publice, Henoticum admittentes, de una vel duabus naturis silebant. Zeno Imperator, & Acacius Constantinopolitanus Patriarcha, hoc postremum hominum genus cæteris præferebant.

Quod autem Theophanes de Trisagio scribit, cui primum Petrus Fullo adjecerit, *Christe Rex*, deinde hanc appendicem sustulerit; hoc oscitantiæ Librariorum tribuendum est: nam textus Theophanis, additamentum illud, *Christe Rex*, Calendioni tribuit, quod additamentum Petrus Fullo, Calendione ejecto, sustulerit. Sic itaque legendum est: *πρότερον δὲ ὁ Καλανδίων τῷ Τρισαγίῳ προσέθηκε, Χριστὲ Βασιλεῦ, ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, Πέτρος δὲ πάλιν ἐλθὼν, περιεῖλε τὸ Χριστὲ βασιλεῦ. Prius autem Calendion Tersancto Hymno addiderat*, Rex Christe, qui pro nobis crucifixus

xus

xus es. *Petrus vero reversus* (iterum Antiochenam Sedem invadens) *sustulit ea verba*, Rex Christe. Retinens eam tantum Appendicem, quam ipse olim excogitaverat, *Qui crucifixus es pro nobis*.

Pagius contendit, Petrum Fullonem non ante ann. 485. (Calendione ejecto) a Zenone Imp. Antiochiam missum fuisse. *Acacius* (inquit) *Cpûs Episcopus, quum in Synodo Romana a Felice III. anno* 484. *habita se damnatum comperisset, ad deteriora conversus, Calendionem Antiochenum Episcopum e Sede deturbari, ac in exilium agi in Oasim; Petrum vero Fullonem in illam Cathedram restitui ab Imperatore Zenone curavit. Hinc Auctor historiæ Eutych. his verbis opus suum absolvit*: Quibus rebus habita Synodo commotus Beatissimus Papa Vitalem & Misenum ab officio & communione suspendit: Acaciumque damnavit (anno scilicet 484.) *cujus audaciam deteriora committens, etiam Petrum Antiochenum, ejecto Catholico Calendione, quem ipse ordinaverat, ad Antiochenam misit Ecclesiam*. Quare Calendio sedit annos IV., ut legitur in Chronico Nicephori & in tabulis Theophanis; non vero unum aut alterum, ut perperam Baronius anno 482. num. 4. & seqq. & anno 483. num. 5. & seq. autumavit. Et post pauca. *Porro Theophanes citatus Calendionis exilium cum anno Incarn. secundum Alexandr.* 482. *male alligavit*. In eundem errorem impegit auctor Libelli Synodici a Pagio ad ann. 485. n. 14. laudatus: qui sub falso titulo: *Synodi Alexandrinæ Petri Mongi*, Antiochenam Petri Cnaphei describens, sic ait: *Zenon igitur Imperator, Illo & Leontio captis, adversus Episcopos Orientis se convertit, & Clandione (Calendione) Antiocheno in exilium acto in Oasim, Petrum Fullonem denuo restituit: qui heretica convocata Synodo, sacram Chalcedonensem Synodum anathemate notavit, & multis cum sceleribus Xenajam Hierapolis Episcopum designavit, genere Persam, Baptismi expertem, conditionis servilis fugitivum, & hæreseos Christianos accusantis Ducem acerrimum*. Cætera idem Pagius loc. cit. summarium ejus Synodi recitans, *Zenon* (inquit) *Calendione Antiocheno*

no in exilium acto in Oasim, *Petrum Fullonem denuo restituit*. Et reliqua: omissis nempe iis verbis, *Illo & Leontio captis*, *adversus Episcopos Orientis se convertit*. Quæ verba apud Theophanem sic leguntur: *Imperator Zeno a tyrannis se opprimentibus liber*. Nimirum, ab Illo & Leontio, qui tyrannidem anno Chr. 482. Antiochiæ arripuerant, uti idem Pagius notat ad eund. ann. 482. num. 18. tametsi Marcellinus in Chron. id factum post biennium refert sub Coss. anni 484. his verbis: *Illus natione Isaurus*, *dignitate Magister officiorum*, *amputata apud Comitatum auricula*, *Orientem*, *Zenoni infestus*, *invasit*. *Porro tum Leontio tyrannidem arripuit*. Theophanes ad annum secundum Alexand. 473. Chr. 481. *Illus Patricius*, *Leontio reliquisque comitibus ad Papurii castellum profectus*, *Verinam Augustam ex custodia Tarsum Ciliciæ eductam*, *extra Urbis muros*, *ut Leontium Patricium Imperatorem coronaret*, *effecit*. *Scripsitque Domina Verina sacram ad Antiochenos Syros*, *ut Leontium Imperatorem susciperent*, *ac insuper ad omnes Orientis*, *Ægypti*, *atque Libyæ præfectos sacras etiam dedit*, *ut Leontium Imperatorem agnoscerent*, *nec ulla ratione contra obstarent*. Et ad ann. Alexandr. 476. Christi 484. *Hoc anno Leontius tamquam Imperator Antiochiam ingressus est mense Junio*, *Indictione septima*. Et mox. *Zeno vero Joannem Scytham cum ingentibus copiis terra marique Illum & Leontium oppugnaturum misit*, *exin gravi certamine commisso*, *Illus & Leontius cum Pamprepio Magistro*, *in Papuriam Castellum fugam arripuere*. Demum ad ann. Alexandr. 480. Chr. 488. *Hoc anno Illus & Leontius plurimis belli laboribus exantlatis*, *& obsidione perpetua in Papurio Castello clausi*, *fratris uxoris Secundi a Zenone in hunc finem missi proditione tandem capti sunt*, *& debellati*. Quod etiam confirmat Marcellinus in Chron. sub Coss. anni 488. sic scribens: *Leontius interea Rex & Illus tyrannus*, *in Papyrio Isauriæ Castello capti*, *debellatique sunt*. Quamobrem, si verum est, quod Zeno Imperator, *Illo & Leontio* captis, Calendionem ejecit, & Petrum in ejus locum Antiochiam misit;

misit, id factum oportuit, non anno 485. sed 488. Aut igitur delendum est, *Illo & Leontio captis*, aut dicendum, *Illo & Leontio fugatis & in Castellum Papyrium sese occludentibus*, idest ann. 484. quod verosimilius puto; nam eo anno exeunte, quum Zeno Antiochiam recepisset, id perpetrare potuit, saltem ineunte anno sequenti, quod de Calendione ejecto, & Cnapheo intruso, narratum est.

Pergit porro auctor Libelli Synodici (quamquam sub falso titulo Synodi (1) Alexandrinæ) Beatus igitur Felix veteris Romæ Episcopus, quum ab „ orthodoxis Orientis Episcopis, Petri impietatem cognovisset, per Quintianum Arculianorum Episcopum, „ divinam & sanctam convocans Synodum, Fullonem deponendum curavit. Quin & ipse Felix, Romæ divina & sancta convocata Synodo, depositionis Libellum Fulloni misit „. Pagius ad ann. 485. n. 4. „ Ex „ ejectione Calendionis e Sede Antiochena factum, ut „ Eutychianis hæreticis aditus panderetur, & in locum „ Catholicorum Antistitum subrogarentur hæretici, ut „ testatur Gelasius Papa tum in Epistola ad Episcopos „ Dardaniæ, tum in ea quam ad Episcopos Orientales „ scripsit. Hanc calamitatem quum Felix PP. accepisset, Synodum Episcoporum Romæ hoc anno (485.) „ coëgit, cujus superest Epistola (2) Felicis ad Zenonem Augustum ordine v. recitata Tom. 4. Concil. „ pag. 1070. & a Baronio anno 483. num. 71. & seq. „ Ea nunciat Felix Imperatori, Fullonem Synodali judicio, sententia anathematis condemnatum, ideoque „ ab ejus communione abstinendum esse. Hortatur præterea eundem Imperatorem, ut Fullonem depositum ex Antiochena Ecclesia expellat. Hujus Epistolæ „ initium est: *Convenit clementiæ tuæ* „. Præterea supersunt Epistolæ Græco-Latinæ diversorum Orientalium Præsulum ad Petrum Fullonem, in quibus propter Appendicem illam ab ipso excogitatam, *Qui crucifixus es pro nobis*, acriter redarguitur. Et primo quidem Quintiani

(1) Labb. Concil. Tom. 5. p. 280.
(2) Græc. Lat. Tom. 5. Concil. Labb. p. 163.

tiani (1), Eraclianorum sive Ereulianorum Episcopi, cujus init. *Multifariam multisque modis, carissime, a veritate deviasti*: subjunctis XII. Anathematismis. Secundo (2) Epistola *Justini in Cilicia* (non in Sicilia) Episcopi: *Quoniam non oportet Additionem Crucis esse in Trisagio, ut non inducas duos filios*. Init. *Oportet militem armari contra bellantes*. Tertio, Epistola *Antheonis* (3) *Episcopi Arsinoës*, ad Petrum Episcopum Antiochiæ: Quoniam non oportet Additionem Crucis in Trisagio adjungere, illam scilicet: Qui crucifixus est propter nos, quam hæretici apposuerunt. *Multum valde sum angustiatus super te, frater honorandissime*. Quarto, Epistola *Fausti Episcopi* (4) *Apolloniadis* ad eundem Petrum. *Quoniam jam permissum est, primos pungi ab his quibus postremo mysterium Dei revelatum est*. Quinto Epist. Pamphili (5) Episc. Abydorum ad eundem Petrum. *Filiorum meorum dilectissime, amarum excitas me luctum emanare*. Sexto Epist. (6) Asclepiadis Episcopi Trallium ad eundem Petrum: *Ecce, carissime, impletus est mundus scandalo appositionis tuæ*: subjunctis IX. Anathematismis.

His Epistolis (quas synodicas fuisse, certum est) intermiscetur Epistola *Acacii Archiepiscopi ad Petrum Archiepiscopum Antiochenum*: quod non oportet ponere in Trisagio illud, *Qui crucifixus es propter nos*. Initium (7): *Obstupuit cælum, & tremuit terra: mota sunt autem & fundamenta sanctæ Dei Catholicæ Ecclesiæ: luctus & ploratus apprehendit Sacerdotes Christi in his, quæ ego, & Sancta Synodus hic secundum Dei nutum congregata, audivimus fieri a te, Frater*. Duæ insuper Epistolæ Græco-Latinæ, sub nomine Felicis Papæ ad eundem Petrum, quarum prima (8), inscribitur: *Felix Episcopus, Petro Episcopo Antiochiæ*. Init. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrimarum*? Altera (9): *Ad eundem, qua deponitur & anathemati-*

(1) Ibid. p. 219. (2) Ibid. p. 225. (3) Ibid. p. 238.
(4) Ibid. p. 235. (5) Ibid. p. 239. (6) Ibid. p. 241.
(7) Ibid. p. 229. (8) Ibid. p. 151. (9) Ibid. p. 159.

matizatur. Init. *Quoniam importabilibus verbis impie garrulasti, & non judicasti cedere prædictis Sanctis Patribus, qui ornarunt Sedem beatæ memoriæ multum triumphantis Ignatii Martyris*. Verum tres hasce Epistolas non ad ann. 485. pertinere, sed ad ann. 478. quo Synodo Romana sub Simplicio Papa, & Constantinopolitana sub Acacio celebratis, Petrus Fullo primum damnatus fuit, luculenter ostendit Pagius ad ann. 478. a num. 5. qui etiam ad ann. 485. a num. 16. Valesii argumentis respondet, qui falsas esse ac suppositítias illas omnes Epistolas esse coutendit.

Jam vero, ut ad Trisagii hymni historiam redeam, Simplicius Papa (1) in Epistola, quam anno 478. ad Petrum Fullonem scripsit, sic habet de ejusdem Hymni in Ecclesiam invecti Epocha. „ Nempe si ex humana „ traditione manasset hæc laus, non ita incaute crucem „ insereres laudi, in qua Filii appellatio, *Fortis* scilicet, „ ponitur. Quoniam vero ab Angelis nobis laus ista „ profluxit, qui ante Crucem dicebant, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*; sicut respicere Isaias meruit; post „ Crucem vero cum laude clamabant, *Sanctus Deus*, „ *Sanctus Fortis*, *Sanctus Immortalis*. Denique quum „ terræmotu Constantinopolis quateretur, populusque in „ campo oraret, infantulus, toto populo spectante cum „ Proclo Civitatis Episcopo, in cœlum per unam ho„ram raptus est, ibique hujusmodi didicit hymnum. „ Rursumque descendens, nunciavit quæ in æthere au„dierat, dicens, de cœlo, quasi de multitudine psal„lentium, hujusmodi laudes insonuisse auribus suis, di„ctumque sibi, ut eam laudationem populo indicaret. „ Quam ubi populi inceperant, Civitatem receperunt, „ Deoque per hujusmodi laudem propitio facto, ab im„minenti ira liberati sunt. At tu quam temere, ut Scri„pturas divinas reliquas, ita & Angelorum laudem per„vertere præsumpsisti? Hæc Simplicius Papa. Eodem anno

(1) Extat falso inscripta Felici Papæ Tom. 5. Concil. Labb. pag. 151. ὅτι οὐ δεῖ προσθεῖναι ἐν τῷ τρισαγίῳ, ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς. „ Quod non oporteat addi in „ Trisagio: Qui crucifixus es pro nobis.

anno 478. Acacius Episcopus Constantinopolitanus ad eundem Petrum Cnapheum scribens, eandem narrationem repetit. „ Extra hierarchicum ordinem, & alienus factus es ab (1) ovili Christi. Non solum enim „ Cherubicum hymnum corrupisti, per quem & nostra „ Civitas firmata est, quum olim moveretur ab interioribus terræ motibus, puero infante ad aëra rapto in „ conspectu totius Civitatis usque ad tertium cœlum, „ quemadmodum divinus Paulus, ibidem hanc ineffabilem „ Hymnologiam, in qua hora in campo multitudo cum „ lacrimis exclamabat, *Domine miserere*, ad Deum simul „ cum Sancto Proclo patre nostro Archiepiscopo hujus „ regalis & a Deo amatæ Civitatis. At tu enim multis „ modis conaris contraria sapere non solum Sanctarum „ Synodorum, quæ in hac regali Civitate, & quæ in „ Chalcedone, sed & divinarum Scripturarum, non volens secundum ipsarum traditionem dicere, Christum „ unigenitum Filium Dei passionem sustinuisse carne, „ ideſt, secundum carnem, secundum traditionem verticis Apostolorum „. Cetera. Simplicio Papæ & Acacio Episcopo adstipulantur duo alii Episcopi anno 485. quorum primus Quintianus Erculianensium Episcopus in Synodica ad Petrum Fullonem Antiochiæ Episcopum, data enno Chr. 485., docet & ipse, sub Proclo Trisagium Hymnum fuisse decantari cœptum. „ Has duodecim depositiones (*inquit*) ideſt Anathematismos misi „ tibi, ut terræfactus istorum judiciis, removearis ab „ omni tua iniqua novitate; sciens, quod oportet sequi „ revelationem Smi Procli Constantinopolitanæ Ecclesiæ „ Episcopi, quando in campum cum toto populo cucurrit, fluctuante ipsa Civitate sub terræmotu, & omnibus fletum emittentibus, repente puerum in aëra „ levari a quadam virtute, & huic imponi Trisagium Litaniæ, & dicere: Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, miserere nobis: Et hæc annunciare Episcopo jussus est: sicque per tres horas in tribunali stans secus pedes ipsius Episcopi, hæc narravit:

(1) Tom. 5. Concil. Labb. p.231.

„ vit : Et sic postquam Litanias fecerunt, stetit terræ „ motus. Sic ergo & tu Litanias fac, & pausabit ira, „ quæ contra te proferenda est. Si autem non, veniat „ super te depositio a Patre nostro Felice. Custodiet au„ tem Deus mundum a scandalis „. Alter est Asclepiades Trallium Episcopus, qui in Epist. ad eundem Petrum eodem anno 485. data : „ Tua ergo (*inquit*) ad„ ditio Crucis in Trisagio apposita, impia blasphemia „ est. Verumtamen & post hos Sanctos Patres, quum „ graves terræ motus Civitatem Constantinopolitanam „ occupassent, magnus & parvus, dives & pauper, ser„ vus & liber, extra Civitatem in Campo secedentes, „ concurrerunt, frigoribus (1) & hieme ibidem perdi „ malentes, quam cum ipsa Civitate obrui. Quibus ubi „ Deus parcere clementer dignatus est, revelavit Beato „ Proclo Trisagium acclamare, quum ipsi ad propulsan„ dam iram Litanias facerent. Et hoc clare non uni, „ vel duobus notum fuit, sed toti mundo.

SECTIO III.

S. Joannis Damasceni testimonium de Trisagii origine, deque Appendice ei non adjungenda.

HUc accedit testimonium S. Joannis Damasceni, qui de Fide Orthodoxa lib. 3. cap. 10. de Hymno Trisagio sic scribit: *Quæ quum ita sint, appendicem illam, quam Petrus Cnapheus seu Fullo, Trisagio hymno adjecit, impiam esse statuimus, ut quæ quartam inducat personam, ac Dei Filium, vim illam nimirum Patris vere subsistentem, seorsim collocet, & seorsim rursus eum, qui Cruci affixus est, ac si ab illo* Forti *diversus esset, vel Trinitatem Sanctam passioni obnoxiam opinetur, Patremque ac Spiritum Sanctum in crucem agat. Procul sit blasphema hæc, & adulterina nugacitas. Nos quippe illud*, Sanctus Deus, *de Patre accipimus, non quod ipsi soli*

(1) Favent hæc verba Theophani scribenti Terræmotum durasse per 4. menses, idest, a 25. Septembris ad 26. Januarii.

soli divinitatis assignemus nomen : nam & Filium & Spiritum Sanctum Deum agnoscimus . Itidem illud , Sanctus Fortis , *Filio tribuimus : non quod Patrem & Spiritum Sanctum virtute spoliemus . Ac denique illud* , Sanctus Immortalis , *Spiritui Sancto adscribimus ; non ut Patrem & Filium ab immortalitate excludamus ; sed ut in unaquaque persona , omnia divina nomina simpliciter & absolute sumamus* . Et paucis interjectis . *Nam quod non de Filio dumtaxat , sed de Sancta Trinitate dictus sit ter sanctus hymnus , testantur divinus facerque Athanasius , Basilius , & Gregorius , ac totus Patrum a Deo afflatorum chorus , nempe quod sancta illa Seraphim per trinam sanctitatem , tres superessentialis divinitatis personas nobis indicent ; per unam autem dominationem , unam divinæ Trinitatis substantiam imperiumque declarent* . Et mox . *Jam vero narrant Ecclesiasticæ* (1) *historiæ Scriptores , quum plebs Constantinopolitana , Proclo Archiepiscopum agente , minaci quadam immissa divinitus tempestate conterrita , supplex Deo preces adhiberet , puerum quemdam e plebe in sublime raptum , Angelis quibusdam magistris , Trisagium hunc hymnum didicisse* , Sanctus Deus , Sanctus Fortis , Sanctus Immortalis , miserere nobis . *Quumque loco suo puer redditus id quod didicerat , retulisset , multitudinem universam hymnum hunc cecinisse , atque hoc pacto imminentem calamitatem quievisse . Quin in sancto magnoque & universali illo Concilio , quod Chalcedone coactum est , ita cantatus fuisse hic hymnus traditur ; quemadmodum in Sanctæ hujus Synodi Actis recitatur . Quamobrem ridiculum prorsus & ludicrum fuerit , canticum istud Trisagium ab Angelis acceptum , ingruentiumque malorum depulsione firmatum , quod*

(1) Quosnam Scriptores Ecclesiasticæ historiæ designet Damascenus , ad oram libri Quienus adnotat sic : „ Trisagii traditio sub Proclo Pontifice . Felix III. & alii „ Episcopi ad Petrum Fullonem . Theophanes ad annum 5930. Atqui Damascenus quum Theophanis Chronographiam videre nequiverit (scripta enim fuit circa ann. 800. , Damascenus autem quinquaginta circiter ante annis obierat :) consequenter iis verbis respicere non potuit , nisi Epistolas Felicis Papæ & aliorum ad Fullonem , in quibus historia Trisagii sub Proclo narratur . Nam de ea historia silent antiqui Scriptores , Socrates , Evagrius , & Theodoretus . Ac proinde Quienus sibi non constat , dum hic quidem Epistolas illas a Damasceno citari significat ; alibi vero eas esse supposititias cum Valesio affirmat .

quod conferta Sanctorum Patrum Synodus comprobavit, quin & Seraphim pridem cecinerant, velut quo tres Deitatis personæ exprimerentur, Cnaphei iniqua opinatione, quasi ille Seraphim antecelleret, pedibus proculcari, aut saltem emendari. Prob insignem arrogantiam, ne dicam amentiam! Nos vero (rumpantur licet etiam dæmones) ita dicimus: Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, miserere nobis.

Eadem repetit Damascenus *in Libello de recta sententia*, quem ex Codic. Vat. 1262. descriptum, Leo Allatius a se missum Joanni Auberto *in Symmictis testatur*, cum hoc titulo, *ἴσον λιβέλλȣ ὑπαγορευθέντος ὑπὸ Ἰωάννȣ τȣ̃ Δαμασκηνȣ̃, ἐπιδοθὲν δὲ παρὰ Ἠλία ἐπισκόπȣ Πέτρῳ μητροπολίτῃ Δαμασκȣ̃*, *Exemplar* (1) *Libelli dictati a Joanne Damasceno, ab Elia vero Episcopo traditum Petro Metropolitæ Damasci*. Ubi num. v. sic habet: *Præterea confiteor Trisagium hymnum designare tres Deitatis hypostases, unamque substantiam, & unum dominatum. Quamobrem adjectionem insani illius Petri Fullonis nequaquam admitto. Aut enim Trinitati crucifixionis passionem affingit, aut quartam Trinitati personam profane inserit*. Et in *Libello*, *velut ex persona Petri sanctissimi Episcopi Damasci ad Episcopum Daræ Jacobitam*, quem ex Vaticano Codice Græco 493. Quienus edidit, addito supplemento ex Arabica translatione; cujus initium: *ȣ̓δὲ τὸ καλὸν καλὸν, ὅτε μὴ καλῶς γένηται*, Damascenus hoc ipsum quod supra in orthodoxa fide tradiderat, verbatim repetit. „ Quocirca (*inquit n.* LXXXV.) „ adjectionem quoque Trisagio hymno factam blasphe- „ mam esse decernimus, ceu qua Trinitati quarta per- „ sona inseratur, & seorsim ponit subsistentem Dei vir- „ tutem, seorsim eum qui crucifixus est, ac si alius fo- „ ret præter illum *Fortem*: vel qua Trinitas sancta lau- „ detur ceu passibilis, unaque cum Filio crucifigatur „ Pater & Spiritus Sanctus: vel qua denique Spiritus „ Sanctus *Immortalis*, passibilis significetur. *Et n.* LXXXVI. „ Fer-

(1) *Pariculum*. Ita apud Quien. Tom. 1. S. Joan. Damascen. edit. Venet. 1748. pag. 390.

„ Fertur in libris historicis, Proclo Patriarcha Con-
„ stantinopolitano, quum populus illic supplicaret pro-
„ pter Dei quamdam comminationem, raptum e plebe
„ puerum, hymnum hujusmodi, Angelis docentibus, di-
„ dicisse, *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Im-*
„ *mortalis*, *miserere nobis*: quem etiam canere jussus
„ est: Id quod revelatum erat, confirmavit eventus:
„ simul enim atque cecinerunt, ira cessavit. *Et num.*
„ LXXXVII. Ridiculum ergo est, & ludicrum, canticum
„ Trisagium, quod Angeli olim, postmodumque do-
„ cuerunt, quod cessatio inflictæ plagæ comprobavit,
„ quod Sancti Patres testimonio suo confirmarunt, di-
„ vinitatem trium personarum declarare, insana arro-
„ gantia Petri Fullonis modo quodam conculcari. Sa-
„ crum siquidem Hymnum illum, pallii instar, repur-
„ gare se putans splendidioremque reddere, acsi Sera-
„ phinis foret sapientior, adjectione Trisagium infersit,
„ adversus Spiritum Sanctum veluti leges sanciens. O
„ supremam arrogantiam, ne dicam insaniam! nos ve-
„ ro, rumpantur licet dæmonibus ilia, sic dicimus:
„ *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Immortalis*,
„ *miserere nostri*.

Idem Damascenus in *Epist. ad Jordanum Archiman-dritam*, eo quod acceperat, *Anastasium Abbatem Mona-sterii S. Euthymii*, de hymno Trisagio aliter sentire: qui illud canticum ad Filium Christum Dominum referebat: iterum tradit, & eum Hymnum ad Trinitatem dumtaxat esse referendum, & illum sub Proclo Episcopo Cpño ab Angelis revelatum fuisse. Accipe ejus verba.
„ Ad hunc (1) etiam modum sub Beatissimi Procli Pon-
„ tificatum ex divina revelatione Trisagium hymnum
„ cecinerunt: *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus*
„ *Immortalis*, *miserere nobis*; nempe quum puerum ex
„ media solemnes supplicationes habentium turba ra-
„ ptum fuisse ajunt, subvectumque virtute quadam An-
„ gelica in aërem, carmen istud didicisse, sedatamque
„ tempestatem testimonio fuisse, quantum in hoc hy-
„ mno

(1) Apud Quienum Tom. i. pag. 487.

„ mno divinitatis eſſet. Eadem etiam mente diviniſſi-
„ mus ſexcentorum & triginta Patrum chorus illum ce-
„ cinit. *Et paulo* (t) *ſuperius*. Una ter ſancta natura
„ divinitas, quia tres hypoſtaſes ſunt. Non ter Sanctus
„ eſt Pater, quia unica perſona. Non ter Sanctus eſt Fi-
„ lius, quia una quoque perſona. Non item ter Sanctus
„ Spiritus Sanctus, quia una perſona. Sanctorum Patrum
„ chorus Spiritum Sanctum, & modis omnibus Sanctum,
„ ex imis præcordiis ſimul una voce proclamat; at ter
„ Sanctum illum concini, in nullo prorſus eorum libro
„ hactenus invenimus. Cnaphei hoc deliramentum eſt,
„ qui ingenti tumens arrogantia, aperto, ut dicitur,
„ capite (quod quidem impudicarum mulierum impru-
„ dentiam exprimit (ac ſi ipſiſmet Seraphim ſapientior
„ foret, ac myſteriorum intelligentior, Triſagium hy-
„ mnum, tamquam inelegantem pannum quemdam,
„ Fullonum more, expurgare veritus non eſt. Etenim
„ ſi ter Sanctum hymnum de Filio ſolo dicamus, *λέ-
„ λυται τὸ ἀμφίβολον, καὶ ἡμεῖς ἀνενδοιάστως παροινήσομεν
„ προσθέμενοι τῷ Τρισαγίῳ τὴν σταύρωσιν. ἀλλὰ μὴ γένοιτο
„ διὰ χειλέων τοῦτο ἄγειν ἵλεῳ τυχόντι Θεῷ, θάνατος αἱρε-
„ τώτερος*, omnis prorſus ſublata eſt ambiguitas, & nos
„ indubitanter tamquam ebrii peccabimus, crucifixio-
„ nem Triſagio adjicientes. Verum abſit, ut vel la-
„ biis hoc uſurpemus, propitius nobis ſit Deus, optan-
„ da potius mors eſt.

Idem Damaſcenus initio hujus Epiſtolæ, *Anaſta-
ſium Abbatem*, virum cæteroquin orthodoxum, redar-
guit, quod Triſagium hymnum ad Chriſtum referret:
quum ad Trinitatem dumtaxat referendum eſſe dicat.
„ Novimus (*inquit ad Jordanum Archimandritam*) quam
„ recte de fide ſentias: non nos fugit, quo divinorum
„ eloquiorum deſiderio tenearis ... ſed o rem miſe-
„ ram, Pater, o rem miſeram! Qui fit, ut Eccleſiæ ho-
„ ſtis hanc ſemper turbare contendat: quodque gravius
„ eſt, per ipſoſmet pietatis alumnos? etenim frater
„ noſter religioſiſſimus Abbas Sergius, gentilis meus, fa-
„ mi-

(t) Ibid. pag. 485.

„ miliaris & amicus, per literas, quas ingenuus frater „ noster Abbas Job attulit, me certiorem fecit, Abbatem Anastasium, præclarum illum Monasterii (1) Sancti Euthymii præpositum, nonnulla ex Sanctorum Patrum libris loca protulisse, quibus scilicet Trisagius „ hymnus ad Filium dumtaxat referatur. Quo quidem „ concesso, nihil erit, quod prohibeat, quin lues illa, „ quam maligne Cnapheus invexit, omnes penitus inficiat. Ceterum miror, ac valde miror, si hæc ita „ sint: rursum demiror, si ita non sint. Nam & rectam „ venerabilis illius viri, Anastasii dico, fidem perspectam habemus; ejusque tum in sermone, tum in virtute, quæ in actione sita est, præclaras dotes haud „ ignoramus: ac rursum quam a mendacio accusator „ alienus sit, plane novimus. Quum enim Dei amantissimus sit, ipsique vivat, eum adduci potuisse, non puto, ut mendacio suo in insontem virum, eximiisque „ virtutibus ornatum calumniam strueret: quod utique „ animum nostrum non parum vexavit. Multis autem „ idem Sergius per venerabilem Abbatem Job, germanum suum fratrem, eum condemnavit, ursitque, ut „ absque mora, quid de hac re sentirem, sibi significarem. Illud vero etiam adscripsit, Anastasium hoc affirmare, nos quoque huicce sententiæ annuisse, eamque „ calculo ac suffragio nostro comprobasse. Id quod plane majore me stupore perculit. Protulerat nobis loca (nec enim mentiar) quæ Sanctorum probatorumque Patrum esse pronunciavimus. Quod vero ex iis „ Trisagium hymnum ad Filium solum referri constaret, „ minime consensimus. Quin & beatissimum quoque sanctæ Christi Dei nostri Civitatis Patriarcham, divinis-

(1) Ita habet textus Græcus Damasceni. At Quienus per errorem in Oriente Christiano Tom. 3 de Patriarchis Hierosolymitanis num. LIX. pag. 290. eum vocat *Abbatem Monasterii* S. Theodosii. Ibidem notat, Joannem Hierosolymorum Patriarcham anno Justiniani Rhinotmeti restituti primo, idest, Christi 705. juxta Theophanem fuisse inauguratum; sedisse annos 30. obiisse anno Chr. 735. Adeoque hæc Damasceni Epistola scripta sit, oportet, paulo post annum 735. mortuo jam Joanne Patriarcha, uti disertis verbis dicitur. Gul. Caveus in hist. liter. asserit hanc Epistolam scriptam anno 749. ad Anastasium S. Euthymii Cœnobii Abbatem, extinctam Petro Fullonis de Trisagio hæresim in lucem revocantem.

„ fimum Joannem, Deique hominem, ejufdem fecum „ fententiæ fuiffe afferit, hocque in caufa effe, ut fuam „ hac in re mentem aperuerit. Quam ob rem operæ pre- „ tium duximus, ut colendæ propter Deum fanctitati „ tuæ hæc perfpecta fierent, nec, quid fentiamus, no- „ ftrorum quifpiam ignoraret. Id quippe ufitatum nobis „ eft ac familiare „. Mox totus in eo eft, ut oftendat, Trifagium de Trinitate a Seraphim dictum effe, & ab Ecclefia dici, non ad Filium Chriftum Dominum noftrum referri. Demum concludit. „ Hæc, diviniffime „ Pater, columna & fundamentum veritatis, ut omni- „ bus Patribus, Fratribufque, & univerfo Ecclefiæ cœ- „ tui recitentur, obfecramus, verbifque placidis roge- „ tur venerandus Pater nofter ac Dominus Abbas Ana- „ ftafius, inclytus facri Monafterii Sancti Patris noftri „ Euthymii Præpofitus, ut ejufmodi contentioni finem „ imponat, Deique afflatu correptorum Patrum vefti- „ gia premens, nobifcum dicat: *Sanctus Deus* & Pa- „ ter: *Sanctus Fortis*, Filius Dei incarnatus, & pro „ nobis crucifixus carne: *Sanctus Immortalis*, Spiritus „ Sanctus: unus Dminus Sabaoth, *miferere nobis*. Non „ nos deinceps accufet, nec Beatum Patriarcham Joan- „ nem, quafi certum habeamus, de una dumtaxat divi- „ na Perfona Trifagium hymnum dicendum effe. Quif- „ quis enim ita fentiat, fordidi Cnaphei fe focium præ- „ bet. Quis enim Beatiffimi Patriarchæ Joannis men- „ tem me melius novit? Nullus: quippe qui, ut vera „ loquar, nullam unquam fpiritualem doctrinam efflavit, „ quam mihi, ceu difcipulo fuo, non commendaverit. „ cur de viro jam mortuo quique amplius loqui non „ valeat, talia divendunt? nihil fane hæc funt, nifi præ- „ textus, & colores quidam, nihil firmi habentes. De- „ finant obtrectare homini divino zelo ornato, quique „ rectæ doctrinæ ignem mofchumque fpiravit; celebratif- „ fimo, inquam, Joanni, omnis vocum novitatis ex- „ terminatori & interemtori, qui Theologiam cum San- „ ctis Patribus communem femper habuit. Quin zelum „ potius ipfius complectamur, eumque uti facrum & il- „ luftrem virum laudibus profequamur. Ita-

Itaque documenta a nobis hactenus producta ostendunt, & Trisagium hymnum (1) ex Seraphico desumtum esse, & in Ecclesia vel Apostolica traditione, vel saltem ante S. Basilii Magni tempora usurpatum, & Procli Episcopi Constantinopolitani ætate miraculo rapti in aëra pueri confirmatum, & in Concilio Chalcedonensi decantatum, & a Petro Cnapheo Antiochiæ Sedis invasore adjecta illa Appendice deformatum. Eundem denique Cnapheum ob adjectionem illam, *Qui crucifixus es pro nobis*, ab omnibus illius temporis orthodoxis tam Latinis, quam Syris, & Græcis, anathemate damnatum fuisse, tum anno 478. tum anno 485. Idque quatuor potissimum ob rationes. Nam (quemadmodum Tom. I. Biblioth. Orient. pag. 36. observavi) Petrus Cnapheus seu Fullo, quatuor errores in illa Appendice occultabat, vel saltem ex eo additamento, *quatuor errorum in suspicionem vocari poterat a Catholicis, quibus ejus mens haud perspecta esset, ut ei exprobrant Simplicius ac Felix III. Romani Pontifices, Acacius Constantinopolitanus, aliique Episcopi, qui ad eundem acres literas miserunt. Primum, quod tribus Personis passionem & in cruce suspensionem tribueret, dum Trinitati subjicit:* Qui crucifixus es pro nobis. *Deinde, quod Spiritum Sanctum passum ac mortuum esse pro nobis diceret, quum post verba illa,* Sanctus Immortalis, *quibus proprie Spiritus Sanctus exprimitur, proxime additur:* Qui crucifixus es pro nobis. *Tertio, quod duos Filios constitueret; alterum, qui medius inter Patrem & Spiritum Sanctum ponitur: alterum, qui seorsim a tribus nominatus, pro nobis passus invocatur: qua ratione pro Trinitate, Quaternitas indu-*

(1) Quienus in Damasceni lib. 3. de orthodoxa fide cap. 10. not. in illud: *narrant Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores*, de Trisagio sub Proclo Episcopo Constantinopolitano decantato. „ Nicephorus Callistus lib. 13. hist. c. 51. Hymnum hunc, ut „ & præclarum alterum, quem Græci vespertinis horis canunt, quique incipit, „ φῶς ἱλαρὸν, *Jucundum lumen &c.* ab ipsis Apostolis acceptum refert. Scriptor vitæ „ Basilii Magni, qui Amphilochius Iconiensis esse dicitur, narrat c. 14. Sanctum Do„ ctorem hymnum eundem Trisagium Nicææ aliquando recitasse. Profecto hic au„ ctor vetustissimus est, qui in Deitate tres quidem personas, unam vero hypostasin „ confiteatur. Jobius Monachus apud Photium Cod. 222. Damasceno prævertat, „ ut assereret, Trisagium hunc hymnum esse desumtum ex his verbis Psalmi 41. „ *Sitivit anima mea ad Deum Fortem vivum*, adjuncto Cantico Seraphico, *Esai. 6.*

inducitur. Quarto denique, quod solum Filium, ad quem totum illum Hymnum cum Appendice sua retulit, passionis ac mortis legibus obnoxium faceret, sine ulla carnis & humanæ naturæ mentione; atque adeo Trinitatis consubstantialitatem dissolveret, quum Filium ipsum & patibilem & mortalem facit, quod negat de Patre & Spiritu Sancto: Uno verbo, Theopaschita vere esset, dum aut totam Trinitatem, aut Spiritum Sanctum, aut Deum Filium, passibilem asserit.

SECTIO IV.

Tum Catholici, tum Hæretici, Petro Cnapheo recentiores Trisagium hymnum ad Christum Dominum referentes, Appendice illa, Qui crucifixus es pro nobis, *utuntur.*

At vero (demta privata ejusdem Fullonis in eo additamento mente, siquid aliud censuit) qui eandem Trisagii appendicem admisere tum Orthodoxi Orientales, tum Hæretici Monophysitæ, longe diversam a Cnapheo sententiam circa eum qui passus & crucifixus dicitur, habebant: eum enim Hymnum non ad Trinitatem, sed ad Christum Deum & hominem referentes, hunc corpore, non divinitate passum & crucifixum asserebant. Hinc S. Ephræm Patriarcha Antiochenus (qui anno Chr. 525. inauguratus, obiit anno 545) vir apprime orthodoxus & Synodi Chalcedonensis propugnator acerrimus (teste Photio in Bibliotheca Cod. 228.) explicat Catholicorum mentem circa usum Trisagii cum illa Appendice. „ Syrus quidem fuit genere (*inquit Photius loc. cit.*) ac sermone, Græcam vero linguam non „ mediocriter calluit. Sed & civiles gessit magistratus, „ e quibus Comes tandem Orientis renunciatus, inde „ ad summam Ecclesiæ Cathedram evectus est. Ferunt „ autem cum alia laude digna gessisse, tum vero eleemosynis elargiendis enituisse. Libros vero varios „ composuit, quorum in manus meas tres inciderunt. „ Om-

„ Omnia pene opera ejus, quæ vidimus, pro Ecclesiasticis dogmatibus pugnant, defenduntque Sanctum Chalcedonense Concilium extra omnem esse hæreticorum reprehensionem. Libro quidem primo initio est Epistola ad Zenobium quemdam Scholasticum Emisenum, Acephalorum labe infectum, missa. Propugnat vero quædam verba (1) calumniis impetita, quæ in Epistola Sanctissimi Leonis Romani Pontificis continentur. Præmittit vero horum verborum disputationi, usum quemdam Trisagii Hymni. Etenim Zenobius a communi segregatus Ecclesia, colorem hunc quæsivit, quod recens divisa esset Ter sancti Hymni sententia. Asserit contra Ephræmius, eumdem Hymnum Orientales Christo Jesu attribuere, & propterea nihil peccare, tametsi adjiciant, *Qui crucifixus es pro nobis*. Constantinopolitanos vero, atque Occidentales, in supremum sacratissimumque bonitatis fontem, consubstantialem Trinitatem, Doxologiam referre: idcirco non sustinere illud addi: *Qui crucifixus es pro nobis*, ac qua passio Trinitati attribuatur. In multis autem Europæ ditionibus, pro illo, *Qui crucifixus es pro nobis*, hoc reponunt: *Sancta Trinitas miserere nobis*. Unde piorum sententia clarius elucescit, ut in Sanctam Trinitatem hoc, *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Immortalis*, accommodent; accurata (2) ac consequenti oratione, illud, *Qui crucifixus es pro nobis* (2) circumscribunt. Sic igitur alteram utramque partem de his sentire atque asserere, quando in cæteris piis dogmatibus nihil depravare comperiantur. Recte vero facere utrosque hic affirmat, neque ullam reperire rationem, cur alterutra reprehendatur, vel in disquisitionem revocetur.

Joannes Maro, sive quisquis est auctor Epistolæ *de Trisagio*, (de quo late disserui Tom. 1. Bibl. Orient. pag.

(1) *Σπουδὴν δὲ ποιεῖται περὶ τῶν ἐπηρεαζομένων ῥημάτων ἐν τῇ ἐπιστολῇ.* &c.

(2) Græc. text. *παραγράφονται*. Non adscribunt, uti Scottus interpretatur, sed *summovent*, *abrogant*, *circumscribunt*.

pag. 518.) *ad eos , qui dicunt nos totam Sanctam Trinitatem crucifigere , quum Trisagio addimus , Qui crucifixus es pro nobis* , sic respondet. Objicit Anonymus Syris orthodoxis : „ Sanctam Trinitatem ab iis prædicari „ crucifixam, quoties Trisagio subjiciunt : Qui crucifi- „ xus fuisti pro nobis . *Respondet Auctor Epistolæ* : Unum „ de Trinitate dumtaxat carnem induisse , & crucifixum „ fuisse , qui est Dominus noster Jesus Christus ; non „ totam Trinitatem; quandoquidem nec tota Trinitas in- „ carnata est : & ad illum unum , non ad totam Trini- „ tatem , Syrorum mentem referri , dum Trisagium hy- „ mnum canunt . *Reponit Anonymus* . Cur ergo Sancti „ Patres Petro (*Cnapheo scilicet sive Fulloni*) anathe- „ ma dixerunt ? *Respondet Auctor* : Quia ille Quaterni- „ tatem personarum inducere moliebatur , Judæum Ne- „ storium æmulatus , & Passionem divinitati tribuit. „ Quapropter ejus gregales Theopaschitæ dicti sunt . Sy- „ ros vero ab utraque insania distare . *Rursus instat Anonymus* . At verba ab Hæreticis male usurpata omnino „ vitanda sunt . *Respondet Auctor* . Si huic regulæ insi- „ stendum foret , omnes sacras Scripturas oblitterari pro- „ scribique oporteret . Quamobrem , ut monet Cyrillus „ in Comment. ad Eulogium , non omnia , quæ ab hæ- „ reticis usurpantur , sunt rejicienda ; in plerisque enim „ hæretici nobiscum loquuntur ; sed ipsorum mens erro- „ rem intendit , quem nos minime intendimus .

Hinc apparet , Syros orthodoxos , licet Trisagio Hymno particulam illam , *Qui crucifixus est pro nobis* , addiderint , ab hæresi tamen Theopaschitarum abhorruisse . Sed & Monophysitas antiquiores , recentioresque Jacobitas eadem circa Trisagium cum Catholicis sensisse , & modo sentire , liquet ex homilia 125. Severi Antiocheni , quæ extat in Codicibus Nitriensibus 33. & 34: (quorum memini Tom. 1. Biblioth. Orient. pag. 572. & scripti sunt , primus quidem anno Græcorum 872. Christi 563., alter vero anno Græcorum 1243. Chr. 932.) liquet pariter ex Dionysio Barsalibæo Commentar. in Liturgiam S. Jacobi , cujus verba supra recitavi : liquet demum

demum ex Dialogo Davidis Episcopi Jacobitæ, quem pro gente sua adversus Græcos scripsit: ubi sic ait Græcus: „ Satis prolixe es hactenus loquutus, o Syre, com„ mendans illud, *Qui crucifixus fuisti pro nobis*: nec „ animadvertis, quando ter repetis, *Sanctus Deus*, ter „ a te dici Trinitatem: quando vero subdis: *Qui pro* „ *nobis crucifixus fuisti*, Trinitatem crucifixam prædi„ cari. Cedo, ostende, ubi scriptum vos Syri inveni„ stis, Trinitatem fuisse crucifixam? Et a quonam ex „ Patribus hoc didicistis? *Syrus*. Unum de Trinitate „ ain' incarnatum & hominem factum; an totam Tri„ nitatem? *Græcus*. Unum de Trinitate dico, non to„ tam Trinitatem fuisse incarnatam. *Syrus*. Ergo si unus „ ex Trinitate incarnatus & homo factus est, & non to„ ta Trinitas, unum de Trinitate crucifixum, & non „ totam Trinitatem prædicamus: quoniam qui carnem „ non suscepit, nec in crucem agitur. Et nos, o Græ„ ce, non, ut modo ajebas, totam Trinitatem crucifi„ gimus; sed unum de Trinitate pro nobis crucifixum „ profitemur: neque totam Trinitatem cogitamus, quando „ dicimus, *Sanctus Deus*, &, *Qui pro nobis crucifixus* „ *fuisti*; sed unum de Trinitate, qui est unus Dominus „ Jesus Christus, Unigenitus Dei Filius, ex Patre natus „ ante omnia sæcula, lumen de lumine, Deus verus de „ Deo vero, qui propter nos homines, & propter no„ stram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est „ de Spiritu Sancto, & ex Maria Virgine, & homo fa„ ctus est: Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pila„ to, secundum doctrinam 318. Patrum. Et quando ora„ mus, dicimus, *Sanctus Deus*, qui Deus quum sis, „ propter charitatem tuam factus es homo. *Sanctus For*„ *tis*, qui quum omnia virtute tua portes, in assumpto „ corpore infirmus apparuisti. *Sanctus Immortalis*, qui „ quum natura immortalis sis, voluntariam mortem in „ carne pro salute nostra subiisti. Te pro nobis fuisse „ crucifixum fatemur, & non inficiamur: ob tuam in„ cruce mortem miserere nobis.

In eodem sensu intelligendum, tum Trisagium, tum

ei

ei additamentum factum a Petro Fullone, *Qui crucifixus es pro nobis*, luculenter exponit Xenajas Philoxenus, qui Episcopus Hierapolis circa ann. 485. ab ipso Petro Antiochenæ Sedis post relegatum Calendionem invasore ordinatus est. Ait enim in Epistola 1. ad Monachos Gaugalenses, loquens de hisce dictionibus, *Unus de Trinitate*, & *Deus passus* (Tom. 2. Biblioth. Orient. pag. 35.) *Nequaquam mortuus est spiritualis, ut spiritualis, neque passus est Deus, ut Deus. Passus est autem, quia corpus assumpsit: mortuus est, quia mortalium socius factus est.* Et adhuc expressius in Epist. 2. ad Monachos Teledenses, loquens de ipso Trisaglo. *Quemadmodum & universa Dei Ecclesia in Hymno canit*: Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, qui crucifixus es pro nobis: *sic & vera credit Ecclesia, sic & linguæ quas veritas movet, exclamant: eundem scilicet Deum Verbum, qui natura immortalis est, corpore pro omnibus crucifixum; non autem corpus, aut hominem extra ipsum, in crucem sublatum.*

Ex quibus palam fit, non eodem sensu appendicem illam Trisagii, *Qui crucifixus es*, a Monophysitis receptam esse, quo ei a Petro Fullone primitus inserta dicitur: ut nimirum tribus personis divinis, sive divinitati ipsi, quæ una est in tribus personis, passio & in cruce suspensio tribueretur. Unde ut observat Petavius lib. 5. de Incarn. cap. 4. reprobata est ab Ecclesia statim ab initio præfata Appendix, *magis ad corruptoris mentem Venenis istis* (quatuor scilicet quæ supra recensui) *aut omnibus aut quibusdam imbutam, quam ad ipsam verborum conceptionem, quæ vindicari per se facile posset ab multiplici hac invidia diffidentium invicem hereseon* (Nestorianorum & Monophysitarum) *quas simul complecti dicitur.*

Valesius lib. 1. observat. Ecclesiast. ad Evagrium cap. 5. scribit, clausulam a Fullone adjectam hymno Trisagio in Orientalibus Ecclesiis perpetuo deinceps usurpatam fuisse a Catholicis Sacerdotibus, licet Constantinopolitana Ecclesia, & pleræque Occidentalium illam reje-

jice-

jicerent, subditque: *Certe Ephræmius Patriarcha Antiochenus, quem Catholicum fuisse constat, adhuc sua ætate passim in omnibus Orientis Ecclesiis clausulam illam cani solitam esse, testatur in Epist. ad Zenobium Scholasticum: nec ullum dissidium inter Orientales & Occidentales hujus rei causa extitisse, quum Orientales quidem hymnum illum Trisagium ad Christum referrent; Occidentales vero eum referrent ad Trinitatem*. Hæc Valesius. At Pagius verbis hisce ad ann. 512. n. 13. relatis, subdit: *Addere debuerat Valesius, scribere etiam Ephræmum, Constantinopolitanos atque Occidentales non sustinere illud addi*, Qui crucifixus pro nobis, *nec hoc reponi*, Sancta Trinitas miserere nobis. Error typographo imputandus: non enim Ephræmus negavit ab Occidentalibus admitti, *Sancta Trinitas miserere nobis*: sed disertim dixit: *In multis Europæ ditionibus, pro illo*, Qui crucifixus es pro nobis, *hoc reponunt*, Sancta Trinitas, miserere nobis.

Sirmondus in notis ad Aviti Episcopi Viennensis Epistolam Gundabodo Burgundiæ Regi directam monet, *hæc falso ab Ephræmio de Orientalibus scribi; quum ex Damasceni Epistola de Trisagio compertum sit, veteres omnes semper de Deo Trino, nunquam de Filio solo hymnum hunc accepisse, quem &* Τριαδικὸν *ea de causa nuncuparunt*. Addit Pagius loc. cit. Imo Photius, qui excerpta illa Ephræmi Cod. 228. refert, ait: *Sed sive bene, sive secus de Trisagio hic judicet (facile enim occasio ipsi ita judicandi (1) præceptum dedit) non possum equidem nunc de altera sententia certum ferre judicium, nisi, quod non finit, Scholasticum admonens, ab Ecclesiæ corpore non separari. Paulo ante de Zenobio Scholastico Acephalorum labe infecto Photius dixerat: Zenobius a commun: segregatus Ecclesia colorem hunc quæsivit, quod recens divisa esset ter sancti Hymni sententia*. Verum advertere debuerat Sirmondus ad ipsa Photii verba, ex quibus palam fit, divisam fuisse circa Trisagii usum Ecclesiarum sententiam. Nam de Zenobio quidem, ante-

(1) Error Typographi; leg. *prætextum*.

quam Ephræmii doctrinam referret, hæc ait: *Etenim Zenobius a communi segregatus Ecclesia* (idest, ab orthodoxa, ttum Orientali, tum Constantinopolitana & Occidentali) *colorem hunc quæsivit* (contra omnes orthodoxos) *quod divisa esset ter sancti hymni sententia*. Græcus textus habet: Πρόφασιν ἐδίδε τὴν περὶ τὴν Τρισάγιον δοξολογίαν Καινοτομίαν, *prætextum dabat, novam seu recentem circa Trisagium hymnum divisionem*. Relata autem Ephræmii sententia, qua ab Orientalibus quidem Trisagium Christo Jesu attribuentibus Appendicem illam, *Qui crucifixus es* usurpari, a Constantinopolitanis autem & Occidentalibus eundem hymnum ad solam Trinitatem referentibus, eam Appendicem repudiari docuit, sic concludit, ἀλλ' εἴτε εὖ, εἴτε καὶ ἑτέρως περὶ τοῦ Τρισαγίου διῄτησεν ὁ ἀνὴρ. τάχα γάρ τινα παρεῖχεν αὐτῷ πρόφασιν ὁ Καιρὸς τοιαῦτα διαιτᾷν. οὐκ ἔχω νῦν οὐδὲ ἑτέρᾳ γνώμῃ κρίσιν ἐπιθεῖναι ἀδίστακτον. πλὴν οὐκ ἀνίσι τὸν σχολαστικὸν παραινῶν τῷ τῆς ἐκκλησίας συναφθῆναι σώματι. *Sed sive bene, sive secus de Trisagio hic vir judicavit: facile enim occasio ipsi ita judicandi prætextum dedit: non possum equidem nunc de altera sententia certum ferre judicium, nisi quod non desinit Scholasticum admonens, Ecclesiæ corpori aggregari*. Constat itaque, tum ab Ephræmio affirmari, suo tempore Ecclesiam Catholicam circa Trisagii usum in duas divisam fuisse sententias, Orientalium scilicet, atque Occidentalium una cum Constantinopolitanis: tum a Photio afferi, sua etiam ætate, usurpatum ab Orientalibus ea qua Epræmius exposuit mente Trisagium, a Constantinopolitanis non improbatum fuisse. Alioquin expressis verbis idem ipse improbasset, nec dixisset, *non possum nunc de altera sententia certum ferre judicium*.

Quod autem temporibus illis, quibus Ephræmius scribebat, Ecclesiæ Catholicæ Patres circa Trisagium in diversas sententias abierint, manifestum etiam faciunt, quæ ab Historicis de Anastasio Imperatore, & Macedonio Patriarcha Byzantino narrantur. Theophanes ad annum Incarn. secundum Alexandrinos 503. Anastasii 20.

sii 20. Christi 511. *Hoc anno Imperator Macedonio struxit insidias. Schismatici* (1) *vero turba mercede conducta, in æde ad Palatium Archangelo dicata, & in magna quoque Ecclesia, die Dominico, Ter sanctum hymnum canentes, addidere*: Qui crucifixus es pro nobis. *Ex quo ad eos, etiam adjunctis verberibus, extrudendos, impulsi sunt Orthodoxi. Imperator autem Schismaticorum Monachorum & Clericorum, & Juliani quondam Cariæ, postmodum vero Halicarnassi Episcopi, & impii Severi adhuc Monachum agentis opera, fœdis palam emissis contumeliis, Macedonium oppugnabat. Verum Urbis conferta plebs cum mulieribus & pueris, nec non orthodoxorum Monachorum præfectis, vociferabatur: Adest tempus martyrii: ne patrem nostrum deseramus*. Cetera de Macedonii Constantinopolitani, Flaviani Antiocheni, & Eliæ Hierosolymitani, eo quod Synodo Chalcedonensi anathema dicere abnuissent, dejectione. Anno sequenti, idest, Christi 512. alter tumultus Constantinopoli contigit ob adjectam Trisagio clausulam. Zachariæ Rhetoris narrationem supra recitavi. Alios nunc Scriptores audiamus. Marcellinus in Chronico. „ Die Dominico (*inquit, idest die* 4. *Novembris anni* 512.) dum jubente „ Anastasio Cæsare, per Marinum, perque Platonem in „ Ecclesiæ pulpito consistentes, in hymnum Trinitatis „ Deipassianorum quaternitas additur, multi orthodoxorum pristina voce psallentes, perfidosque præcones „ clamoribus objurgantes, in ejusdem Ecclesiæ gremio „ cæsi sunt, ductique in carcerem perierunt: altera nihilominus die (*quinta scilicet Novembr.*) in atrio S. Theodori, majori cæde Catholici pro fide unica perculsi „ sunt. Quapropter commota orthodoxorum agmina „ die sequenti (*scilicet sexta Novemb.*) idest VIII. Idus

„ No-

(1) *οἱ ἀντισχισταί*. Ita vocabantur Monophysitæ, qui Henoticon Zenonis admittentes, simul Sanctam Synodum Chalcedonensem rejiciebant. Monachi hæretici numero ducenti ab Oriente Byzantium unacum impio Severo transfretati, insidias Macedonio, & Synodo damnationem parabant. Quum Anastasius Macedonium inducere nequivisset, ut Synodum damnaret, occasione tumultuum propter adjectam Trisagio clausulam, & confictis adversus ipsum calumniis, eum noctu per vim eductum Chalcedonem primum, deinde Euchaitam anno 511. deportari jussit, substituto in ejus locum Timotheo.

„ Novembris , (in quo die memoria (1) cineris dudum „ totam Europam tegentis apud Byzantios celebratur) „ in forum Conſtantini undique confluunt , quorum alii „ quidem , cæteris die noctuque hymnum Trinitatis Chri- „ ſto Deo pſallentibus , totam peragrant Civitatem . Cætera apud Baronium legenda . Theophanes ad ann. ſecundum Alexandr. 505. Chr. 512. „ Imperator porro „ Magiſtratuum nonnullis , ut in Sancti Theodori Spha- „ raciorum (*Sporaciorum*) templo ex ambone Hym- „ ni Terſancti ſubjicerent additamentum , præcepit : „ ex quo populus indignatus , ex proceſſionis precibus „ ad Triconchum eo die propter pulverem igneum „ habitis , ſe ſubduxit , quum etiam Timotheus , (*Con-* „ *ſtantinop. Epiſcopus in locum Macedonii ſubrogatus*) per „ libellum ſcriptum edidit , ut Ter ſanctum Hymnum , „ novo miſſo (2) additamento (*leg.* μετὰ τῆς προσθήκης , „ *cum additamento* ,) in publicis proceſſionibus decan- „ tarent . Quod plerique præ metu fecere . Ceterum Mo- „ nachi canticum aliud procedebant pſallentes . Iis con- „ ſpectis exclamavit populus . Bene venerint Orthodo- „ xi . Ex quo tumultus vehemens exortus eſt , multa- „ rum domorum viſa incendia , & innumeræ cædes per- „ petratæ , populi confuſa plebe contumelioſis vocibus „ Anaſtaſium impetente , & alium ad Imperium vocan- „ te , & uno conſenſu , ceu jam declaratum Imperato- „ rem , acclamante Vitalianum : adeo ut fugerit Anaſta- „ ſius , & Blachernis proxime in ſuburbio delituerit ; eum „ vero velut multorum auctorem malorum Ariadna cor- „ ripuerit „ . Ob ſacrum itaque Triſagium , graviſſimi anno 511. & ſequenti , tumultus Conſtantinopoli orti ſunt , quia Anaſtaſius Imperator huic hymno (ſicuti per Orien- tem

(1) Pagius ad ann. 512. n. 8. recitatis hiſce Marcellini verbis , ſubjungit : „ Lo- „ quitur porro Marcellinus de terræmotu , qui anno 447. octavo Idus Novembris „ Conſtantinopolim concuſſit „ . Fallitur vir doctus . De cinere loquitur , non de ter- „ ræmotu . Idem autem ipſe Pagius ad ann. 472. n. XII. ſic ait : „ Veſuvii montis „ eruptio , cujus meminit Baronius , & cujus memoria , Byzantii VIII. Idus „ Novemb. celebratur , ut inquit Marcellinus in Chronico , contigit *Marciano & Feſto.* „ *Coſſ* ideoque anno ſequenti (472.) in quem conſulatus ille cadit.

(2) Error typographicus apud Pagium ad ann. 512. n. 8. Proinde legendum , *non omiſſo additamento : ſive cum additamento* .

tem fiebat) ita & Constantinopoli istam clausulam adjici volebat, *Qui crucifixus es pro nobis*. Id quod neque Macedonius Patriarcha admisit : neque admittenti Timotheo Patriarchæ, Clerus, Monachi, populusque Constantinopolitanus consensit.

Avitus Episcopus Viennensis in Epist. 3. ad Gundobadum Burgundiorum Regem data anno 512. ait : „ Actum
„ est cum Rege Orientis (*idest Anastasio*) anno supe-
„ riore, ut hinc cum Episcopo urbis suæ, quasi levi
„ colloquio & blanda meditatione conferret. Est autem
„ illic consuetudo in Ecclesiis nobilium Civitatum, sup-
„ plicationem cum laude divina inter Missarum solemnia
„ celebrari : quam tanta devotione atque alacritate
„ consonæ plebis clamor attollit, ut credant non im-
„ merito, omnes suffragium sacrificii subsequentis, præ-
„ misso hujus devotionis obsequio, placiturum. Itaque,
„ sicut insusurratum fuerat Principi, & ipse insinuat Sa-
„ cerdoti, nil in querelam venire, nullam fieri de schis-
„ mate mentionem, si hoc quod in ipsa oratione ani-
„ mos aliquantorum movebat, a Principe obsecratus An-
„ tistes, aut juberet, aut permitteret abrogari. Illud
„ moleste quospiam ferre, quod in ima prædicationis ip-
„ sius parte, clametur, *ὁ ςαυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, ἐλέησον ἡμᾶς*,
„ quod Latine intelligitis dici, *Qui crucifixus es propter*
„ *nos, miserere nobis*. Persuadetur Episcopo negligen-
„ ti, nec usque sic docto, ut tantæ Urbis, perindeque
„ totius Orientis, Patriarcham decet. Concipit igitur,
„ atque disponit solemnis hujus præconii incaute defini-
„ tionem facturus : eo maxime effectu, quo res, nec
„ de canonicis scripturis tradita, nec Apostolorum tem-
„ poribus instituta, etiam contra vota populorum faci-
„ le videretur posse mutari. Sed ubi primum Hymnus
„ in Ecclesia cantari solitus, ultima orationis parte
„ truncatus, minus audientibus satisfecit, quidquid pu-
„ tabatur ab Eutychianis hæreticis concipi, potuit to-
„ tum hoc ab Episcopo prædicari. Quis enim fidelium
„ non jure moveretur audiens, crucifixo pro nobis, ut
„ misereatur, minime supplicandum ? Quid multis? Cre-

„ scen-

„ ſcente ſeditionum procella, dum inſiſtit populus, nec „ obſiſtit Auguſtus, antiqua Sacerdos, quodque magis „ dolendum, nec innocens, Sede propellitur „. Poſtea Avitus uſque in finem Epiſtolæ in eos invehitur, qui *nolunt a nobis ei, qui crucifixus eſt, ſupplicari*: putans ſcilicet, Macedonium in ea fuiſſe ſententia.

Recte obſervat Sirmondus in notis ad hanc Aviti Epiſtolam, impoſitum fuiſſe Avito, in eo quod ſcribit: *ſed ubi primum Hymnus ultima orationis parte truncatus &c.* Non enim offendebat orthodoxos Conſtantinopolitanos hæc ultima pars Triſagii detracta, ſed addita; quia Eutychianis favere non poterat, ſi truncaretur; quum illam Petrus Fullo idcirco adjecerit, ut Eutychianam hæreſim ſtabiliret. Nec propterea Hymno hanc addi non ferebant orthodoxi, quod Crucifixo ſupplicandum negarent; ſed quia Deum crucifixum per hanc adſtruebant Theopaſchitæ Eutychiani. Nec denique Chriſto pro nobis crucifixo ſupplicandum quis unquam recte ſentiens negavit; ſed ſupplicationem hanc Triſagio ſubjici non probabant. Avitus itaque de inſidiis adverſus Macedonium ab Anaſtaſio Imperatore, & a Schiſmaticis comparatis, de Macedonii innocentia, & rebus tam adverſus Sanctiſſimum Præſulem, quam adverſus fidem Catholicam in Oriente geſtis non bene edoctus fuerat. Deceptus nimirum tam rumore vulgi, quam Epiſtolis Severi anno antecedenti ſcriptis, in quibus culpam omnem in Macedonium conjiciebat. Severus enim anno 510. (teſte Theophane) unacum ducentis Monachis quibuſdam ab Oriente Byzantium tranſfretatus, inſidias Macedonio, & Synodo Chalcedonenſi damnationem parabat. Anno vero 511. primam illam Conſtantinopoli ſeditionem, quam ſupra narravi, commovit, Anaſtaſium impellens, ut Triſagium cum Appendice decantari juberet: de qua ſeditione Evagrius lib. 3. cap. 44. ſic ſcribit. *Conſtantinopoli quum Imperator in Hymno Triſagio has voces adjicere voluiſſet:* Qui crucifixus es pro nobis; *graviſſima ſeditio exorta eſt, perinde quaſi Chriſtiana Religio funditus everteretur. Hujus ſedi-*

seditionis principem atque auctorem fuisse Macedonium, & Clerum Urbis Constantinopolitanæ, scribit Severus in Epistola ad Soterichum. Quam quidem Epistolam scripsit, quum nondum Episcopatum adeptus esset, eo scilicet tempore, quo una cum aliis pluribus, ut supra retulimus, ex suo Monasterio ejectus est, ob hanc autem calumniam, præter alias causas, quas antea commemoravi, Macedonium Sede sua (post diem 6. Novembris anno 512.) *expulsum fuisse existimo*. Adeptus autem Episcopatum Severus, *mense Septembri anno Chr.* 512. & pulso in exilium S. Flaviano, mense Novembri die 6. ordinatus Antiochenus Patriarcha, tam scriptis, dum Constantinopoli degebat, quam quum Antiocheno throno incubavit, circumquaque Epistolis missis, eam quam supra narravi, calumniam Orthodoxis imputavit, quod nempe illi seditionum auctores fuissent, eo quia, crucifixo supplicandum esse negarent. Hoc pacto deceptus Avitus scripsit, *crescente seditionum procella, dum insistit populus, nec obsistit Augustus, antiqua Sacerdos, quodque magis dolendum, nec innocens, Sede propellitur*. Propterea ait Valesius, Avitum in laudata Epistola, clausulam istam, *Qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis*, ambabus, quod ajunt, ulnis, amplexum fuisse, & hæreticos eos censuisse, qui illam rejicerent. Nimirum, ideo eos hæreticos censebat Avitus (Pagio adnotante) quod existimaret, qui illam rejicerent, noluisse ab orthodoxis ei, qui crucifixus est, supplicari, illosque Eutychianis hæreticis adhæsisse; quum tamen e contrario ideo clausulam illam Orthodoxi respuerent, quod eam Eutychianis favere arbitrarentur.

Addit Valesius, *Ephræmii* & *Aviti* Epistolas convincere falsitatem Epistolarum, quarum mentionem feci, quando de Petro Fullone loquutus sum, ostendens eum ob adjectionem supradictæ clausulæ a Sede Romana & Constantinopolitana damnatum fuisse. Si enim, inquit Valesius, hoc ita esset, *nunquam Appendix illa Trisagii retenta fuisset ab Orientalibus, nec Constantinopolitani & reliqui Occidentales communicare deinceps*

justi-

sustinuissent Orientalibus, qui eam clausulam retinebant.
In hanc sententiam Quienus quoque descendit, quamquam Appendicem illam ab Orthodoxis admitti posse negat, utcumque ad Filium Verbum incarnatum Christum Deum nostrum Trisagius hymnus referatur. Sic enim Admonitione in Epistolam S. Jo. Damasceni de Hymno Trisagio scribit. „ Verum Epistolæ illæ (*Felicis & Simplicii Romanorum Pontificum, necnon Acacii Constantinopolitani, Quintiani, Justi, & aliorum Episcoporum ad Petrum Fullonem:*) Verum Epistolæ illæ
„ cl. Valesio, aliisque adulterinæ visæ sunt, quod etsi
„ confutare nititur vir doctissimus Antonius Pagius post
„ Guillelmum Cave, ad ann. Baronii 483. attamen ad
„ ann. 478. fassus erat, utramque Epistolam ad Fullo-
„ nem, aliamque ad Zenonem, quæ Felicis nomen præ-
„ ferunt, Simplicio potius debere adscribi: quia Felix
„ dudum antequam Cnapheum in Antiochenam Sedem
„ jam tertio irrupisse didicisset, communione & Epi-
„ scopali gradu privaverat Acacium, qui tamen in his
„ literis tamquam legitimus, dilectissimusque Deo,
„ θεοφιλέστατος, Urbis Regiæ pastor & Patriarcha com-
„ mendatur. Enimvero anno 484. anathema dictum] A-
„ cacio fuit, & anno insequenti 485. Petrus, ejecto Ca-
„ lendione Catholico, Antiochenam Sedem recupera-
„ vit. At vero in Epistola, quæ *Quintiani Episcopi* esse
„ dicitur, non Simplicius, sed Felix literas ad Petrum
„ scripsisse fertur. *Multis Episcopis te præmonentibus*,
„ inquit, μάλιστα τοῦ ἁγιωτάτου Ἀρχιεπισκόπου Φήλικος,
„ *maxime Sanctissimo Archiepiscopo Felice*. Ad hæc non
„ capio, impurum Fullonem a Romano Pontifice aman-
„ tissima *Religiosissimi* voce compellari, ἡ σὴ θεοφιλία;
„ Fullonem, inquam, qui Martyrio Antiochenum So-
„ lium eripuerat, subindeque depositus fuerat a legiti-
„ ma Synodo; qui paulo post, indicta causa, Basilisci
„ hæretici tyranni auctoritate Sedem repetierat. Quin-
„ imo Simplicio admodum displicuerat altera hæc ter-
„ tii throni invasio; ita ut Basilisco ad ordinem reda-
„ cto, Acacio statim scripserit, ut a Zenone Augusto
„ obti-

„ obtinerent, Petrum ejusque socios procul amandari.
„ Mandaveram (*inquit in genuina ad Zenonem Epistola*)
„ ut, facta suggestione pietati tuæ, prædictus (*Petrus*)
„ ut & ceteri, qui per occasionem tyrannicæ domina-
„ tionis (Basilisci) invaserant Ecclesias Dei, extra me-
„ tas pellerentur Imperii „. Alia subjungit, quæ satis innuunt, Petrnm ejusque sequaces auctores fuisse necis Stephani junioris Antiocheni. „ Præterea narrat Libe-
„ ratus in Breviario cap. 18. post auctorem Breviculi hi-
„ storiæ Eutychianistarum, Acacium Simplicio una sub-
„ jecisse, ut Petrum, & Joannem Apamenum, & Pau-
„ lum Ephesinum perinde damnaret; imo Felix idem
„ testatur in Epist. ad Clericos & Monachos Orienta-
„ les: *Quos tunc hypocrita Acacius ita fecit ab Aposto-*
„ *lica Sede damnari*,, *ut his etiam vocabulum Christia-*
„ *norum tolleretur*; *quod gesta apud eum manifestant*.
„ Atqui in illis Epistolis nulla horum Petri *sociorum fit*
„ *mentio*. Hactenus Quienus.

Verum, ut ab hoc ultimo incipiam, quod de sociis Petri Cnaphei dicitur, distinguere debuerat Quienus Epistolas Simplicii Papæ & Acacii anno 478. scriptas, ab aliis literis, quæ scriptæ sunt contra Fullonem anno 485. In istis Quintianus asserit Fullonem a Felice Papa damnatum: quod est verissimum: in illis Simplicius quidem Petrum Fullonem semel sic compellat, ἡ σὴ θεοφιλία, *tuus in Deum amor*, sive, *tua religiositas*; sed in tota Epistola eundem tamquam hæreticum acerbissimis verbis traducit. Quod autem nulla in illis Epistolis facta sit sociorum Fullonis mentio, mirum non est: illi enim, utpote Eutychianistæ, jam damnati erant communi cum omnium Synodi Chalcedonensis adversariorum sententia: at vero Fullo quia novam hæresim Theopaschitarum procuderat, novo & singulari decreto damnandus fuerat. Atque hæc dicta intellige de Episcoporum ad Fullonem Epistolis. Non ita Simplicius Papa, qui in Epistola, qua Acacio de damnatione Petri Fullonis, & Joannis Apamenorum Episcopi referenti respondit, quæque extat in Collectione Romana quam edidit Lucas

Holftenius pag. 194. de Joanne hæc habet : *De Joanne quoque Conftantinopolitano, qui ab hæreticis Apamenum Sacerdotium, quod ei, qui Presbyter aliunde fuerat, vel a Catholicis fumere non licebat, fe hæreticum publicavit, & quod in fe perperam factum eft, improperium retorfit in auctorem, expellens ab Antiochia Petrum pervaforem ipfius, tandem Ecclefiam ipfe pervafit; fub anathemate a Chriftianorum confortio vel ipfa appellatione removemus*. Cæterum nemo eft qui non videat, quam levia fint quæ adverfus illas Epiftolas a Valefio. & a Quieno opponuntur; & quam valida argumenta, quibus Pagius oftendit, eas effe genuinas. Hoc unum pro illarum Epiftolarum genuinitate fufficiat, quod S. Joannes Damafcenus dum lib. 3. de Orthodoxa fide cap. 10. fcribit, *Ecclefiafticæ hiftoriæ Scriptores narrare, fub Proclo Conftantinopolitano raptum in aera puerum, Angelis magiftris, Trifagium hymnum didiciffe*, ad illas Epiftolas proculdubio refpicit, in quibus ante ejufdem Damafceni ætatem hæc narratio dumtaxat reperitur, quemadmodum a nobis ad oram libri fupra obfervatum eft.

Ut vero ad argumentum a Valefio productum refpondeam, mirum non eft, retentam fuiffe ab Orientalibus Trifagii appendicem, fimulque confervatam cum illis ab Occidentalibus & Conftantinopolitanis communionem: Recta nimirum Orientalium mens comperta explorataque fuit Conftantinopolitanis & Occidentalibus, quum Synodum Chalcedonenfem difertim admittere fe profiterentur, quum Chriftum Dñum in duabus naturis dicerent, quum demum Chriftum ipfum Deum verum non divinitate, fed carne crucifixum afferent. Hinc non modo ab Occidentalibus Orientales Orthodoxi Appendicem admittentes non funt rejecti; fed etiam non defuere in Occidente docti & Catholici Epifcopi, qui eos qui Appendicem illam non admitterent, pro Orthodoxis non habuerint, uti Avitus Viennenfis Epifcopus fuit. Recte igitur Pagius ad ann. 512. num. 13. Valefio fic refpondet: *Quemadmodum ex Patribus alii, & quidem plures, Chriftum effe creaturam afferuerunt, alii, & ii*

& ii pauciores, præcise negarunt, quia, (ut inquit Petavius lib. 2. Theologic. Dogm. de Incarn. cap. 6.) *priores ad essentiam ipsam & naturam respectum habuere; posteriores ad actum illum per se subsistendi; pari eademque ratione in Fullonis additione, pravo ejus consilio demto, incommodi nihil fuit: ita nimirum, ut post Trinitatis laudationem converso ad Filium sermone, his illis verbis supplicatum sit*: Qui crucifixus es pro nobis. *Quod & Calendionem Episcopum Antiochenum sensisse manifestum est, quando Fullonis additioni præmisit*, Christe Rex. *Et id ab Ecclesiæ usu, inquit Sirmondus citatus, non abhorrere agnoscit Damascenus, quum post Trinitatis Doxologiam, quæ his verbis continetur*, Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, *subjungi sæpe soleat*, ei qui voluntate crucifixus est, & qui resurrexit a mortuis, *quæ ad Filium proprie spectant*. Præterea si Antiochenis, qui a Patriarchis suis, Calendione & Ephræmio, acceperunt, Trisagium ad Christum Filium Dei referre, crimini vertendum est, quod in illa Appendice, *Qui crucifixus es pro nobis*, aut Quaternitatem inducant, aut Divinitati passionem attribuant, aut Christum extra Trinitatem ponant; eadem ipsa calumnia inferri possit Græcis Latinisque, dum post hymnum Cherubicum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt cœli & terra gloria tua*, superaddunt, *Hosanna in excelsis: Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis*: Quum enim prior hujus hymni pars ad Sanctam Trinitatem referatur, & posterior ad Christum, qui venit in *nomine Domini*: dici de utrisque possit, quod aut Christum faciant quartam personam, aut illum extra Trinitatem ponant. Eadem calumnia in Litanias, quibus Sancta Romana Ecclesia utitur, conjici queat, dum post invocatam ter *Kyrie eleison* Sanctam Trinitatem, de Christo statim subjicitur, *Christe audi nos, Christe exaudi nos*. Quin etiam improbanda esset Angelica illa Doxologia, quæ in Apocalypsi cap. 4. describitur de Quatuor Animalibus, *quæ requiem non habebant die ac nocte, dicentia*:

tia : Sanctus , Sanctus , Sanctus Dominus Deus Omnipotens , qui erat , & qui est , & qui venturus est : quæ certe Doxologia de Deo sedente in throno dicitur, deque Christo Agno subjungitur . Nemo enim est , qui nesciat, rectissime prædicari hunc Trisagium hymnum de Christo Deo , Dei Patris Filio , qui erat , & qui est, & qui venturus est : rectissime etiam post laudatas tres simul Unius Deitatis Personas , converso ad unamquamque ex illis Personis sermone , dici posse , *Benedictus Pater* , vel , *Benedictus Filius Christus Deus noster* , vel, *Benedictus Spiritus Sanctus* . Alioquin eadem quoque calumnia in Ritum Latinum retorqueri possit , in quo Ritu ad Offertorium dicit Sacerdos , *Suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem , quam tibi offerimus ob memoriam passionis , resurrectionis . & ascensionis Jesu Christi Domini nostri* : Et in fine Missæ : *Placeat tibi Sancta Trinitas obsequium servitutis meæ &c. per Christum Dominum nostrum* . Cæterum , quod Hymnus Cherubicus *Ter Sanctus* non nisi ad Sanctissimam unius Deitatis Trinitatem referri debeat , uti Græci cum S. Jo. Damasceno contendunt, hoc tum auctoritate Patrum, tum praxi Ecclesiæ Catholicæ falsum esse ostenditur , nam Patres quidem Visionem Isaiæ Prophetæ exponentes , ubi Antiquo dierum in Throno sedenti Seraphim *Ter Sanctus* canebant , aut de solo Patre interpretantur , aut de solo Filio . Vide Commentaria . Sancta vero Romana Ecclesia hymnum Cherubicum in Præfationibus semel ad Sanctissimam Trinitatem in ejus Præfatione refert , semel etiam ad Filium in Præfatione de Apostolis : in reliquis autem Præfationibus semper ad Patrem . Denique Feria VI. in Parasceve in Adoratione Crucis , dum Cantores canunt , *Populе meus* ; quæ certe sunt verba Christi Domini ad Synagogam : Chorus alternatim respondet Græce & Latine , *Sanctus Deus , Sanctus Fortis , Sanctus Immortalis , miserere nobis* : converso nempe ad eundem Christum Dominnm sermone . Demto igitur pravo consilio, sicuti in hymno Cherubico , & in iis , quæ modo ex Liturgia Latina recitavi verbis , ita in illa

illa Additione nihil incommodi æquus Theologus reperiet.

Sed omissa Trisagii Apologia, illius historiam persequamur.

S E C T I O V.

Non in Antiochena Ecclesia tantum, sed etiam in Constantinopolitana, Appendix illa, qui Crucifixus es pro nobis, ab Orthodoxis usurpata.

Quod ad ejus interpolationem attinet (verba hæc sunt (1) Quieni) Calendio Præsul Antiochenus, ut turbas, quas Cnapheus concitabat, sedaret, ante voces istas, *Qui Crucifixus es pro nobis*, duas alias præmisit, χριστὲ βασιλεῦ, *Christe Rex*, quæ veluti versiculi secundi initium forent, ita ut celebrata primum Trinitate, Christi deinde clementia invocaretur. Hoc vero additamentum cum suo auctore, Fullo postmodum pessumdedit, ceterique deinceps Synodi quartæ adversarii canticum retinuerunt, uti fuerat a Petro immutatum. Quocirca Severus horum antesignanus, Julianusque Halicarnassensis, Anastasio Imperatori suggesserunt, ut Macedonium Constantinopolitanum cogat, Fullonis interpolationem admittere; quod quum pro votis non cessit, Macedonio ejecto, Timotheus in ejus locum ordinatur, qui quum illam denuo introducere tentasset, imo edito decreto id Ecclesiis sanxisset, populo ob novitatem, Deipassianorumque hæresis suspicionem tumultuante, coeptis aliquantum desistere coactus fuit. Interim Severus, arrepta sub Anastasio anno Christi 512. Sede Antiochena, Orientalibus persuaserat, ut Trisagium hoc in Christi honorem cum additamento Fullonis recitare pergerent. Fragmenta quædam orationis ejus de hoc argumento recitat Quienus loc. cit. in quibus ait: ἤδη τινὲς εἰς τοῦτο ἦλθον ἀσεβείας, ὡς τῇ τρισαγίῳ ᾠδῇ, ἣν ἀναφέρομεν τῷ σωτῆρι χριστῷ, λέγοντες, ἅγιος ὁ θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθά-

(1) In Admonit. ad Epist. Damasceni de Trisagio.

ἀθάνατος, μὴ ἀναπέμπειν τὸ, ὁ σταυρωθεὶς, *Nonnulli eo impietatis devenerunt, ut Trisagio hymno, quem ad Christum servatorem referimus dicentes, Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, non debere addi dicant: Qui Crucifixus es*: eos enim, qui sibi repugnabant, ceu Nestorianos traducebat. Quum itaque Severus Orientalibus persuasisset Trisagium totum Christo potius cani debere, quam Trinitati, Ephræmius qui paulo post ipsum Antiochenam Ecclesiam rexit, etsi Catholicæ fidei studiosissimus erat, ne turbis seditionibusve occasionem præberet, satius duxit concedere, ut Trisagium ab Orientalibus secundum interpretationem istam cum interpolatione caneretur. Verba ejus repeto ex Cod. 228. apud Photium: *Illi quidem qui Orientis partes incolunt, quia hymnum istum ad Dominum Jesum Christum referunt, idcirco nequaquam peccant apponendo*, Qui Crucifixus es pro nobis. *Byzantini vero, & Occidentales, carmen istud sublimissimo & Sacrosancto bonitatis fonti consubstantiali Trinitati tribuentes, eam ob rem non sustinent ut ea vox qui Crucifixus es pro nobis, interseratur, ne passionem Trinitati affingant.*

Ceterum ex Chronico Alexandrino apparet, paucis post annis, Byzantinos non admodum ab illo additamento abhorruisse: Anno quippe Justiniani VI. Christi 532. quum Epiphanius, vir Orthodoxus, Sedem Constantinopolitanam regeret, Additio illa publice proclamata fuit. *Hoc anno Ind.* xi. *Justiniano Aug.* iv. *Coss. solo, mense Dio, secundum Romanos novembri, die* xii., *factus est ingens terræmotus innocuus Constantinopoli, adulta jam vespera, ita ut civitas universa, in forum Constantini coiret, & supplicationes institueret, diceretque*: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus Immortalis, qui Crucifixus es pro nobis, miserere nobis. *Manseruntque tota nocte insomnes, precibus assidue vacantes. Quum diluculaaret, universus supplicantium populus exclamavit*: Vincit fortuna Christianorum: ὁ σταυρωθεὶς, σῶσον ἡμᾶς, *Crucifixe, serva nos, & urbem nostram. Auguste Justiniane, tu vincas. Tolle, exure, decretum editum ab Episcopis*

scopis Synodi Chalcedonensis : Ἆρον, καῦσον τὸν τόμον τὸν ἐκτεθέντα ἀπὸ τῶν ἐπισκόπων τῆς συνόδου χαλκηδόνος. Absit, ut ita scriptum sit in Chronico Alexandrino : est enim blasphemia adversus Synodum Chalcedonensem, quam neque Justinianus Imp. neque Epiphanius Patriarcha æquo animo tulisset. Est igitur omnino legendum, κατὰ τῶν ἐπισκόπων, *Adversus Episcopos* : ita ut sensus sit : *tolle, exure Tomum editum adversus Episcopos Synodi Chalcedonensis*. Emendationem nostram confirmat subsequens Edictum Justiniani, quod, ut populi votis satisfaceret, promulgavit, de quo edicto hæc habet idem Chronicon. *Die* XX. *ejusdem mensis Dii*, XII. (leg. XI.) *Indictione, sacram suam sanctionem publicavit Constantinopoli idem Imperator Justinianus, misitque Romam & Hierosolyma, & in magnum Antiochenorum urbem Theopolim Syriæ, & in magnam urbem Alexandrinorum in Ægypto, & in Illyriorum gentis urbem Thessalonicam, & Ephesum urbem Asiæ, illud ipsum sacrum suum rescriptum bisce verbis conceptum*, Imp. Cæsar Justinianus &c. *Quum Salvatorem & Dominum omnium Jesum Christum verum Deum nostrum colamus per omnia &c.*

SECTIO VI.

Ut de Trisagio sileretur, effecit olim nova quæstio exorta, de Uno ex Trinitate passo.

AN vero Byzantini Trisagio hymno appendicem illam in posterum adiecerint, nullus quod sciam Græcus scriptor refert. In Concilio Constantinopolitano sub Mena anno Christi 536. celebrato Action. 5. pag. 1155. Edit. Venet. ubi in Sacra Liturgia, Trisagii fit mentio, his verbis : *Magna autem hora ex utraque parte consistentibus & psallentibus hanc Psalmodiam* (Benedictus Dominus Deus Israel &c.) *Cantores supervenientes converterunt se dicere* τὸν τρισάγιον, Trisagium. *Et quum ipsi cœpissent, totus populus quievit & audiebat attentis auribus Trisagium*. Ita & Cyrillus in vita S. Euthymii apud

apud Cotelcr. Tom. 2. Monum. Eccl. Græc. num. 78. pag. 266. *Quumque jam peragenda esset Trisagii Doxologia* & pag. 267. *sicque circa ipsos permansisse ab initio Trisagii usque ad complementum sacræ Liturgiæ*. Et Chronicon Alexandrinum, ubi ad annum 1. Heraclii Imperatoris decantatum in terræmotu Constantinopoli Trisagium narrat, non exprimit, an cum illa clausula; an sine: sic enim habet: *Eodem anno* (*Chr. scil.* 611.) *mense xanthico, juxta Romanos Aprilis* xx. *fer.* 3. *hora* 7. *ingens adeo terræmotus extitit, ut ante Pentecosten die* 22. *populus coactus fuerit supplicationes in Campo peragere, & Trisagium psallere*. Ut enim apud Græcos de Trisagio sileretur. effecit, (uti arbitror) altera eodem tempore sub Justiniano & Justino, exorta controversia *de Uno ex Trinitate*. Post Anastasii Imperatoris obitum, dissidiis in Ecclesia Orientali, opera Hormisdæ Papæ & Justini Augusti, compositis, Johanne Cappadoce Constantinopolitanam Sedem, Paulo Antiochenam, & Johanne Hierosolymitanam obtinentibus; Chalcedonensi fide ubique promulgata, (si Alexandriam, ubi Timotheus hæreticus sedebat, excipias) anno Chr. 519. *Monachi quidam de Scythia* ingentes turbas Constantinopoli moverunt. *Leontius* Monachus, *Vitaliani* Magistri militum Justino Augusto devinctissimi affinis, cum collegis Monachis qui de Scythia Byzantium venerunt, *Johanne* scilicet, *Achille*, & *Mauritio*, hanc sententiam, *Unus e Trinitate in carne Crucifixus est*, omnibus & credendam & defendendam, ad seditionem usque, inculcabat; quin etiam de sua provincia Episcopos accusabat tamquam hæreticos, quod eam propositionem non admitterent, inter quos Episcopos erat Paternus Tomitanæ civitatis Antistes. *Vitalianus* Monachis impensius quoad illud *de Uno ex Trinitate passo in carne*, favebat; Justinianus vero Justini Imper. nepos ea in quæstione eis adversabatur. Hormisda Pontifex Legatos quinque Byzantium eodem an. 519. destinavit, qui Orientalibus rebus componendis manus admoverent: Germanum scil. & Jo. Episcopos, Felicem & Dioscorum Diaconos, & Blandum Pre-

Presbyterum. Monachi Scythæ, quod ab adversariis tamquam Eutychiani per contemptum sese traduci viderent, fidei Libellum Legatis Apostolicis, gravioribus licet negotiis occupatis, exhibuerunt, in quo suam de Christo fidem pluribus exponebant: eo tamen dicta omnia collimabant, ut a Legatis hæc inibi inserta thesis reciperetur: *Unus de Trinitate Crucifixus est in carne*. Legati hisce de rebus nihil se a Pontifice Homisda in mandatis habuisse dicebant; imo aperte sibi injunctum, ne aliis sese causis immiscerent. Verum coacti Imperatoris intercessione, Monachis tandem aures dederunt: quibus sæpius auditis, unaque *Victore* Diacono, alterius factionis primipilo, quo hominum molestia sese liberarent, tale demum responsum dederunt: *Extra Synodos quatuor, extra Epistolas Papæ Leonis, nec dicimus, nec admittimus. Quidquid non continetur in prædictis Synodis, aut quod non est scriptum a Papa Leone, non suscipimus*. Novas enim, præter Synodum Chalcedonensem & præter Epistolas Leonis Papæ theses de Christo populis inculcare, & hunc articulum, *Unus e Trinitate Crucifixus est carne*, uti appendicem Synodo adjicere (ita enim Monachi Scythæ contendebant, aut saltem ita Legati suspicabantur) temeritati atque insolentiæ proximum judicabatur. Hac igitur repulsa Scythæ Monachi in indignationem acti, Romam ad Hormisdam Papam Legationem mittere decernunt: electi *Achilles*, *Johannes*, *Leontius* & *Mauritius*. Constantinopoli subtitit *Johannes Maxentius*, qui inter collegas eruditione eminebat. Ubi primum Monachorum legatos Romam profectos innotuit, statim *Justinianus* Domesticorum Comes, ac Legati Pontificii, literas ad Hormisdam Papam per *Eulogium Magistrianum* miserunt, quibus eundem de iis, quæ in illa quæstione cum Monachis acta essent Byzantii, certiorem reddebant, simulque Pontificem hortabantur, ut Monachos procul a conspectu ex urbe pelleret. Verum Pontifex auditis Monachis, lectisque quæ sibi ab Eulogio tradita fuere Legatorum & Justiniani scriptis, variis consiliis rem cœpit perpendere, neque æquum duxit, Mona-

chos procul a suo conspectu amovere, uti Legati & Justinianus petierant: neque inaudito *Victore*, quem Monachi accusabant, tutum arbitratus est, in re gravissima, quæ tantis utrinque studiis in Oriente agitabatur, sententiam ferre. Quamobrem per Eulogium ad Legatos scripsit: *Preterea Monachos, quos venisse Romam significastis literis vestris, ad propria mox voluimus reverti: sed quia sub certificatione potentiæ divinæ dicebant per insidias in itinere vitæ se posse sustinere discrimen, volentes redire Constantinopolim, passi non sumus violenter expelli.* Quin imo, si Constantinopolim redituri essent, decreverat Pontifex, causam Johanni Constantinopolitano Patriarchæ delegare. Id quod summopere Legatis displicuit: nolebant enim causam ad Johannis tribunal devolvi, quem a *Vitaliano* Scythis acquisitum suspieabantur: hic enim nullum non movebat lapidem, quo Scythæ causa superiores evaderent. Sed & ipse *Victor* ab incepta accusatione destitisse videbatur, *Vitaliani* precibus placatus, vel auctoritate deterritus. Erat insuper tunc temporis Constantinopoli *Paulinus* Romanæ Ecclesiæ Defensor, qui propediem Romam reversurus dicebatur. Ad hunc Vitalianus se confert: Monachos Romæ degentes enixius commendat: Dioscorum unum e Legatis, ex Judice, adversariæ partis Advocatum agere conqueritur: literasque ea de re ad Hormisdam Papam tradit. Justinianum denique adoritur, & non modo illum in partes suas traducit, sed & ab eodem literas obtinet per eundem Paulinum in favorem Scytharum perferendas. Iteratas etiam idem Justinianus, jam totus factioni Monachorum adhærens, ad Pontificem literas paulo post misit, in quibus etiam atque etiam eum rogabat, ut celeriter causa cognita, eosdem voti compotes cum Responso dimitteret. Pontifex, ubi a Paulino in urbem reverso, intellexit, non solum Vitalianum, sed & Justinianum mutata sententia Scythis patrocinari, ex alia vero parte, Dioscori legati Epistola superveniente cognovit, Johannem ab illo tamquam divenditæ Monachis fidei insimulari; integram causam Scytharum pendere jussit usque
ad

ad reditum Legatorum. Quod quum Monachorum Oratoribus qui Romæ aderant, innotuisset, diuturnioris in urbe moræ impatientes, clam se Roma subducere tentarunt. Verum id Hormisda prohibuit, jubens illos sub custodia detineri. Justinianus anno 520. scriptis ad Hormisdam Papam literis: *Quidam asserunt (inquit) Filium Dei Dominum nostrum pro nostra salute carne Crucifixum Unum de Trinitate debere prædicari*. Et mox. *Quidve super hoc evitare debeamus, nos certiorare dignetur. &c. Quia vero dictum est, Scythicos Monachos hac ratione ad Sedem vestram accessisse pro traditione Patrum, & ordine Regularum, præbito eis responso, nihil formidante, ad nos cum vestris literis jubete remittere, quarum etiam exemplaria consignata prædicto viro strenuo Eulogio dari præcipite. Hæc enim omnia ideo petimus vos disponere, cautius, ut ne locus mendacio, vel insidiis detur*. His Justiniani literis in hanc sententiam respondit Hormisda: *Significantes Scythas Monachos allegasse plurima, quæ nos relinquere indiscussa non possumus, sed Legatorum nostrorum, Deo juvante, festinemus adventum; pro qua re eos in Urbe credimus retinendos, a qua nec ipsi ordinatione dissentiunt. Amplitudinem tamen vestram retinere confidimus, quod de ipsis nobis præterito tempore, literis destinatis, scripserit*. Quibus verbis Justinianum perstringit, quod sententiam in Scytharum Monachorum causa mutasset; illum tamen hortatur, ut cum Imperatore agat, quo *Victor*, aliive, qui a Monachis accusabantur, Romam mittantur, ut melius causa tractari possit. Quo igitur tempore Scythæ Monachi Pontificios legatos expectare jussi, longiores moras Romæ trahebant, nobiles suæ ipsorum causæ adstipulatores nacti sunt. Erant in ore famæ Episcopi Africani, qui a Trasamundo Vandalorum Rege Ariano in Sardiniam exules fuerant deportati. E re itaque visum est, eosdem Episcopos misso legato cum Professionis fidei libello in partes pellicere. Quatuor initio quidem Romam a Scythis Oratores missi fuerunt: sed alii insuper in priorum subsidium submissi sunt, quos inter *Petrus Diaconus* emi-

nebat, qui primo etiam loco eorum literas subscribebat; alter etiam *Johannes Lector* eisdem additus legitur in subscriptione libri *de Incarnatione & Gratia* in Sardiniam missi. Communi consensu Libellum in octo capita digestum producunt, eumque per Johannem Diaconum ad Episcopos Africanos dirigunt. In eo Libello usque ad caput quintum inclusive Monachi de Persona Christi Domini suam ipsorum fidem exponunt; capite vero quarto de illa thesi adeo controversa hæc scribunt, *Idem Deus Verbum etiam cum propria carne Unus est ex Trinitate, non quod caro ejus sit de substantia Trinitatis, sed quia caro Verbi Dei est, qui est Unus ex Trinitate.* Defensa autem thesi de Verbo Uno ex Trinitate passo in carne, a capite sexto usque ad finem libri, *de Gratia & Libero arbitrio* quid sentiant, in eodem Libello exponunt, quem libellum sic concludant. *Hæc, sanctissimi, non quasi ignorantibus suggerere necessarium æstimavimus, sed ad confutandam eorum amentiam, qui ea, ut nova dogmata, & penitus Ecclesiis inaudita, refugiunt, huic parvitatis nostræ libello inserere utile consideravimus. Quorum omnium Sanctorum Patrum imbuti doctrinis, anathematizamus Pelagium & Cælestium, simul etiam Julianum Eclanensem, & qui illis similia sapiunt, præcipue libros Fausti Galliarum Episcopi, qui de Monasterio Lerinensi provectus est, quos contra Prædestinationis sententiam scriptos esse non dubium est, in quibus non solum contra horum omnium Sanctorum Patrum; verum etiam contra ipsius Apostoli contradictionem veniens, humano labori subjungit Gratiæ adjutorium, atque totam omnino Christi evacuans Gratiam, antiquos Sanctos non ea gratia, qua & nos, secundum quod docet Beatissimus Petrus Apostolus, sed naturæ possibilitate salvatos impie profitetur.* Hæc illi in Libello fidei: quem Joanne Diacono deferente, quum Africani Episcopi legissent, non modo illorum Monachorum fidem ex integro commendarunt, verum etiam alterum & ipsi volumen pari titulo *de Incarnatione & Gratia* reposuerunt, in quo omnes Scytharum sententias apro-

probarunt, aliisque insuper solidioribus argumentis muniverunt. Hi autem fuere xv. Episcopi, quorum nomina initio Libri recensentur; unius tamen *Fulgentii* Ruspensis stylo volumen illud elucubratum fuisse, ex discipulo ejusdem S. Fulgentii in ejus vita cap. 20. colligitur. Dum hæc in Sardinia scribuntur, Legati Scytharum Romæ ingentes turbas ciebant, universis illam *de uno ex Trinitate passo* sententiam inculcantes. At quum *Dioscorum*, quem hostem infensissimum semper experti fuerant, propediem Romæ adfuturum intelligerent, ne præsentis ac Pontifici Hormisdæ charissimi hominis auctoritate opprimerentur, diuturniorem se Romæ moram facere non posse dictitantes, ex Urbe egressi sunt, quum jugem fere annum, teste Hormisda in Epistola ad Possessorem, &, ut *Maxentius* in Responsione ad eundem scribit, illic quatuordecim menses morati fuissent. Idem Maxentius tradit, Hormisdam veritum, ne præsentem *Dioscorum* convincerent, ejusdem famæ consulturum, missis defensoribus, vi Scythas Monachos ex Urbe expulisse. Sed Hormisdæ Papæ fides habenda: etenim verisimile est, Monachos palam cognoscentes, eum ad ipsorum sententiam nolle accedere, existimasse coram adversante Dioscoro longe duriorem futurum. Quod quidem exitus postea docuit. Neque enim *Justini* Augusti literæ, neque *Justiniani* Epistola hoc ipso anno, Roma egressis Monachis, xv. Kal. Octob. accepta, neque demum Legati Imperatoris anno insequenri (521.) Romam missi, Hormisdæ animum in eam Scytharum sententiam flectere potuerunt. Antequam tamen Monachi Roma evaderent, libellos atque exemplaria, quibus ipsorum de Trinitate, Incarnatione, & Divina Gratia sententia continebatur, ad Principum Statuas appenderunt, ut eo prætextu aliquod receptui velamen esset. Monachis vix Roma delapsis, Hormisda Epistolam Possessoris Constantinopoli datam, *Justino* Diacono delatore, accepit, qua rogabatur, ut quid de *Fausti Rejensis* libris sentiendum foret, perscriberet. Unus hic erat ex Africanis Episcopis, a Trasamundo Rege in exilium missis,

missis, qui Constantinopoli sedem locaverat, ipsi Pontifici optime cognitus. At quum Constantinopoli *Fausti* libri a pluribus defenderentur ut Catholici, *Maxentius* cum Scythis Monachis collegis eosdem ut hæreticos damnabat. Possessoris Epistola Hormisdam amaro in Monachos animo invenit, ob nuperam eorum discessionem data *Idibus Augusti* anno 520. Possessori respondens, in priore ejus parte pluribus in Monachos invectus est, eosque tantum non hæreticos appellavit. *Quorumdam* (inquit) *Scytharum, qui Monachos præseferebant specie, non veritate, professione, non opere, subtili tectas calliditate versutias, & sub religionis obtentu famulantia odiis suis venena pertulimus*. Deinde de Fausti libris consulenti respondens, ait, a Gelasio factam librorum Catholicorum approbationem, nec culpandum, qui Fausti libros legat, sed qui ejusdem opiniones sequatur. Hæc Hormisdæ Papæ ad Possessorem Epistola, in varia esemplaria transcripta, non modo Constantinopoli, verum etiam latius per Europam legebatur: in qua quum Monachi Scythæ arguerentur, nec Fausti libri ut hæretici palam reprobarentur, *Joannes* (1) *Maxentius*, qui adhuc Constantinopoli morabatur, eidem obviam scripto ire ausus est, responsionem prolixam satis procudens, qua Scythis objecta refelleret. Quo tamen liberius in Epistolæ auctorem toto impetu debaccharetur, *Maxentius* negavit, illam fuisse ab Hormisda scriptam; unde omni prorsus modestia deposita, veluti in hæreticam furibundus insiliens, mille conviciorum plaustra evomuit,

(1) Circa *Joannem Maxentium*, Scytharum Monachorum Abbatem, binos errores reperio doctissimorum cæteroqui virorum. Primut est error Vossii, qui lib. 1. c. 23. existimat, Maxentium Monachum non fuisse. Sed hoc (inquit Pagius ad ann.520. n.16.) negari non potest, quum, teste Dioscoro in literis ad Hormisdam, ille se Abbatem vendicaret. Quare eum Monasticam togam induisse, certum & indubitatum. Alter est error Gulielmi Cavei, qui in hist. liter. Joannem hunc Maxentium, Scytham Abbatem vel saltem Monachum, confundit cum Joanne Scythopolitano Antistite, cujus scripta recenset Photius Cod. 95. & 231. Porro Maxentium Virum Scytham, Latinæ linguæ unacum Sociis Monachis, peritum fuisse, phrasis operum, quæ exstant, sive ad Africanos Episcopos, sive adversus Epistolam Sancti Hormisdæ Papæ, demonstrat. Neque enim ea opuscula è Greco in Latinum versa, ut examinanti liquebit. Demum quæ a Scythis Monachis scripta sunt opera, sub Jo. Maxentii nomine recenset Caveus ad ann. 520.

muit. Imo eo usque furoris prolapsus est, ut in hæc impudentissima verba eruperit: *Verumtamen sive ab hoc* (idest Hormisda) *sive a quolibet alio hæc scripta sit Epistola, non est dubium, Auctorem ejus esse hæreticum, qui contentionem verborum & subversionem audientium judicat Christum Filium Dei Unum fateri ex Trinitate.* Eodem etiam charactere describit Possessorem, quod negabat, *Christum Filium Dei Unum esse ex Sancta Trinitate*; deinde sententiam Hormisdæ de Fausti libris, uti mitiorem, reprehendit, quod noluisset Fausti libros tamquam hæreticos condemnare.

Ita Scythæ Monachi perrexerunt suam in Oriente tueri sententiam, quum illam a Romano Pontifice non solum approbari non obtinuissent, sed etiam ab eodem justa fuissent reprehensione notati tum ob eorum pertinaciam, tum quia non expectata Sedis Apostolicæ, ad quam appellaverant, sententia, clam se ab Urbe subduxissent. Et Orientales quidem omnes in eam sententiam *de Uno ex Trinitate in carne passo* pertraxere, Justiniani præsertim Imperatoris opera, qui etiam vivente Justino Augusto ab anno 519. patrocinium illorum susceperat, ut supra vidimus: anno autem 527. inauguratus Imperator, majore eam thesim conatu propugnavit, adeo ut etiam in Trisagio Appendicem illam, *Qui crucifixus es pro nobis*, anno 532. publice decantari permiserit, addito etiam edicto, in quo *Unum ex Trinitate Christum Filium Dei* & confessus est, & ab omnibus per Orientem Ecclesiis ita esse confitendum insinuavit. Extat ejus *Edictum*, datum die 20. Novembris an. 532. (a nobis supra laudatum) in quo æque Nestorii ac Eutychetis & Apollinarii hæresim damnat, de Christo Domino hæc scribens. *Ut enim est in divinitate perfectus; ita idem ipse & perfectus est in humanitate, nam ejus secundum hypostasim seu secundum personam unitatem suscipimus & confitemur: mansit enim Trinitas Trinitas, & post Incarnationem Unum ex Trinitate Dei Verbum: neque enim Quartæ personæ adjectionem admittit Sancta Trinitas: His ita se habentibus, anathematizamus omnem hæresim,* præ-

præcipue vero Neſtorium anthropolatram , & qui eadem cum ipſo ſentiunt vel ſenſerunt , qui dividunt unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium Dei & Deum noſtrum ; & qui non confitentur proprie & ſecundum veritatem ſanctam glorioſam & ſemper Virginem Mariam Theotocon ſeu Deiparam , ideſt Dei Matrem : ſed qui duos Filios dividunt , unum ex Deo Patre Deum Verbum, alterum ex Sancta ſemper Virgine Deipara Maria , gratia & habitudine , & propinquitate quam cum Deo Verbo habet , natum eſſe : & qui negant , nec confitentur , Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium Dei & Deum noſtrum incarnatum & hominem factum , & crucifixum, Unum eſſe ex ſancta & conſubſtantiali Trinitate : ipſe enim ſolus eſt coadorandus & conglorificandus Patri & Sancto Spiritui . Hæc Juſtinianus anno 532. quo anno, ut *Severi* ſectatores , Eccleſiæ Catholicæ reconciliaret , Collationem inter ipſos & inter Catholicos habendam Conſtantinopoli voluit , quam Collationem integram Baronius Annalibus ſuis inſeruit .

Verum non defuere Conſtantinopoli , qui conatibus Juſtiniani ut obſiſterent , contra Scythas Monachos pugnare ſe ſimularunt . Eccleſia Romana (ut vidimus) hanc propoſitionem , *Unus e Trinitate paſſus eſt carne*, pro cujus defenſione tot peregrinationum incommoda totque labores *Scythæ Monachi* devoraverant , uſque ad annum 533. nondum approbaverat. *Acœmetæ Monachi*, qui eiſdem *Scythis* acerrime reſtiterunt , videntes eorum cauſam , Juſtiniano Auguſto patrocinante , ſuperiorem evadere , & tam Epiſcopis Orientalibus, quam Juſtiniano Imperatori propoſitionem illam probari , æmulatione quadam accenſi , Legatos ad *Joannem II.* Papam miſerunt *Cyrum* & *Eulogium* , qui opinionem ſeu errorem, in quem æſtu pugnæ abrepti erant , apud Sedem Apoſtolicam defenderent , ejuſque approbationem a Summo Pontifice impetrarent . *In eo* Acœmetarum *error verſabatur , quod negarent , Unum de Trinitate Incarnatum & carne paſſum , & Beatam Virginem Mariam vere & proprie eſſe Dei Genitricem* . Id quod & Scythæ Monachi

chi palam profitebantur, & Justinianus edicto suo promulgaverat. Itaque idem Justinianus adversus illos Acœmetas misit Romam *Hypatium* Ephesi Episcopum, & *Demetrium a Philippis*, qui Sedem Apostolicam consulerent de his quæstionibus, & fidem Imperatoris, imo totius Orientalis Ecclesiæ, in ipsius ad Romanum Pontificem Epistola expositam approbari obtinerent. Dum Romæ quid in hac quæstione decernendum sit, accurate quæritur, *Anatolius* Romanæ Ecclesiæ Diaconus *Ferrandum* Carthaginensis Ecclesiæ Diaconum consuluit, quæ ejus esset de hac quæstione sententia. Ferrandus in Epistola ad Anatolium, egregie quæstionem illam explicat, ostenditque Propositionem, de qua controversia erat, nullatenus favere Eutychianis, imo tam eorum, quam Nestorianorum errores pariter jugulare. Verba Ferrandi lege apud Pagium ad ann. 533. num. 3. Et sane Joannes II. Pontifex acceptis Justiniani literis ejusque legatione, anno 534. Propositionem hanc, *Unus e Trinitate crucifixus est carne*, examinavit, Fidei professionem literis Imperatoris insertam approbavit, nec non Edictum fidei, quod ante missam legationem promulgaverat, ne *Acœmetarum* Legati aliquam ipsi calumniam struerent. *Proinde* (inquit Pontifex in Epist. ad Justinianum data VIII. Kalen. April. Justiniano Augusto & Paulino Coss. hoc est, anno 534.) *Proinde serenitatis vestræ apices per Hypatium atque Demetrium sanctissimos viros, fratres & Coëpiscopos meos, reverentia consueta suscepimus: quorum etiam relatione comperimus, quod fidelibus populis proposuistis Edictum amore fidei, & pro submovenda hæreticorum intentione, secundum Apostolicam doctrinam, Fratrum & Coëpiscoporum nostrorum interveniente consensu: quod quia Apostolicæ doctrinæ convenit, nostra auctoritate confirmamus*. In eadem Epistola *Acœmetas Monachos* obstinato animo in errore perseverantes, communione privavit, nisi ad sanam mentem redirent: Eademque de causa idem Pontifex literas ad Senatores *Avienum*, *Liberium*, aliosque dedit, in quibus tres sibi ab Imperatore propositas quæstiones testatur,

ſtatur, de quibus diſſidia orta erant. I. *Utrum unus ex Trinitate Chriſtus Deus noſter dici poſſit*, hoc eſt, una perſona de tribus perſonis Sanctæ Trinitatis. II. *An Deus Chriſtus carne pertulerit, impaſſibili Deitate*. III. *An proprie & veraciter mater Domini noſtri Jeſu Chriſti Maria ſemper Virgo, Deipara debeat appellari*. Quas propoſitiones tamquam Catholicæ fidei conſentaneas, ſe probaſſe ſcribit Joannes II. eaſdemque ſubjectis Scripturæ Sacræ & SS. Patrum teſtimoniis confirmat. Denique Vigilius Papa, quum in Trium Capitulorum proſcriptione adhuc conſentire nollet, in Encyclica Epiſtola propoſitionem ſupramemoratam (quam Juſtinianus tanto conatu propugnaverat) approbare ſe teſtatus eſt: *Paſſus*, inquit, *carne eſt pro nobis Dei Filius, crucifixus carne eſt, & mortuus carne eſt*. Eadem etiam propoſitio anno 553. definita fuit in Synodo v. Collat. VIII. Can. IV. & ſeq.

Cur ergo, inquies, ab Hormiſda Papa Monachi Scythæ reprehenſi ſunt, nec admiſſa eorum propoſitio, *Unus ex Trinitate in carne paſſus*. Reſpondet Pagius ad ann. 521. num. x. *Illorum Monachorum obſtinatum ſtudium, quo præconceptæ ſententiæ ad ceterorum uſque contemptum adhærebant, vituperio dignum. Hormiſda enim eam theſim rejiciebat, non tamquam falſam, ſed uti novam, ſeu quæ novo modo exprimebatur; unde quum ambigui plane ſenſus eſſet, in malam partem ab hæreticis trahi poterat. Quare Hormiſdæ ſilentium imperanti, morem gerere debebant*. Hinc recte ab Hormiſda appellati, *contemptores auctoritatum veterum, novarum cupidi quæſtionum, ſolam putantes ſcientiæ rectam viam, quaslibet concepta facilitate ſententiam, eo uſque tumoris elati, ut ad arbitrium ſuum utriuſque orbis putent inclinandum eſſe judicium, nec in numero fidelium deputantes ſequaces traditionis paternæ, ſi ſuæ viderint credere nolle ſententiæ; docti crimina ſerere, obtrectationum venena componere, integrum corpus Eccleſiæ odiſſe, ſeditiones ſtruere, invidiam concitare, & pro obedientia, quæ in Cœnobiis principatum regularis obtinet diſcipli-*

næ,

næ, obstinationem pertinacis amare superbiæ. Non illos potuimus monitis, non mansuetudine, non auctoritate comprimere. In publicum usque prodiere conventum, ad concussionem quietis circa Regum etiam statuas inclamantes, & nisi fidelis populi constantia restitisset, per diabolicæ femina nefanda zizaniæ apud illos dissensionem & discordiam commovissent, per quos adjutorio Dei de Religione eorum est pulsa dissensio.

Veram causam affert Dioscorus Diaconus, cur inculcata a Scythis Monachis ea propositio in suspicionem orthodoxorum venerit. „ Significastis mihi (*inquit in suggestione ad Hormisdam Papam data Idibus Octob. Eutharicho Cos. Accepta xv. Decembr. Rustico U. C. Cos.* idest, data anno 519. & accepta anno 520.) „ Significastis mihi ab illis (*Monachis Scythis*) contestationem datam, ut non mihi hæretici jungerentur. „ Quos dicunt hæreticos, ego ignoro, nisi forte, qui „ Synodum Chalcedonensem suscipiunt, quos ego Catholicos dico. Victor Diaconus dicitur. Quidam cum „ isto, antequam nos Constantinopolim ingrederemur, „ habuerunt contentionem de Uno de Trinitate crucifixo, & de Christo composito, & de aliis capitulis „ a nobis hic positis, obtulerunt contra ipsum Libellum tam nobis, quam Episcopo Constantinopolitano. „ Convenimus in domum Episcopi, ut inter eos intentionem, quæ vertebatur, agnosceremus. Prædictus „ Episcopus Synodum Chalcedonensem protulit: legit „ ante omnes omnia, quæ sunt in eodem Concilio constituta, dicens: Præter ista, nihil mihi aliud dicatur. Qui sequitur ista, potest inter Catholicos esse. „ Victor respondit: Suscipio similiter & Epistolas Papæ Leonis, & S. Cyrilli Epistolas Synodales, quæ sunt „ in Chalcedonensi Concilio allegatæ, & manu subscribo, & sacramentis confirmo ista me suscipere. & „ præter ista nihil aliud prædicare: & si inventus fuero aliquando extra ista aliud prædicans, nullam circa me peto misericordiam. Scythæ e contra inchoaverunt dicere: Addatur & Unus de Trinitate. Nos

„ e contra diximus: Quod non est in quatuor Conciliis
„ definitum, nec in Epistolis Beati Leonis Papæ, nos
„ nec dicere possumus, nec addere. Displicuit hoc di-
„ ctum. Victor autem utrum sincero animo hæc dice-
„ ret, an dolose, quis nosse potest, nisi qui corda co-
„ gnoscit? Verba ista nos audivimus; Dei est animum
„ judicare. Postea sine nobis, magnificus vir Vitalia-
„ nus Magister militum inter se & Episcopum Constan-
„ tinopolitanum vocaverunt prædictum Victorem, locu-
„ ti sunt cum eo: quid definierint inter se, nescimus.
„ Postea nec Victor ad nos venit, nec est causa dicta.
„ Isti tamen Scythæ, sciat Beatitudo Vestra, omnes qui
„ accipiunt Synodum Chalcedonensem, Nestorianos di-
„ cunt, dicentes: non sufficit Synodus contra Nesto-
„ rium; & sic debere Synodum suscipere, quomodo ipsi
„ exposuerint. Qui homines quales sunt, & quales in-
„ tentiones habent, & quid volunt in fide Catholica
„ introducere, cum Dei adjutorio manifestatum est om-
„ nibus Catholicis: nec indiget causa meo labore, quam
„ pro sua misericordia Deus produxit ad lucem. *Et in*
priori suggestione data 3. Kal. Jun. Constantinopoli,
idem Dioscorus Legatus: Et quia ista aguntur, & in his
„ quotidie proficit Ecclesia, insidiator antiquus suscita-
„ vit Monachos de Scythia, qui de domo magistri mi-
„ litum Vitaliani sunt, omnium Christianorum votis
„ adversarii, quorum inquietitudo non parvas moras
„ generavit unitati Ecclesiarum, & magnopere de præ-
„ dictæ Ecclesiæ Antiochenæ ordinatione. Isti Mona-
„ chi, inter quos est Leontius, qui se dicit esse paren-
„ tem Magistri militum, Romam festinant, sperantes
„ aliqua Capitula a Beatitudine Vestra confirmari. Est
„ in ipsis inter cetera ubi volunt dicere, Unum de Tri-
„ nitate Crucifixum: quod est nec in Sanctis Synodis
„ dictum, nec in Epistola S. Leonis, nec in consuetudi-
„ ne Ecclesiastica. Quodsi permittitur fieri, mihi vi-
„ detur dissensiones & scandala non mediocria nasci in-
„ ter Ecclesias. Istud Anastasius Imperator magnopere
„ Catholicis imponere festinavit: Istud & Eutychetis
Disci-

„ Discipuli in Synodo Chalcedonensi proposuerunt. Quia „ quotiescumque Patres de Dei Filio Domino nostro Jesu „ Christo disputaverunt, Filium Dei Verbum, consubstantialem Patris, Homousion Patri dixerunt. Iste „ autem sermo ideo nunquam est in Synodis a Patribus „ introductus, quia proculdubio Catholicæ fidei minime poterat convenire. Cujus sermonis si subtiliter „ attendatur intentio, ad quantas hæreses pateat, & „ quæ mala per eum possint disputationibus Ecclesiastici introduci, quoniam longum est per præsentes insinuare, præterimus. Unde sanum mihi videtur, & utile, & ad pacem Ecclesiarum conveniens, nihil aliud „ responsum dari, nisi, sufficit Sanctum Chalcedonense „ Concilium, in quo & aliæ Synodi continentur: sufficiunt Epistolæ Papæ Leonis, quas Synodus confirmavit. Novitatem in Ecclesia introducere, nec volumus, nec debemus. Est in propositione eorum callida & hæc dicere; nos Synodum Chalcedonensem suscepimus: hoc speramus, ut jubeatis nobis eam exponere, quia non sufficit sic, quomodo est exposita, contra hæresim Nestorianam: non quasi non intelligentes, nisi conantes per subtilitatem ad hoc nos adducere, ut disputetur de Synodo Chalcedonensi. Quod „ si factum fuerit, dubia & infirma ostenditur, & hæreticorum omnium patuit errori. Inter alia, si post Synodum Chalcedonensem, si post Epistolas Papæ Leonis, si post libellos, quos dederunt & dant Episcopi, „ & per ipsos satisfecerunt Sedi Apostolicæ, iterum aliquid novi addatur, sic mihi videtur, quia quidquid „ factum est, destruitur „. Hæc Dioscorus: cujus rationibus inductus videtur Hormisda Pontifex, ut propositionem illam, *Unus de Trinitate*, suspectum haberet.

Quod ait Dioscorus de Anastasio Imp. *eam thesim magnopere Catholicis imponere festinavit*; id Trisagium hymnum respicit; cui Anastasius appendicem illam Petri Fullonis, *qui crucifixus es pro nobis*, subjici volebat. Perinde enim ab ea appendice abhorrebant tunc temporis non-

nonnulli catholici, ac a thesi, *Unus de Trinitate crucifixus*. Exstant Philoxeni Xenajæ, Episcopi Mabugensis sive Hierapolitani, ab eodem Petro Fullone ordinati, *Dissertationes* x. *de Uno ex Trinitate Incarnato & Passo*, a nobis relatæ Tom. 2. Bibl. Orient. a pag. 27. in quibus hæc ait: *Anathema Nestorio & Eutycheti, & Doctrinæ eorum, & discipulis eorum: & omnibus qui ipsis consentiunt, & qui eos ore & corde non anathematizant; & qui non confitentur, Christum Deum Verbum Unum ex Trinitate pro nobis crucifixum*. Sed & Nestorianis placuit eadem propositio. Basilius (1) enim Cilix, ex Antiochenæ Ecclesiæ Presbytero, Episcopus Irenopolitanus in Cilicia, a Photio in Bibliotheca Cod. 42. 95. & 107. laudatus, in libro quem adversus Johannem Scythopolitam scripsit, quemque Leontio cuidam nuncupatum, in libros XVI. distribuit, *libro duodecimo* (apud Phot. Codic. 107. pag. 283.) *docet, Unum e Trinitate passum: & de illo item: si enim cognovissent, non ipsum Dominum gloriæ crucifixissent*. Denique e Catholicis, ante Nestorianum hunc Basilium, & ante Philoxenum Monophysitam, Sanctus Proclus eandem propositionem usurpaverat in Epistola ad Johannem Episcopum Antiochenum, ut auctor est Liberatus in Breviario cap. 10. sic scribens: *Scripsit autem idem Proclus Epistolam ipsi Johanni, cui & Tomum suum direxerat, in qua dicit. Dicentes autem iterum Passibilem Deum, idest Christum, confitemur eum non esse passum quod est, sed quod factum est, idest propria carne: & ita prædicantes, nullo modo fallimur; quoniam quidem & Unum ex Trinitate secundum carnem crucifixum fatemur, & divinitatem passibilem minime blasphemantes*. Quum igitur eadem propositio tam a Catholicis, quam ab hæreticis Eutychianis & Nestorianis adhiberi possit, merito in suspicionem venerint qui ea uterentur, nisi constaret, illos admittere Synodos Ephesinam & Chalcedonensem, & confiteri duas in

(1) Photius in Bibl. Cod. 107. de Basilio Cilice. „ Etsi vero Nestoriana hæresi infectus est, Nestorium tamen sibi nequaquam vendicat, sed Diodorum atque Theodorum Patres laudat; & contra divinum quidem Cyrillum non tam impudenter in os blasphemat. „

in Christo naturas inconfusas, unamque Personam.

Ceterum qui plura de famosæ illius quæstionis, *de Uno ex Trinitate passo*, origine & progressu scire desiderat, consulat Eminentissimum Baronium (1) ad an. 519. Petavium lib. 1. de Incarn. cap. 18. & lib. 5. cap. 2. Norisium lib. 2. hist. Pelag. & cap. 18. & singulari Dissertatione ea de re edita: Pagium in critica Baronii ad an. 519. a num. 6. ad ann. 520. a num. 4. & ad ann. 521. a n. 2. ad 13. ubi fuse de Monachis Scythis, quos communis fert scriptorum opinio, celeberrimam illam controversiam Constantinopoli circa ann. Chr. 519. primum excitasse. At in Oriente eandem quæstionem tam inter Catholicos & hæreticos, quam inter hæreticos ipsos, Monophysitas scilicet & Nestorianos, jam diu agitari cœptam fuisse liquet ex laudato Philoxeni Xenajæ libro: nimirum, statim ac Petrus Fullo clausulam illam, *qui crucifixus es pro nobis*, Trisagio addidit, quando occasione illius additamenti quæri cœptum est de veritate harum propositionum, *Christus Unus e Trinitate*: & *Unus e Trinitate incarnatus, passus, crucifixus, mortuus*. Quamobrem Pagius ad ann. 471. num. 4. recte observat. „ In „ suggestione secunda Legatorum ab Hormisda Papa an„ no 519. ad Justinum Imperat. missorum, ut Ecclesiis „ Orientalibus pacem conciliarent, Legatos illos *lite„ ris* III. *Kal. Jul. Constantinopoli* eodem an. 519. datis, „ Hormisdam rogare, ut Monachos Scythas novitatem „ inducentes repelleret; dicentes: *sufficere debet Eccle„ siæ, quod per sexaginta annos ab Eutychete usque mo„ do sustinuit*. Ubi Legati (inquit Pagius) de aliis tu„ multibus loqui non possunt, quam de iis, qui a Pe„ tro Fullone excitati fuerant, quorum reliquias abo„ lere studebant. Ista enim propositio, *Unus de Trini„ tate crucifixus est*, quam Monachi illi defendebant, „ videbatur Legatis sensu convenire cum his, quæ Pe„ trus Fullo Trisagio addidit, *qui crucifixus es pro no„ bis*.

(1) Baronium exscripsit cl. Laurentius Cozza S. R. E. Card. in hist. Polem. de Græcor. schismate Par. 1. cap. 16. ubi Epistolas Hormisdæ Papæ, Legatorum, aliorumque quoad Schythas Monachos recitat: & cap. 17. quærit, an dicere „ Unum de Trinitate passum sive crucifixum „ adversetur Catholicæ fidei.

„ *bis*. Si itaque ab anno 519. per annos ſexaginta rece-„ das, pervenies ad annum 460. Legati numero rotun-„ do, ut ſæpe fit, loquuntur „. Pro quo anno Theophanes annum 463. ponit, quum Petrus Fullo Eccleſiam Antiochenam turbare cœpit: *Anno*, inquiens, *Incarn. ſecundum Alexandrinos* 456. (Qui Kalendis Septembris anni Chr. 463. inchoatur:) „ Leo Imperator Zenonem „ generum Ducem Orientis inſtituit, & Baſiliſcum Ve-„ rinæ Auguſtæ fratrem Thraciæ pariter Ducem. Zeno „ vero Antiochiam profectus, ſacrum Martyrium in ea „ comperit Epiſcopum. Petrus autem Fullo etiam in „ templo Baſſæ Martyris Chalcedonenſi Presbyterio fun-„ gens, Zenonem ſequebatur. Is implorata Zenonis o-„ pera, nonnullos ex Apollinarii aſſeclis mercede con-„ ductos ſibi conjungit, & innumeros tumultus contra „ fidem & Martyrium excitat: anathemate etiam ferit, „ qui non aſſererent Deum Cruci ſuffixum: populoque de-„ mum in duas partes Antiochiæ diſciſſo, addit ter San-„ cto hymno: *Qui crucifixus eſt pro nobis*: quæ voces „ ab eo tempore in hodiernum uſque diem a Theopaſ-„ chitis uſurpari conſueverunt „.

SECTIO VII.

Alio ſenſu ab hæreticis, ac ab Orthodoxis, Appendix Triſagii uſurpatur. Quid Armeni hæretici, & quam diverſa a Syris Jacobitis & Coptis, de Chriſti natura ſentiant.

QUÆ hactenus dicta ſunt, manifeſtum faciunt, eos plus nimio moroſos eſſe, qui *Unum de Trinitate crucifixum* admittentes, illos tamen recte facere negant, qui Concilium Chalcedonenſe amplexi, duaſque in una Chriſti Perſona naturas profeſſi, Triſagium hymnum ad Chriſtum Dominum referunt, dicentes, *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, qui crucifixus es pro nobis, miſerere nobis*. Huc enim Juſtiniani mens colli-

collimavit, huc Byzantini Episcopi & populi, huc Scythæ Monachi respexere, dum tanto conatu pro *Uno ex Trinitate passo & crucifixo* decertarunt. Dixi, *qui duas in una Christi Dei nostri persona naturas*, unacum Synodo Chalcedonensi, profitentur. Nam aliter judicandum est de *Monophysitis*, cujusmodi sunt Syri Jacobitæ, Ægyptii, & Armeni; aliter etiam de *Nestorianis*, quales sunt Chaldæi: quorum primi unam in Christo naturam, alteri duas personas asserentes, ab Orthodoxorum mente prorsus alieni sunt, dum illi quidem Passionem divinitati consequenter tribuunt, isti vero humanitati a divinitate separatæ, solaque affectus unione cum illa conjunctæ. Utrosque Appendice illa, *qui crucifixus es pro nobis*, usos fuisse, supra vidimus. Sed Nestorianis suis *Jesujabus* Adjabenicus, qui Chaldæorum Patriarchatum ab anno Chr. 650. ad 660. gessit, Additamentum illud prohibuit, quemadmodum testatur Georgius Metropolita Arbelensis de officiis Ecclesiasticis lib. 2. cap. 15. cujus verba supra recitavi: ne scilicet viderentur in una divina Christi persona cum Orthodoxis convenire. At Syri Jacobitæ, Ægyptii, & Armeni ad hanc usque diem illud usurpant tam in divinis officiis, quam in Liturgia: quamquam non eodem modo de una (quam contra doctrinam Ecclesiæ Catholicæ præfracte propugnant) Christi natura loquantur: nam Syri quidem & Ægyptii, ab Eutychiana insania alieni, unam quidem dicunt Christi naturam, sed ex duabus sine confusione & sine permistione compositam: Armeni vero confusionem Eutychianam admittunt, vel saltem admittebant, quemadmodum apud Galanum Tom. 1. Conciliat. Eccl. Arm. cum Rom. cap. IX. pag. 80. *Stephanus Siunensis Episcopus & Philosophus, in Epist. responsiva ad Germanum Patriarcham Constantinopolitanum*, in has erupit ineptias: „ Incarnatio (*inquiens*) totius Sanctæ Trinitatis fuit opus: Pater enim voluit, Spiritus Sanctus obumbravit, Filius autem velut ignis, materiam in vase coagmentavit, seu tamquam coagulum lactis, sibi corpus in utero Virginis ex vero sanguine condensavit. Porro corpus illud

„ illud haud erat secundum se subsistens quidquam; sed „ per divinam assumptionem promotum fuit ad esse „ corporis, propria licet natura informis; quia natura „ corporis facta est natura Dei; per hunc enim cœpit „ illud habere naturam. Quamobrem licet ex corrupti- „ bili initium sumpserit, dicitur tamen incorruptibile „ corpus: quippe Solis instar, ad intemeratam veniens „ conceptionem, procul fugavit tenebras corruptionis, „ atque ex utero purissimo lucem incorruptibilitatis ac- „ cepit. Sic igitur quod assumptum fuit, factum est to- „ tum id, quod erat assumentis natura, similiter & vo- „ luntas rei assumptæ, & quidquid illius rei naturam „ consequebatur. Quemadmodum lux candelæ, acce- „ dens ad splendorem Solis, absque eo quod auferatur, „ non remanet in suo supposito; sed splendor intensior „ vincens, in se ita convertit lucem debiliorem, ut „ nulla superfit utriusque lucis distinctio aut differentia: „ ad hunc prorsus modum nullus in Dei Verbo incarna- „ to humanæ naturæ, aut voluntatis, aut operationis „ numerus mansit; sed quidquid in eo est, & voluntas, „ & operatio, totum divinum dicitur: quoniam sim- „ plex & indifferens perstitit Trinitas & emersa a ma- „ terialibus „. Idem Siunensis (1) lib. 2. cap. 3. ut probet, Christum mortuum esse secundum unam illam, quam cum Eutyche comminiscuntur, naturam divinitatis & carnis, loquitur sic. *Apostolus ait: quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Dic ergo mihi, in cujus morte baptizati sumus? Dei ne, an hominis? Si in hominis morte; non ne hoc idololatria est? Si in Dei morte; quomodo Dei natura sine carne mortua sit?* Quasi dicat: Dei natura unacum carne mortua est, quia una erat utriusque natura. Et paulo post. *Dum Christum in duas naturas dividunt; & divinitatem passionis expertem permansisse dicunt; necessario cruciatus passionis, homini solum attribuunt.* Quasi dicat: divinitas, passionis expers non fuit. Et rursus infra. *Unam & eandem illam Christi naturam, quæ ex Patre ante sæcu-*

(1) Apud Galan. Tom. 2. pag. 87.

sæcula genita est, novissime ex Virgine natam asserimus. Quibus verbis affirmat, non quidem, ut omnes catholici fatemur, Christum Deum *natum ex Virgine, passum, ac mortuum secundum carnem*, sed ipsam quoque ingenerabilem, impassibilem, & immortalem Filii divinitatem; natam ex Virgine, passam, ac mortuam. Id quod Paulus Daronensis in Apologia pro Monophysitis adversus Theopistum Græcum cap. 2. disertim affirmat, sic blasphemans: *Chalcedonenses prædicaverunt Christum duas naturas, & passionem ac mortem carni attribuerunt, & non divinitati, dixeruntque, alteram naturam mansisse in cruciatibus, alteram vero expertem fuisse passionis.* Et cap. 6. *Si Sancta Dei genitrix Maria humanam solum naturam genuisset; ergo non esset* Dei genitrix. *Si duas genuisset naturas, ergo duorum filiorum mater esset, & non potius unigeniti Mater.* Quare concludit, unam genuisse naturam, quæ simul erat Divinitatis & Carnis. Et cap. 8. *In Christo corruptibile & mortale corpus factum est incorruptibile & immortale; ideoque incorruptibili modo passum & mortuum est; ita ut etiam Divinitas hujusmodi passionis ac mortis particeps fuerit.* Hunc porro crassum errorem exinde inferebant, quod alio non minus absurdo errore, Naturam a Persona non distinguebant. Johannes (1) Ozniensis: *Leo duas in Christo naturas confessus est & unam personam: nesciens, quod natura sine personalitate nihil est.* Gregorius Dattievensis in libro interrogationum. *Quærunt a nobis Diophysitæ: cur non dicitis in Christo duas naturas. Quibus respondendum est: ne duas pariter personas in eodem constituamus. Nam si Christus in duas naturas distingueretur, necessario in duas etiam divideretur personas.* Stephanus Siunensis lib. 1. contra Diophysitas cap. 3. *Natura sine propria subsistentia nullo modo potest existere.* Et cap. 4. *dicunt ergo duas naturas & unam personam. Unde juxta ipsorum verba, altera ex istis naturis esset personata, & altera personalitate privata. At impossibile est, in una persona duas naturas subsistere, easque sibi invicem con-*

 tra-

(1) Apud Galan. Tom. 2. pag. 92. & seq.

trarias: & praeterea impossibile est, quod natura sua sit personalitate privata. Et consequenter in eum errorem lapsi asserebant, hanc unam ex duabus factam naturam, esse totam divinam, eo quod Deus Verbum humanitatem assumptam ita in Deitatis naturam transmutaverit, ut omnia attributa divinitatis vere de humanitate praedicentur; idque (ut putant) ne divina Trinitas per alterius naturae accessionem evadat Quaternitas. Sic (1) Siunensis lib. 3. cap. 3. „ Dominus Apostolis jussit, ut in
„ nomine Trinitatis baptizarent, Ergo ex duabus Chri-
„ sti naturis altera necessario tollenda esset, ne Trinitas
„ evaderet quaternitas. *Et rursus*. Si caro Christi es-
„ set quid creatum, oporteret, illam in numerum alia-
„ rum creaturarum referre; & non potius quid superius
„ eam ducere, quam alias res creatas; neque illi ado-
„ rationem exhibere. *Johannes Oznienfis, in Anathema-*
„ *tismis*. Qui Christum dixerit fuisse hominem, secun-
„ dum naturam, & creaturam, & corruptibilem secun-
„ dum carnem: & passibilem, & mortalem secundum na-
„ turam humanam, anathema sit. Qui Christum non con-
„ fitetur unam naturam immortalem, anathema sit. *Et*
„ *rursus*. Etsi Verbum Divinum ex B. Virgine naturam
„ humanam accepit; ab aeterno tamen ante omnia secu-
„ la simul cum humanitate erat. *Et iterum*. Humani-
„ tatem, quam accepit ex Virgine, ab aeterno unacum
„ divinitate fuisse, confitemur. *Paulus Daronensis contra*
„ *Theopistum cap. 7.* natura humana ex mortali facta est
„ immortalis: ex corruptibili incorruptibilis: ex ter-
„ restri coelestis & consors paterni solii: ac sic Trinitas
„ vere permansit Trinitas, neque ad illam accessio ul-
„ la facta est „.

Ob impias istiusmodi Fanaticorum Armenorum, de quibus mentionem feci, blasphemias, recte de illis pronunciarunt Graeci simul & Syri Monophysitae scriptores, eos vere Eutychianos fuisse: qui nimirum (ut scribit S. Joh. Damascenus de haeresibus num. 82. in V. Eutychianistae) *qui* (inquam) *negabant Dominum nostrum Je-*

(1) Calan. Tom. 2. pag. 81.

Jesum Christum ex Sancta Virgine Maria carnem assumsisse, sed diviniori quadam ratione incarnatum esse affirmabant: Lapsa nimirum de Cœlo Domini carne, per Mariam velut per tubum, transiisse: Sic enim ajebat Ozniensis: *Etsi Verbum ex B. Virgine naturam humanam accepit: ab æterno tamen ante omnia sæcula simul cum humanitate erat*. Aut, si veram carnem ex Maria assumsit, eam tamen affirmabant, vel per mutationem, vel per absorptionem aut deperditionem, in divinam fuisse conversam, ex mortali immortalem, ex corruptibili incorruptibilem, ex humana divinam factam: adeoque Phantasiastas illos esse, Julianistas, Incorrupticolas, Aphtartodocetas. Gregorius Barebræus Abulpharagius, Jacobitarum Metropolitanus in libro Theologico, quem inscripsit (1) *Candelabrum Sanctorum de Fundamentis Ecclesiasticis*, Armenos æque ac Barsumam Archimandritam seu Samuelem illius Discipulum, Eutychianismo & Julianismo infectos fuisse notat in hæc verba. *Corpus Christi fuitne simile ceteris hominum corporibus? Continuo clamavit dæmon in quadam femina: Si corpus Jesu est aliorum hominum corporibus simile, quisnam homo corpus suum divisit, suisque sodalibus comedendum præbuit? Et, si Sanguis Unigeniti Crucifixi communem cum sanguine filiorum Adæ naturam habuit, quisnam sanguis filiorum Adæ peccata expiavit. Responsio. Dicimus, Barsumam acta sua nequaquam scripsisse, ut putemus eum hoc credidisse; sed Samuelem ejus Discipulum. Fieri autem potuit, ut idem a magistro ad Armenos missus, sicut ipsemet miraculo nonagesimo quinto narrat, Phantasiastarum errore fuerit depravatus. Quandoquidem plerique Armenorum doctrinam Juliani ad hoc usque tempus mordicus tenent. Affirmant enim, cum ipsa unione corpus perfectum constitisse, nec temporis processu auctum, nec passibile fuisse, aut corruptibile, nec mortale aut creatum aut circumscriptum: & visum quidem fuisse circumcidi, non reipsa id passum: visum fuisse manducare,* quum

(1) Vide me Tom. 2. Bibl. Orient. pag. 296. Ubi Barebræus citat Vitam Barsumæ, in qua hoc scriptum refert *Miraculo LXXXI.*

quum revera nunquam manducaverit : Et ea plane ratione, qua apud Abrahamum comedit, sic cibum adhibuisse, quando nobiscum versabatur. Addunt (1) *etiam, cibum ejus excrementis caruisse, divinitatis igne absumtum : & his similia pleraque. Et sub Athanasio quidem nostro* (2) *Patriarcha, & Johanne ipsorum Catholico in publica Collatione disquisitionem hac de re habuerunt, nostræque doctrinæ certam veritatem agnoscentes, nobis reconciliati sunt, & libello Unionis subscripsere. Nihilominus non modico post tempore ad antiquum Juliani dogma rediere.*

Euthymius Zygabenus in Panoplia par. 2. tit. 20. errores Armenorum recensens : *Armenii* (inquit) *ab Ecclesia Catholica deficientes, improbam Eutychis atque Dioscori, & aliorum Monophysitarum, qui unam tantum in Christo naturam dicunt, opinionem secuti, impiorum dogmatum accessionem illam cumulatiorem & illustriorem reddiderunt. Dicunt enim, Christum suscepisse corpus non ejusdem essentiæ, cujus nostra sunt corpora : sed incorruptibile & impatibile & tenue, & increatum & cæleste, quod & videre & comedere & bibere videbatur & aliis muneribus humanis fungi ; quum tamen nihil horum faciat. Præterea dicunt, carnem ipsius, in divinitatem esse conversam, & ejusdem factam esse essentiæ cujus est ipsa divinitas.* Et post pauca. *Additionem qooque illam Petri Fullonis, qui crucifixus es pro nobis, in Trisagio cantico pronunciant. Qua quidem in re sunt admodum ridiculi, quum Christi corpus dicant incorruptibile & impassibile & immortale ; Divinitatem ejus patibilem mortalem-*

(1) Vartanus in monitis ad Armenios cap. 8. „ Christus quem comedebat cibum, non digerebat, ut digerit homo ; sed consumebat instar ignis, & immunis a corruptione manebat. Quod si petant quid factum sit de cibo & potu, quem ipse sumebat, respondemus, idem prorsus, quod factum fuit de cibo ejus post resurrectionem „ .

(2) Hanc Jacobitarum cum Armenis unionem fusius describit idem Barebræus in Chronico Syriaco ad annum Græcorum 1037. Armenorum 135. sed loco 135. legendum 175. nam epocha Armenorum cœpit anno Chr. 551. ut recte Galanus in Conciliat. Eccl. Arm. cum Rom. Tom. 1. pag. 105. quo disertam illius Conciliabuli sub Athanasio Jacobitar. & Johanne Ozniensi Armenor. Patriarchis mentionem facit p. 204. & Tom. 2. pag. 29.

talemque tradant : Aphtartodocitarum enim simul , & Theopaschitarum morbo insaniunt , Nicephorus l. 18 c. 53. *Armeniorum hæresis multiplex est .* Et enumeratis variis articulis , concludit . *Ac veluti Monophysitarum & Theopaschitarum, & Aphtartodocitarum & Monothelitarum hæresum hæreditate creverint , Cnaphæi Petri accessionem Tersancto hymno annexam valde complectuntur .* Hoc ipsum de Armenis cæteri Græcorum referunt .

SECTIO VIII.

In Ecclesiasticis Armenorum libris veritas Catholica de Christo prædicatur .

SCio , in libris Ecclesiasticis Armenorum , Catholicam prorsus doctrinam contineri circa Incarnationis mysterium . Nam (1) primo in Fidei Professione , cujus initium , *Confitemur & credimus* , quam Clerus Armenus unacum Populo pluries in Hebdomada recitat, ita de Verbo Incarnato loquuntur . *Credimus , Verbum Dei , unam ex tribus personis divinis , ex Patre quidem ante secula genitum , novissime in Deiparæ Virginis uterum descendisse , ex cujus sanguine accepit carnem , & cum sua divinitate univit , habitavitque in eodem intemeratæ Virginis utero novem menses ; Deus perfectus & homo perfectus , ex corpore , anima , & mente .* Et paulo post . *Credimus Deum hominem factum sine mutatione , sine alteratione , conceptum sine semine , natum sine corruptione : cujus sicut divinitatis non fuit initium , ita nec finis erit humanitatis .* Quibus sane verbis confitentur Armeni , Christum esse verum Deum & verum hominem , habentem cum anima & mente corpus non de cœlo , sed ex Virgine sumptum , cujusque humanitas inconfuse cum divinitate unita , non interierit per unionem . Atque ut operationes ac passiones , proprias carnis passibilis , vere in Christo & non phantastice fuisse fateantur, & divinitatem a passione immunem , subjungunt in

(1) Vide Galan in Conciliat. Eccl. Arm. cum Rom. Tom. 2, 2 p. 33.

in eadem Fidei Professione. *Credimus, quod Dominus noster Jesus Christus, in terris versatus, post annos triginta baptizatus est, ac Spiritu Sancto in columbæ specie super ipsum descendente, Pater de eo testimonium perhibuit, dicens: Hic est Filius meus dilectus. Tentatus etiam a Diabolo fuit, & de illo victoriam retulit: prædicavit salutem hominibus, secundum carnem laboravit, fatigatus est, esurivit, sitivit: deinde cruciatus sponte passus est, crucifixus est, ac mortuus quidem secundum carnem, vivus permansit secundum divinitatem.*

Secundo, hoc ipsum Armeni prædicant in suis canticis. Singulis enim Sabbatis sic canunt. *Secundum passibilem naturam humanam te humiliasti in cruciatibus:* Et Dominica secunda Quadragesimæ. *O Beata Virgo Maria, quæ vitam immortalem cum natura mortali unitam in utero tuo portasti.* Et Dominica sexta. *Qui in cruce mortuus est secundum carnem.* Et Feria V. in Cœna Domini. *Splendor Paternæ gloriæ, qui secundum naturam humanam maximis pressus es angustiis in ista nocte.* Et Feria VI. in Parasceve: *Prædicatur a miraculis Deus in carne propter nos crucifixus: secundum naturam nostram moritur, secundum divinam immortalis asseritur.* In Hymno, qui dicitur de Trinitate, incipitque, *Confiteor Deum Patrem*, in Libro Canticorum Armenorum: „ Verbum essentialiter incorporeum, verum factum est „ corpus; suum increatum servans, & nostrum proprium „ assumens. Illud non dicimus, ut impius dixit Euty- „ ches, natura mutatum, vel figura affectum, corpus „ accepisse phantasticum, & non verum, atque per Vir- „ ginis uterum transiisse, tamquam per canalem: neque „ juxta Nestorii nugas in unione duarum naturarum duas „ illas dividimus, aut in duos Filios illum unum parti- „ mur. Neque ut ait Apollinaris, in corpore animæ „ mentisque experte, tamquam in statua, Deum Ver- „ bum habitasse. A talibus immo cavemus, velut a „ pestiferis basiliscis. Sed clara Orthodoxorum Patrum „ vestigia sectantes, illam credimus Unionem, per quam „ Verbi Dei natura mutata non sit; sed qui Filius erat

„ Pa-

„ Patris, idem factus sit Filius Matris. *Et infra*. Di-
„ cere Christum duas naturas, ex quibus unio facta sit,
„ non est a veritate alienum, si unus ille in duos non
„ dividatur. Nos itaque confitemur, quod corpus, ani-
„ mam, & mentem, quibus natura constat humana,
„ Verbum a nobis accepit, suæque univit naturæ „.
Denique Symbolo Constantinopolitano hæc verba Armeni adjungunt: „ Qui propter nos homines, & pro-
„ pter nostram salutem descendit de cœlis, & incarna-
„ tus est, & homo factus est, & natus est perfecte ex
„ Maria Virgine de Spiritu Sancto, cujus opere acce-
„ pit corpus, animam & mentem, & quicquid est in
„ homine, vere & non phantastice; crucifixus etiam
„ pro nobis &c.

Hæc & alia hujusmodi de Christo prædicant Armeni, passionem, crucem & mortem non divinitati, sed carni tribuentes. Verum quia in iisdem Ecclesiasticis libris alia his contraria dogmata ab hæreticis inserta sunt, & constat aliunde, si non omnes, saltem plerosque ejus gentis Præsules unam in Christo naturam profiteri, & Sacrum Chalcedonense Concilium non admittere; idcirco Additio illa ad Hymnum Trisagium ab Armenis usurpata, tamquam de Theopaschitarum hæresi suspectis, ab utraque Ecclesia, Latina & Græca, semper fuit improbata. Idem ipse Galanus, qui Armenos supra dixerat in libris suis Ecclesiasticis orthodoxam plane circa mysterium Incarnationis fidem profiteri: mox addit Tom. 2. pag. 57. „ Recens Armeniorum Ecclesia mixta
„ est ex hæreticis & Catholicis, Clerus autem ejus ac
„ populus circa eadem de Christo dogmata ex Eccle-
„ siasticis libris modo catholice in Templo legit, ac
„ profitetur, modo hæretice. Etenim Ecclesiastici Ar-
„ meniorum libri (*uti subdit pag. 59.*) quamvis alicu-
„ bi rectam illam de rebus fidei, ac præcipue de Chri-
„ sto confessionem, quam primitus habebant, adhuc re-
„ tineant; alibi tamen a recentioribus hæreticis vel cor-
„ rupti, vel falsis veterum hæreticorum doctrinis, fa-
„ bulosisque narrationibus cumulati sunt: quo fit, ut Ar-

„ menus Clerus dum in Templo ex eis legit, aut una
„ cum populo canit, & profitetur, interdum per incu-
„ riam seu crassam inscitiam oppositas proferunt confes-
„ siones; & approbat una die, quod reprobat altera.
„ Exempli gratia, modo cuncta illa de Christo vera
„ dogmata (quantum ad rem attinet) profitentur, quæ
„ Sacra Synodus Chalcedonensis docuit & definivit, ut
„ visum est §. v. Imo aliquos Sanctos Patres tum La-
„ tinos, tum Græcos, qui ipsos Armenios cæterosque
„ Christianos ad Chalcedonensem Synodum suscipiendam
„ hortati sunt, pie colunt, eorumque commemoratio-
„ nem in Menologio & Horariis precibus celebrant,
„ præcipue Gregorium Magnum Papam, & Germa-
„ num Constantinopolis Patriarcham. Modo autem vi-
„ ceversa Magistros suos hæreticos, videlicet Joannem
„ Oznienſem, Stephanum Siunienſem, Joannem Orod-
„ nienſem, Gregorium Dattievenſem, Vartanum, Me-
„ kitarium, & alios; qui rectam quamque de Christo
„ confessionem, ab Armena ipsa Ecclesia susceptam, &
„ Chalcedonensem Synodum scriptis putidissimis oppu-
„ gnarunt, Sanctos esse affirmant, eorumque omnium
„ memoriam in Menologio, & aliquorum in ipsa etiam
„ Missæ Liturgia, venerantur, ac præterea in cantico,
„ quod incipit, O *miraculum*, ipsos Patres Chalcedo-
„ nensis Synodi, & Divum Leonem Papam, ejusque
„ ab eadem Sacra Synodo approbatam Epistolam, im-
„ pie atque immaniter execrantur; Dioscorum vero,
„ quem Occidentalis & Orientalis Ecclesia omnis flagi-
„ tii & hæresis reum comperit ac damnavit, Sanctum
„ conclamant & Orthodoxum.

SECTIO

SECTIO IX.

S. Sabas primus fuit qui Armenis Appendicem Trisagii interdixit.

QUamobrem primus qui ob Trisagii Appendicem Armenos de Theopaschitarum hæresi suspectos habuit, legitur fuisse S. Sabas, de quo hæc scribit Cyrillus (1) Scythopolitanus in ejus vita n. 32. „ Tunc ergo
„ Armenos a parvo Oratorio transtulit, ut Psalmodiæ
„ Regulam Dialecto Armeniorum in Ecclesia a Deo con-
„ structa exsequerentur, mandavitque iis Megalium seu
„ Evangelium & reliquam officii seriem in Synaxibus
„ Armenica lingua inter se recitare; tempore autem di-
„ vinæ Oblationis, cum Hellenistariis, hoc est, iis qui
„ Græca lingua utebantur, convenire, ac divina sume-
„ re Sacramenta. Quoniam vero eorum nonnulli aggressi
„ fuerant Tetsanctum hymnum, seu Trisagium dicere
„ cum illo Additamento per Petrum cognomento Cna-
„ pheum aut Fullonem excogitato, *Qui crucifixus es pro*
„ *nobis*, succenseus merito divinus senex, jussit, ut hunc
„ hymnum ipsi Græce canerent, juxta Catholicæ Eccle-
„ siæ traditionem, non autem secundum dicti Petri in-
„ novationem, qui Petrus cum Eutyche eadem sensit,
„ & bis tyrannico modo Sedem Antiochenam invasit,
„ atque Ecclesiasticis Sanctionibus expulsus est, iterum-
„ que tertio post Illi tyrannidem in Isauria assumptam
„ sub Imperio Zenonis, Imperiali auctoritate eundem
„ thronum nefarie, quum anathemata adversus eum pro-
„ lata soluta non fuissent, tenuit, omnem Orientem con-
„ turbavit; denique a Papa Romano Felice, tam pro-
„ pter prava alienaque dogmata, quam propter memo-
„ ratum in Trisagio additamentum, anathemate percus-
„ sus est. Quocirca juste ac pie Pater noster Sabas ab illo
„ commentam Additionem repudians, Ecclesiasticam se-
„ quebatur traditionem.

(1) Apud Coteler. in Monum. Eccl. Græc. Tom. 3. pag. 264.

SECTIO X.

Thevinense Conciliabulum a Nierfese Armenorum Patriarcha congregatum, in quo approbata Trifagii Appendix.

ID factum a Sancto Saba Abbate post dedicationem magnæ Ecclesiæ ab Elia Hierosolymorum Patriarcha peractum mense Julio, nona Indictione, agente eodem Saba annum ætatis sexagesimum tertium, idest, anno Chr. 531. nimirum paucis ante annis, quam *Nierses Asdarachensis Armenorum Catholicus*, jussu Persarum Regis, ut Armenos a Græcis separaret, *Conciliabulum Thevinense* celebravit, in quo, Synodo Chalcedonensi rejecta, unam ex duabus factam Christi naturam asseruit, Trisagioque superaddidit, *Qui crucifixus es pro nobis*, opera Jacobi Syri, cognomento Zanzali, seu Baradæi, de quo Nicephorus lib. 18. c. 52. *Jacobus Syrus genere, Petri Cnaphei atqueSeveri dogmata apud Syros & Armenos propagare cœpit*. Et c. 53. *Cnaphei Petri Appendicem Tersancto Hymno annexam amplectuntur*. Galanus Conciliabulum Thevinense celebratum ait ab Armenis hæreticis circa ann. 530. integro fere sæculo post Synodum Chalcedonensem. Ita Tom. 2. p. 27. At Tom. 1. pag. 86. Epocham ejus Conciliabuli post annum Chr. 500. indefinitam relinquit: opera tamen Jacobi Syri Zanzali, & *Euchavii*, seu Joannis cujusdam *Mandacunis*, sive Mantacunensis a decem Episcopis, jussu Persarum Regis celebratum ex Euthymio in Panoplia par. 2. tit. 20. affirmat. Præcisum illius Conciliabuli tempus colligo ex Epistola Photii ad Zachariam Patriarcham Armenorum, laudata a Galano Tom. 2. pag. 116. & seq. in qua sic ait: „ Concilium Chalcedonense congregatum est eodem an„ no (451.) quo Sanctus Vartanus (*Armenæ militiæ* „ *Præfectus*) una cum suo exercitu a Persis pro Chri„ stiana fide trucidatus fuit. Quare Armenii sub perse„ cutione illa exagitati ad idem venire Concilium mi„ nime

„ nime potuerunt. *Et addit*. Nec tamen proinde contrarium quidquam oppofuere; fed omnes fufceperunt „ illud ufque ad Schifma Thevinenfis Conciliabuli per „ annos 84. Videlicet ab anno 2. Marciani Imperatoris, „ ufque ad 10. Juftiniani, & 6. Nierfefis Afcdarachenfis Patriarchæ, qui ejufdem Conciliabuli auctor fuit „. Annus 2. Marciani incidit in ann. Chr. 451, & annus 10. Juftiniani in ann. Chr. 536. Ab anno autem 451. ad 536. numerantur anni 84. Vide Pagium ad ann. 535. n. 13.

SECTIO XI.

Barfumas, Samuel; & Jacobus Zanzalus Syri hæretici, ad hærefim Monophyfitarum Armenos traducunt.

CAufam illius pfeudofynodi colligere mihi videtor ex Chronico Syriaco Gregorii Abulpharagii, Barebræi nuncupati, qui a Syris Monophyfitis ad eam hærefim traductos Armenos teftatur. Sic enim in vita Babuæi Neftorianorum Patriarchæ de Cabade Pherozis filio, Perfarum Rege, qui ab anno 491. ad 531. regnavit, fcibit. *Poftquam* (1) *Cabades e Perfide ad Hunnos fugit* (anno fcilicet Chrifti 498.) *ibi compertas habuit res Chriftianorum, & Neftorianorum fuæ ditionis: Hos fcilicet* (Neftorianos, quibus Pherozes pater in tantum faverat, ut Barfumæ Nifibeno Epifcopo poteftatem omnimodam dederit, Chriftianos omnes in ditione Perfarum pofitos (2) a Romanorum fide avertendi:) *Hos fcilicet ab omnibus fidelibus diffentire, eofque fectari, ac recipere, quos cæteri omnes rejecerunt damnaruntque. Noverat etiam, quomodo Pherozes ipfius pater poteftatem Barfumæ dederat, qui vim fidelibus intulit, ut a fide Patrum Occidentalium recederent. Quamobrem eos vehementer oderat; maxime vero, quod Patres eorum cernerent nefariis nuptiis pollui, Catholicum, inquam, & Epi-*

(1) Verba Barebræi Syriace recitavi Tom. 3. Bibl. Orient. pag. 403.
(2) Tom. cit. pag. 395.

Episcopos; fornicationem autem ab ipsis nihili pendi. Erat autem per id tempus Presbyter quidam Simeon nomine, ex Beth-Arsam pago apud Seleuciam sito vir orthodoxus. Hic quum Regis Cabadis animum comperisset, eum adiit, jussionemque ab eodem obtinuit, ut totam terram Sennaar, Persidemque universam perlustraret, ut libere conventus facerent, impetumque Nestorianorum retunderent. Hæc igitur peregit. Quacumque autem pertransiit, Chirographum ex Armenis, Græcis, Syrisque accepit, profitentibus se a fide Nestorianorum alienos esse, literasque subscriptionibus singulorum firmatas ad Regem attulit, qui sigillo Regio easdem confirmavit: appellatæque sunt Codices confessionis, & in Ecclesia Tagriti urbis (Martyropolis) *repositæ, quæ sola corruptionem Barsumæ evaserat.* Atque hæc a Simeone Betharsamensi (de quo Tom. 1. Biblioth. Orient. a pag. 341. fusius disserui) pro Catholicis adversus Nestorianos in Armenia, Syria, Mesopotamia, ac Perside sunt præclare gesta, quæ Barhebræus ad suos Monophysitas perperam traducit. Atqui eodem tempore, quo Simeon Betharsamensis pro orthodoxa fide in Regno Persarum sub Cabade laborabat, *Jacobus* (1) *Zanzalus*, Severi Antiocheni Patriachæ Monophysitæ discipulus & sectator, tum Syros, tum Armenos, adversus Synodi Chalcedonensis propugnatores æque ac adversus Nestorianos excitare satagebat. Id factum ad ann. 536. refertur communiter a Scri-

(3) Quienus tom. 1. Orient. Christ. pag. 1382. Jacobum Zanzalum, seu Baradæum perperam confundit cum Jacobo Botnanensi seu Sarugensi Episcopo, inquiens: „ Hoc vero saltem inde comperimus, Armenos Monophysitico errori, quo „ jam laborabant, Juliani Halicarnassensis impietatem adjecisse. Illic præterea Ju„ lianum & Jacobum Pitnanensem, sive Botnanensem ab invicem se sejunxisse „ tempore Justini senioris, & Cabatæ, sive Cabadis Regis Persarum: quum Julia„ nus doceret, Salvatorem immortale corpus, nec ulli corruptelæ obnoxium assum„ psisse; cjus discipulos dictos Julianitas; velut alii a Jacobo Jacobitæ dicebantur, „ Severiani a Severo. Ubi ille Auctor Jacobum illum Pimani sive Botnanensem, „ ipsumque adeo Sarugensem, minime secernit a Jacobo Zanzalo, Baradæo, a „ quo Jacobitarum in Syria nomen inolevit „. Idem Quienus Tom. 2. pag. 973. in eam Sententiam inclinare videtur, ut asserat Jacobum Sarugensem cum Monophysitis, aut Nestorianis sensisse. Verum ex Timotheo Presb. Constantinopolitano in lib. de recept. hæreticor. constat, *Sarugensem* & orthodoxum fuisse, & a Zanzalo diversum. Vide me Tom. 1. Bibl. Orient. p. 283. Tom. 2. p. 321. Vide etiam Quienum Tom. 2. Orient. Christ. pag. 974. & pag. 1518. ubi manifeste indicat, se in meam sententiam propendere.

Scriptoribus: adeoque post Cabadis Persarum Regis obitum, quem Chosroës anno 531. excipiens, Regnum Persarum usque ad annum 579. obtinuit. Etenim e re Persarum erat, operam impendere, ut subditi Christiani, tum Syri & Armeni, hæresi Monophysitica infecti, tum Chaldæi Nestoriana, ab orthodoxa Romanorum fide segregarentur. Porro in Armenia ante Jacobum Zanzalum semina Eutychianismi sparserat *Samuel*, item Syrus, Barsumæ Archimandritæ discipulus, de quo hæc Gregorius Barebræus (1) narrat: *Dicimus Barsumam* (eum nempe, qui in sacro Chalcedonensi Concilio utpote eadem cum Eutyche sentiens, damnatus legitur) *Acta sua nequaquam scripsisse, ut putemus eum hoc credidisse; sed Samuelem ejus discipulum. Fieri autem potuit, ut idem a Magistro ad Armenos missus, sicut ipsemet miraculo 95. narrat, Phantasiastarum errore fuerit depravatus. Quandoquidem plerique Armenorum doctrinam Juliani ad hoc usque tempus mordicus tenent.* Sive igitur a Barsuma & Samuele, sive a Jacobo Zanzalo in Eutychianam hæresim fuerint inducti Armeni, certe Cabade primum, deinde Chosroë Persarum Regibus instigantibus, Eutychianismum publice professi sunt, Patriarchatum eorum gerente Niersese Ascdarachensi, de quo hæc Chronographus Armenus:
„ Hic, jussu Regis Persarum (*nimirum Chosroïs, qui*
„ *anno 536. regnabat*) ut Armenos separaret a Græ-
„ cis, Synodum coëgit in Civitate Thevin, cujus suf-
„ fragio decrevit, Festivitates Dominicæ Nativitatis
„ & Baptismi esse simul una die concelebrandas, eo quod
„ sicut Christus erat simul conjunctim Deus & homo;
„ ita pariter Nativitatem & Baptismum ipsius conjun-
„ cte uno die, & non pluribus divisim celebrari, fas
„ esset. Præterea quoque superaddidit Trisagio verba
„ illa, *Qui crucifixus es pro nobis*. Prohibuit Arme-
„ nis, ne Hierusalem amplius proficiscerentur, eosque
„ a Græcis segregavit.

Sed

(1) Tom. 2. Bibl. Orient. p. 296.

Sed cur in Thevinensi (1) Conciliabulo Armenis interdictum fuerit, *ne Hierusalem amplius proficiscerentur*? Causa in promtu est. Subjungitur enim, *Eosque a Græcis segregavit*. Nimirum, duo erant id temporis in Hierosolymitana Diœcesi, celeberrima Sanctorum Theodosii Cœnobiarchæ, & Sabæ Abbatis Monasteria, in quibus *Armeni* Catholicam fidem aperte profitebantur, erroresque suorum gentilium, qui tunc vigebant, execrari docebantur. Et de Sancto quidem Theodosio Theodorus Petreorum Episcopus apud Allatium in Epist. ad Naudæum sic scribit. *Hic enim quum intra Monasterium quatuor exædificasset Ecclesias; unam, in qua Græca dialecto multitudo Patrum separatim sacrificium laudis, uti scriptum est, Deo sacrificaret: alteram, in qua nativo Sermone aliud genus hominum* (Bessi scilicet) *supremo Deo supplicationes deferrent: tertiam, in qua Armenii perpetuo divinis Hymnorum cantibus, lingua propria Domino laudes dicerent: quartam, in qua qui ab impuro dæmone torquerentur Fratres, gratias cum iis, qui eorum servitio destinarentur, Salvatori Christo agerent*. Obiit autem S. Theodosius undecima die Januarii, Indict. VII. Anno Chr. 529.; ineunte anno Sancti Sabæ 91. quemadmodum in utriusque vita legitur. Non tamen post ejus mortem destiterunt Armenii in ejus cœnobio degentes id persequi quod sub ipso inchoaverant. De Sancto autem Saba Cyrillus Scythopolitanus: *Eo itaque tempore Armenios a parvo Oratorio in Ecclesiam a Deo exstructam transtulit, ut Psalmodiæ regulam, Armeniorum dialecto exequerentur, imponens eis Megalion, & reliquam Officii seriem in Synaxibus separatim Armenica lingua peragerent, & tempore divinæ oblationis cum Hellenistis* (Græcis) *convenirent & divina participarent myste-*

(1) P. Jacobus VVillott Soc. Jesu in *Dictionario Latino* Armeno edito Romæ anno 1714. à pag. 745. exhibet Seriem Patriarchar. Armeniæ & pag. 748. De *Niersese* II. AchdaraKensi loquens; „ Coacto (inquit) in urbe Thevin decem Episco-„ porum Conventiculo circa ann. 520. decernit Festivitates Nativitatis, Epiphaniæ, „ & Christi Domini eodem die, scil 6. Jan. deinceps esse celebrandas: Trisagio superaddit Appendicem: *Qui Crucifixus es &c.*

mysteria. Addique, quod quum quidam Additionem Hymno Angelico a Petro Fullone factam usurparent, ipse Sabas *aliam hymnorum consequentiam, quandoquidem sciebat eam recte prosequi Armenios, permisit eis solita voce canere; solum vero Hymnum Trisagium sanxit canere lingua Græca*. Decessit Sanctus Sabas die 5. Decembris Ind. XI. anno Christi 531.

Hoc itaque in suo Conciliabulo caverat Nierses hæreticus Patriarcha, ne scilicet Armeni Hierosolymam profecti, ad fidem Orthodoxam a gentilibus suis Monachis Armenis revocarentur.

Subjungit Galanus Tom. 2. a pag. 119. ex Photii (ut ajunt, seu Johannis Nicæni) Epistola ad Zachariam Armeniorum Præsulem scripta. Et ex Anonymo Græco (1) historico, res in Armenia sub ejusdem Thevinensis Conciliabuli tempora gestas, in hæc verba.

„ Jacobus Zanzalus, ex quo Jacobitæ, & Julianus „ Halicarnassæus, ex quo Julianitæ vocati sunt, Syro„ rum Episcopi (2) Eutychiani, quum Julianus Salvato„ rem nostrum incorruptibilem e cœlo carnem assum„ psisse diceret, ab invicem (3) divisi sunt tempore „ Justini Imperatoris, & Cabadis Regis Persarum. Post „ mortem (4) autem ipsorum adeo imminutus fuerat nu-

(1) Apud Combefis. in histor. Monothelitarum.

(2) Fallitur. Julianus non fuit Syror. Episcopus, sed Halicarnassi in Caria, cujus tamen hæresim, Samuel Barsumæ discipulus, antequam is nasceretur, jam in Armenia propugnaverat, teste Barebræo Tom. 3. Bibl. Orient. pag. 296. nam Halicarnassensis Julianus non fuit primus Phantasiastarum auctor, sed Eutyches cui Barsumas ejusque discipulus Samuel consenserant. Fuit alter Julianus Jacobi Syri Zanzali Syncellus, qui una cum Magistro Armenios hæresi infecit de quo Juliano vide Barhebræum in Chron. Syr. Tom. 2. Bibl. Orient. p. 351. Hunc Julianum, ut puto, auctor Græcus cum Halicarnassensi propter hæreseos similitudinem confundit.

(3) Ea divisio non inter Jacobum & Julianum fuit, sed inter Severum & Julianum. Lege Liberatum in Breviario Eutychianistar.

(4) „ Post mortem Severi ejusque sectariorum: non post mortem Jacobi Zan„ zali „. Lege Barhebræum in Chron. Syr T. 2. p. 325. & seq. ubi sic. „ Quo„ niam vero Orthodoxi Antistites (idest hæretici Monophysitæ) qui in omnibus Ro„ manæ ditionis urbibus frequentes fuerant, ad paucos jam redacti erant... pauci „ quidam Episcopi in quodam castro sub custodia publica detenti, tuendæ religionis studio permoti, per manus impositionem ordinarunt Jacobum virum simplicem Constantinopoli per eos dies commorantem &c. cujus opera Sacerdotum census mirum in modum auctus est: eamque ob causam ex ejusdem nomine Jacobitæ sunt nuncupati.

„ merus ejus sectæ Episcoporum sub Imperio Justiniani, „ ut non posset amplius in ea, juxta Canones Sanctorum „ Patrum, Episcopus a tribus aliis Episcopis ordinari. „ Quumque ob suam hæresim ab aliis Christianis rejice- „ retur, cogitaverunt admittere ordinationem Episco- „ porum Armeniæ. Quapropter Aptysus Syrus Jacobita „ egressus de Serepta, Monasterio Safani, aliique una „ cum eo Syri Monophysitæ, profecti sunt in majorem „ Armeniam: cujus Episcopos, præsertim Niersesem „ Ascdarachensem Patriarcham, sibi conciliantes, di- „ xerunt: errasse omnes post Nestorium in Concilio Chal- „ cedonensi; & quia non haberent, quo ordinarentur, „ ad ipsorum accessisse piam ordinationem, ut eis Epi- „ scopos consecrarent. Tunc etiam exposuerunt illis Tra- „ ctatus, quos Aptysus (1) secum detulerat, a Timo- „ theo ac Felice (2) Syris contra duas Christi naturas „ elucubratos & adversus sacram Synodum Chalcedonen- „ sem, calumniis ac mendaciis conviciisque refertos, „ quos Armenii in suum idioma transferri curarunt. „ Itaque Nierses Patriarcha, Syrorum occasione arrep- „ ta, ut gratiam iniret Chosroæ Persarum Regis (qui, „ expulsis Imperialibus, regnare tunc cœperat in Arme- „ nia, atque Christianorum Schismata ad suam ibi ty- „ rannidem stabiliendam avidissime exoptabat) decem „ Episcoporum Synodum congregavit in urbe Thevin; „ in qua unacum Syris anathema dicentes Concilio Chal- „ cedonensi, confessi sunt unam naturam Dei Verbi & „ carnis, Christumque immortali natura crucifixum ac „ mortuum: unde & appendicem illam Petri Fullonis, „ *qui crucifixus es*, Trisagio addiderunt. Tum suscipien- „ tes Dioscorum, Timotheum Ælurum, ac Felicem „ (*Phi-*

(1) Jacobus Zanzalus Monophysitarum Episcopus & Armenorum subversor, non obiit ante annum Chr. 578. Vide Barhebr. Tom. 2. Bibliot. Orient. pag. 332. Episcopatum gesserat annos 33. adeoque ab anno Chr. 543. Igitur ut veram hanc Græci auctoris narrationem dicamus, Aptysus seu Abdjelus, Syrus impostor, Zanzalum antecesserit oportet: nam Thevinense Conciliabulum coactum fuit anno Chr. 536. sub Niersese, ut mox dicam. Porro scripta quæ dicuntur Timothei & Felicis, non alia sunt ab iis, quæ contra Synodum Chalcedonensem scripsere Timotheus Ælurus & Philoxenus, Xenajas dictus,

(2) Leg. Philoxeno.

„ (*Philoxenum*,) decreverunt sub anathemate, ut a com-
„ munione Græcorum, eorumque qui duas in Christo
„ naturas post unionem assererent, resilirent; atque ju-
„ rejurando invicem devoverunt, obsignata scripto pro-
„ priæ manus promissione, nunquam se in perpetuum
„ recessuros ab illa confessione. Postea ordinantes Epi-
„ scopos Aptysum, ejusque alios duos socios, quorum
„ unus Julianita, alter hæresis alterius erat, in Syriæ
„ Mesopotamiam amandarunt. Quapropter Armenico
„ tunc primum orto Schismate ab Ecclesia Catholica,
„ Iberi Orientales, ac Siunienses, qui ut erant cum Ar-
„ menis contermini, ita pariter cum iisdem semper
„ fuerant in religione concordes, ab illorum commu-
„ nione sese deinceps retraxerunt. Qua de re Chosroas
„ multum percepit lætitiæ ac voluptatis: ipsique Nierses
„ Patriarchæ præmia, quæ ante pollicitus fuerat, exi-
„ tu præstans, filium illi suum in adoptionem mancipa-
„ vit; Armenicæque regionis tributa tum ejus fidei
„ credidit, tum eorum Episcoporum, qui cum illo de
„ perpetuo servando Schismate conjuraverant „.

SECTIO XII.

Res gestæ Armenorum post Conciliabulum Thevinense usque ad Synodum Charnensem an. 636. celebratam.

Hactenus de Thevinensi pseudosynodo. Subdit de Armenis sub Johanne Capieghino Niersesis successore ab hæresi ad Orthodoxorum fidem revocatis, p. 122. *Posthæc, iisdem regnantibus Justiniano Constantinopoli & in Perside Chosroa, dum* Johannes Capieghinus *in Niersesis locum suffectus, Armeni Patriarchatus regeret gubernacula; Vartanus princeps (ut iidem Photius & Anonymus Græcus narrant) iniquo animo ferens tyrannidem Surienis Persæ, Armeniæ regionis præfecti, quodque is honorem Armeniis proceribus debitum, in mercedem patrati Schismatis, deferret Episcopis, eodem Suriene oc-*

 ciso,

ciso, descivit a Persis ad Græcos, unaque cum nobilibus sociis Constantinopolim se recepit. Verum quum ibi a Græcorum communione cum comitibus abstineret, Justiniano ejus rei causam percontanti, respondit, non habere ab Episcopis suis mandatum, ut cum eis communicaret. Quamobrem congregata eo anno [553.] Constantinopoli Quinta Synodo generali, Episcopi ac Magistri Armeniæ, jussu Imperatoris, illuc a Vartano vocati sunt: ubi Synodo consentientes, ac manu propria subscribentes, rescisso Conciliabuli Thevinensis decreto, susceperunt Chalcedonense Concilium, & anathema dixerunt Origeni, Evagrio, Didymo, Nestorianis, Jacobitis, Julianitis, ac omnino iis omnibus, qui vel Nestoriana, vel Eutychiana, hæresi essent infecti. In cujus rei memoriam fores Templi Sanctæ Sophiæ, quod tunc a Justiniano exstructum fuerat, ex eorum ingressus nomine Porta Armenorum *deinceps appellatæ sunt*, Hæc apud Galanum.

Verum (ut ut Armeni Episcopi ad ann. 553. vocati, concilio Quinto generali subscripserint,) ea tamen Surienis præfecti cædes, & Vartani defectio longe post hunc annum contigit: nimirum sub Justino juniore anno 570. quemadmodum ostendit Pagius ad ann. 572. num. XI.

Id ut clarius pateat, juverit res sub Chosroë Persarum Rege post Thevinense conciliabulum gestas summatim exponere. Itaque pacem, quam Persæ cum Justiniano Imp. anno 533. fecerant, rumpentes, ab an. 540. bellum usque ad 545. continuarunt, quo Quinquennales Induciæ inter utrosque initæ. Interim Armenia major, & Suania in Persarum potestate; Colchis vero & Iberia in ditione Romanorum permansere. Anno 549. Lazicam Persæ infectis armis petiere. Gubazes Lazorum Rex, qui Religionem Christianam cum omni gente sua profitebatur, auxilium Justiniani petivit & obtinuit. Hinc rursus rupta pax usque ad annum 551. quo secundæ Induciæ Quinquennales inter Romanos & Persas pactæ; sic tamen, ut eo interim spatio Oratores ultro citroque libere commeantes, controversiam quæ de Lazica esset ac

Sara-

Saracenis, componerent. Hæc autem accessit conditio, ut pro his Induciis Quinquennalibus Persæ a Romanis auri centenaria xx. acciperent, itemque alia vi. pro xviii. mensibus, qui inter priores Inducias atque istas intercurrissent, quod tempus mutuis impensum esset Legationibus. Anno 561. iterum pax inter Romanos & Persas sancita, constitutis in annos septem pacis conditionibus; quod ad Lazicen aliasque Orientis regiones spectabat, ut scribit Theophanes ad annum Incarn. secundum Alexandrinos 555. Id quod anno Epochæ vulgaris 561. factum ostendit Pagius.

Dum hæc Persæ cum Romanis tractant, mortuo Niersese Conciliabuli Thevinensis auctore, *Johannes Capieghinus* Armenorum Patriarcha constituitur: de quo hæc Armenus Annalista: *Domnus Johannes Capieghinus, ex oppido Ziegbuani annos* 15. idest, usque ad annum 550. Catalogus Græcus: *ὁ ἐυανέσης* (al. *βυανέσης*) *ὁ ἀπὸ καπελήνης* (leg. *καπεγήνης*) *ἔτη ιζ Evaneses*, alias *Byaneses, ex Capelene* (leg. *Capegbene*) *annos* 17. Ita *Johannis* nomen, a Græcis juxta Armenicam (ut volunt) pronunciationem effertur. Johannem excepit *Moyses*. Annalista Armenus. *Domnus Moyses Aracazuodanus, ex oppido Jeghivartæ, annos* 30. (idest usque ad annum Christi 580.) *Hujus mandato, Turcomanorum annorum computatio, tempore Miesgesci Chenuni, in Armeno Calendario posita est. Referunt nonnulli, eundem Patriarcham in urbe* Thevin, *post Niersesem, alterum celebrasse Concilium, ejusque auctoritate confirmasse in Trisagio additionem illam*, qui crucifixus es pro nobis. Catalogus Græcus: *ὁ Μωϋσῆς ἀπὸ ἐλιβαρὲτ, ἔτη λ'. Moyses ex Elibaret* (seu *elivart*) *annos* 30. Addit Græca narratio: *Hujus Moysis tempore, per annos viginti*, (a priore scilicet Synodo Thevinensi, uti Quienus autumat) *motas esse quæstiones de Fide, in diebus Catholicorum Byanesis* (*Johannis Capieghini*) *& Moysis* usque ad annum primum Chosrois ii. qui per manum Mauricii Imperatoris Regnum obtinuit: *συζητούντων τῇ πίστει ἐπὶ κ'. ἔτη, ἐν ἡμέραις τοῦ βυανέση τοῦ καθολικοῦ καὶ Μωσῆ, ἕως εἰσὸς ἔτους χοσρόη,*

ἐν

ὃς ἐβασίλευσεν ἐν χερὶ Μαυρικίου καίσαρος. De Moyse dicam postea. Ad Johannem quod spectat, Orthodoxam ab illo fidem susceptam fuisse, colligitur, tum ex modo recitatis narrationis Græcæ verbis, ubi dicuntur *Armeni quæstiones de Fide movisse in diebus Catholicorum Johannis & Mosis*: tum præsertim ex Procopio lib. 2. de Bello Persico a cap. 20. ad 26. ubi tertiam Chosrois Persarum Regis irruptionem in Romanam ditionem describens, Chosroëm ait in ea irruptione Sergiopolitanum templum expilasse, ea urbe frustra tentata: Palæstinam cogitasse, Callinicum evertisse: ex Adhorbigana, quo sese contulerat eo consilio, ut per Persarmeniam in Romanorum terras invaderet, metu pestilentiæ, quæ sub id tempus gravissima orta fuerat, in Assyriam ubi illa nondum grassabatur, cum universo exercitu perrexisse; in regione Persarmeniæ, quæ *Dubios* appellatur, apud Anglonem vicum Romanis cæsis fugatisque; *Eudubium* Christianorum in Pasarmenia Catholicum de ejus mandato ad Valerianum magistrum militum pro pace allegatum fuisse. Id factum anno Christi 542. affirmat Pagius num. 3. tertiam hanc Chosrois in Romanos expeditionem ex Procopio enarrans. Quisnam autem fuerit *Eudubius* ille Persarmeniæ Catholicus, quem Procopius l.2. cap. 24. ad Valerianum pro pace missum scribit, neque Procopius, neque Pagius exponit. In dissertatione de Syris Nestorianis, Tom. 4. Bibl. Orient. pag. xc. ego demonstravi, eum neque Chaldæorum Nestorianorum, neque Syrorum Jacobitarum Catholicum fuisse, sed Armeniorum; *Dubion* autem nil aliud esse, quam *Thevin* seu *Tiben*, ubi is Sedem habebat: Quæ ibi exposui, accipe. Eudubii Persarmeniæ Catholici, nullibi memoria. Quamobrem in editione Procopii mendum obrepsisse existimo, & pro *Eudubio*, ἐν Δουβίῳ legendum sic: διὰ δὴ Ναβέδης τηνικαῦτα ἐν περσαρμενίοις τὴν στρατηγίδα ἔχων ἀρχὴν τὸν ἐν Δουβίῳ χριστιανῶν ἱερέα, βασιλέως ἐπαγγείλαντος, παρὰ βαληριανὸν τὸν ἐν Ἀρμενίοις στρατηγὸν ἔπεμψεν: *Quocirca Nabedes tunc Magister militum in Persarmenia, Christianorum in Dubio Antistitem, de mandato Regis, ad Vale-*

Valerianum in Armenorum terris exercitus ducem misit. De Dubio autem Persarmeniæ regione agit idem Procopius lib. 2. de Bello Perf. c. 25. ubi eam sic describit: Est Δύβιος, *Dubios regio quædam, non modo fertilis, sed cæli etiam & aquarum salubritate commodissima. Huc namque ex India, proximaque Iberia, ac fere ex omnibus Persidis populis, e Romanis etiam sunt, qui merces importent, atque invicem contrahant. Christianorum Antistitem Græco vocabulo Catholicum idcirco appellant, quod unus universæ præsit regioni. Centesimo & vigesimo stadio procul a Dubio, venientibus dextra ex Imperio Romano occurrit mons ascensu difficilis &c.* Et c. 30. de Mermeroe Chosroïs Duce: *Ipse cum reliquo exercitu ubi venit in Persarmeniam, stativa circa Dubion habuit.* Syris vocatur *Adabin* in Chronico Dionysii Patriarchæ ad annum Christi 641. Tom. 2. Bibl. Orient. pag. 103. Quienus Orient. Christ. Tom. 1. pag. 1379. *Erivanum* esse ait. Procopius igitur utrobique nomen *Catholici* reticuit, regionem urbemque *Dubion* dumtaxat, ubi is morabatur, commemorare contentus. Verum ex Catholicorum Armeniorum serie patet, *Johannem Capiegbinum* fuisse, qui tunc temporis, idest, anno Chr. 542. Armenis Catholicus præsidebat. Præfuit enim (ut supra dixi) ab exeunte anno Chr. 536. usque ad annum 550.

Mortuo autem Joanne Capieghino, dum *Moyses* Patriarchalem Armeniæ Sedem obtineret, contigit memorata superius *Surinæ* cædes, & *Vartani* Armenorum Ducis defectio. Biclariensis Abbas, ad annum Justini junioris primum, qui juxta ipsius sententiam anno 566. exorditur, de illa Armeniorum rebellione hæc habet. „ Armeniorum gens, & Iberorum, qui a prædicatione „ Apostolorum, Christi susceperunt fidem, dum a Co- „ sdroa Persarum Imperatore ad culturam idolorum com- „ pellerentur, removentes tam impiam jussionem, Ro- „ manis se cum provinciis suis tradiderunt: quæ res in- „ ter Romanos & Persas pacis fœdera rupit „. Hæc defectio (Pagio teste) tardius contigit, quam anno 567. uti mox patebit. Justam autem fuisse hujus defectionis

cau-

causam; docent pacta anno 561. Justinianum inter ac Chosroëm conventa, de quibus Menander in excerpt. de Legat. pag. 137. & seq. „ Hujus rei gratia Justinianus „ Petrum Prætorianarum cohortium præfectum, Chosroës Indegovarch legatum dignitate Zichum, ad fines circa Daras miserunt, ubi tandem decreto sancitum est, ut per 50. annos pax esset, Romanis Lazicen Persæ redderent: valere pacis conditiones & utrinque observari, hac per Orientem, hac per Armeniam, & per ipsam quoque Lazicen. Triginta aureorum millia singulis annis, quibus pax erit, Romanos Persis præstare: universam decem annorum hujus annuæ præstationis quantitatem ita repræsentari, ut septem annorum summa præsenti pecunia, trium reliquorum annorum, quæ restabant ex decem, statim a decursu & peracto septennio persolverentur: deinde per reliquos annos ex conventione solutio fieret. *Et paulo post pag.* 142. His ita decretis & corroboratis, separatim pacta sunt interposita de Christianis, ut illis liceret, Templa construere, & sine ullo timore sacra peragere, & gratiarum actiones per hymnos Deo, sicut apud nos fieri consuevit, canere, neque cogi Magicis ceremoniis interesse, aut invitos colere & venerari Deos, qui apud Medos Deorum numero habentur. Neque tamen ideo Christiani auderent conari Magica sectantes in suam sententiam pertrahere. Obtinuit quoque, ut Christianis potestas esset mortuos sepulcris condere, & illis ad nostrum morem justa persolvere. Deinde scribit Menander. *Petrus illic* (scilicet in confiniis ubi pax fuerat sancita) remansit, *ut Festum Nativitatis Christi Dei* (*instabat enim augusta & veneranda dies* (exeunte anno 561.) *sancte & religiose coleret. Nec multo post illic adhuc Epiphania quoque ex Ecclesiæ constitutione sancta habita, celebravit* (ineunte scilicet anno 562.) Postea ad Chosroëm accessit, & *Suaniam* Regi Lazorum alias subjectam, Romanis reddi postulavit. Sed Chosroës jam constitutis nihil addere voluit, de *Suanis* cum contemtu lo-

quu-

quutus. *Suanos juga Caucasi habitare, esse latrones, prædarum abactores, & quorumcumque gravium & immanium scelerum patratores*. Subjunxit Chofroës: *Hodie præterierunt decem anni, ex quo Suaniam occupavimus: Legatos sæpius a vobis excepimus, & nullam unquam mentionem de Suania fecistis*. Nihil itaque Petrus de Suania obtinuit. Sed tamen Romani & Persæ bella deposuerunt. Quare quum *Suania* anno 551., ipso tempore, quo secundæ Induciæ Quinquennales constituerentur, in potestatem Persarum venerit, hoc anno 561. pax hæc Romanos inter & Persas sancita. Atque hæc de pactis anno 561. conventis. Nunc ad Persarmenios a Persis anno 570. deficientes. Theophanes Byzantius in excerptis de Legationibus. „ Armenii a Surina male accepti (*maxime in pietatis religionisque negotio*) Surinam conjuratione facta per Vardanum (cujus fratrem Manuelem ille interfecerat) & alium quemdam Verdum occiderunt; & a Persis deficientes, ad Romanos transiere: relictoque oppido, quod incolebant, *Dubii* nomine, in Romanorum regionem commigrarunt: atque hæc ipsa potissimum causa Persis fuit rumpendi fœderis, induciarumque cum Romanis. Desciverunt post hos statim etiam Iberes, & Gorgone ipsos ducente, ad Romanos transierunt. Metropolis autem Iberorum Tiphilis tunc erat. „ Marcianus Justini Imperatoris patruelis, Orientis Dux jam renunciatus, in expeditionem adversus Chofroëm, octavo Imperii Justini anno missus est. Joannes vero Armeniæ Dux, & Meranes Persarum, qui & Baramaanes, exercitum colligebant. Et Armeniis quidem socios se conjunxerunt Colchi, Abasgi, Saroës Rex Alanorum: Meranæ vero Sabiri, & Daganes & Dilmaina gens „. Quæ narrat Theophanes (uti notat Pagius) postquam retulit Legationem Justini ad Turcos anno 569. obitam: quare anno 570. ea Armenorum defectio contigit: Adeoque dum idem Theophanes *annum Justini octavum* memorat, non de ea Armenorum defectione loquitur, sed de consecuto post illam bello, quod ad mortem usque

Chosrois, ideft ad ann. Chr. 579. duravit. Theophani Byzantio suffragatur Evagrius lib. 5. cap. 7. in hæc verba: *Hujus Gregorii Pontificatus anno primo, incolæ majoris Armeniæ, quæ nunc Persarmenia dicitur, fidem Christianam professi, quum a Persis graviter vexarentur, præcipue eis in rebus, quæ ad religionem uxorum pertinebant; clam Legatos ad Justinum miserunt. Quam Legationem quum admisisset Justinus, & conditiones quasdam scriptis proditas admisisset, Armenii præfectos suos necarunt, & universi Romano Imperio sese adjunxerunt, una cum finitimis, quos sibi sociaverant, tam ejusdem gentis, quam alienigenis, Duce Vardane, qui apud ipsos genere ac dignitate & rei militaris peritia eminebat.* Gregorius Antiochenus Episcopus anno 570. sedere cœpit, ideoque occulta ea Armenorum ad Justinum juniorem Legatio, & cædes præfectorum ad annum 570. referendæ videntur. Hanc Pagii conjecturam confirmat quod Evagrius post laudata verba scribit: *His de rebus quum Chosroës conquestus esset, Justinus Legatos ejus cum hoc responso dimisit, terminatam esse pacem, quæ inter ipsos facta fuerat, nec fieri posse, ut Christiani Christianos, belli tempore ad se confugientes, rejicerent.* Nam ab an.567. Romanos inter & Persas pax læsa fuerat, quum Persæ Armenos ad culturam idolorum compellerent, uti ex Biclariensi Abbatem est narratum. Quum vero Chosrois ad Justinum Legatio anno 571. peracta fuerit, Armenorum ad eundem Imperatorem Legatio modico tempore hanc secundam Legationem antecessit. Menander enim Protector in Excerptis de Legat. testatur, Chosroên Legatum ad Justinum misisse elapso decimo anno a pace inter utramque gentem sancita, hoc est, usque ab anno 561. quare Legatio Chosrois ab anno 571. removeri nequit. „ Exacto decimo (*verba hæc sunt Menandri*) quinquaginta annorum Induciarum anno, post „ Surinæ cædem (*erat is Persarmeniæ Rector*) Persarum Rex Sebochtem virum Persam, Legatum ad Justinum Imperatorem mittit. Ille quidem ignorationem eorum, quæ in Persarmenia gesta erant, fingebat;

„ bat: & quum decem anni præteriissent, quorum præ-
„ stationes in unam collatæ, fuerant solutæ.; deinceps
„ Romanos aurum conventum solvere, ut fœderibus
„ scriptum erat, & pacem constare petebat &c. Impe-
„ rator autem Sebochtem ad se venientem, ne mini-
„ mum quidem, etiamsi id alias fecerat, antevertit.
„ Neque ideo minus simul atque ingressus est, Impera-
„ torem, ut moris est, venerans, ad pedes ejus humi
„ procubuit &c. Itaque quum Sebochtes ea, quorum
„ causa venerat, renunciaret, Imperator eum contem-
„ sit., & nullo numero habuit, dixitque, amicitiam
„ pecuniis contractam haud probari &c. Deinde ex ip-
„ so quæsivit, numquid vellet, de his, quæ in Arme-
„ nia, quæ eorum juris erat, contigerunt, differe-
„ re? Et ille, se quidem a Rege suo accepisse, respon-
„ dit, exortum quemdam in illa Provincia tumultum,
„ levem & exiguum: ad eum sedandum Potentem mi-
„ sisse, qui comprimeret & res pristino statui restitue-
„ ret (*quare Armeniorum rebellio exiguo tempore ante*
„ *hanc Legationem facta fuerat*) Justinus palam dixit:
„ se Persarmenos, qui a Persis deficerent, in fidem tu-
„ telamque suam recepturum, neque, siquis eos injuria
„ afficeret, neglecturum: quippe qui eadem, quæ ipse,
„ de religione sentirent. Sebochtes autem, qui apud
„ Persas prudentia excellebat, quum eandem quam cæ-
„ teri Christiani de religione opinionem haberet, etiam
„ atque etiam vehementer Justinum orabat, ne ea quæ
„ se bene haberent, moveret &c. Etenim ut Persarum
„ regionem invaserint (*Romani*) & longe lateque via
„ processerint, offendent omnes non alio ritu Religio-
„ nem, quam ipse colat, colere & amplecti. Hos si
„ occidere susceperint, nihilominus postea longe ipsis
„ inferiores erunt. Etenim injuste contra Christianos
„ orthodoxos enses strinxerint. His tam æquis & leni-
„ bus sermonibus Justinus minime sibi acquiescendum
„ existimavit, sed dixit, etiamsi unum digitum appo-
„ neret, se expeditionem suscepturum: confidere, si in
„ bellum eruperit, Chosroën de medio sublaturum, &

„ Regem Persis datum . Ad hunc modum insolenter „ locutus , Sebochtem missum fecit „. Hinc Romanos inter & Persas cœpit Vicennale bellum , a quo tot clades & miseriæ in Romanam ditionem postea dimanarunt , cujus belli causam tam Menander & Evagrius citati , quam Theophylactus Simocatta in levitatem ac stultitiam Justini Imperatoris rejiciunt . *Romani porro* (inquit Theophylactus lib. 3. cap. 9.) *Persas in crimen vocantes , eos belli hujus inventores esse palam dictitabant , quod Homeritas , (gens Indica* (1) *est , Romanis parens ,) ad defectionem sollicitassent . Quos quum quo volebant , consiliis suis pellicere nequivissent , pace disturbata , incredibilia damna infestis incursionibus eisdem intulisse . Ad hæc irati objiciebant , quod quum Turci Legationem ad Romanos misissent , illi primum Alanos pecunia ab officio detorquere studuerint , ut per eorum regionem Legatos iter habentes interimerent , atque ita transitum impedirent &c. Contra Persæ Romanos belli auctores proclamantes , causas hujusmodi edebant . Quod Romani Armenios Persarum proprios in fidem auctoritatemque suam recepissent , tyrannidemque Surena Climatarcho (idest Climatis , seu regionis Rectore) quem in Armeniam Rex misisset , interfecto , exercuissent . Præterea quod Romani noluissent in annos singulos quinquaginta libras auri consuetas persolvere , quas Justinianus Imperator in fœdere faciendo* (anno 561.) *spoponderat* . Exorto proinde inter Persas & Romanos bello , induciæ triennales anno 575. initæ , a quibus exclusa Armenia . Evagrius lib. 5. cap. 12. *Quare Chosroës quum in Romanorum ditionem jamjam invasurus esset , trium annorum Inducias pactus est in Orientis partibus : cautum tamen , ne Armenia simili conditione frueretur* . Omnis igitur motus in Armeniam est translatus , quam Persæ anno 576. oc-

(1) Ita Græci vocabant Arabiam Felicem , eique freto interjacente , oppositam Abassiniam sive Æthiopiam . Verum Homeritas non Persarum Rex , uti Justinus opinabatur , sed Jacobus Zanzalus ejusque Sectarii Monophysitæ , in Romanos ad defectionem sollicitarunt . Lege Chronicon Syriacum Barhebræi Tom. 2. Biblioth. Orient. p. 331. ubi tam Arethas Gabalæ filius Arabum Rex , quam Monderus Arethæ filius , Jacobitarum patrocinium suscepisse narrantur , adeoque a Romanis defecisse .

occupatam, misere devastarunt. Duravit Persicum bellum usque ad annum Chr. 593. quo Chosroës junior cum Imperatore Mauricio pacem fecit. Theophylactus lib. 5. cap. 15. *Fœdera inter Romanos & Persas pari æquitate coli cœpta. Hoc tandem modo acre illud & Persicum bellum a Romanis non sine gloria finitum atque compositum est*. Cœperat anno 571. quo Armenorum defectio occasionem belli gerendi dedit.

Ex dictis patet, primo, falsum esse, quod apud Galanum Tom. 2. pag. 123. narratur, Vartanum scil. Principem Armenum, Surina Persa cæso, Constantinopolim venisse circa annum 553. quo Quinta Synodus celebrata est: nam ea Vartani Armenorumque defectio non ante annum 570. contigit: adeoque annis 17. post celebratam Quintam Synodum.

Secundo patet, falsum item esse, quod loc. cit. apud Galanum subjungitur de Armenis. „ Reversis tandem „ illis in Armeniam, pars quidem ejus gentis prompto „ ac alacri animo recepit Unionem; pars vero respuens, „ literas ad Apas, Albaniæ finitimæ provinciæ Patriar- „ cham, scripsit in hæc verba: *Veni nobiscum*, *fide*, „ *consentiens in eo*, *quod unicam Christi Dei naturam* „ *confitearis*; *atque in cantico*, *Sanctus Deus*, dicas, „ *Qui crucifixus es pro nobis*. At ille renuens rescripsit. „ Petrus & Gregorius, mei decessores, in eum modum „ dicebant Canticum: *Sanctus Deus*: Quamobrem ni- „ hil ipse additurus sum, nec etiam dempturus, Scri- „ pserunt similiter ad Iberos, a quibus pariter repulsi „ sunt „. Nam Lazi, Colchi, Iberes, Suani, eandem tunc temporis religionem colebant, ac Græci Constantinopolitani, idest Orthodoxam. Quin imo Armeni ipsi nulla in re, quoad fidem Catholicam, ab iisdem Græcis discrepabant, quemadmodum ex pactis conventis cum Persarum Rege anno 561. manifestum fit: ubi Legatus Justini Imperatoris anno exeunte 561. Nativitatem Domini die 25. Decemb. & anno ineunte 562. die 6. Januar. Epiphaniam celebrasse dicitur: id quod argumento est, Armenos hac etiam in re cum Græcis convenisse. Denique

nique anno 571. Sebochtes, vir Christianus, Legatus Persarum Regis, Justino Imperatori de Christianis in Regno Persarum constitutis, inter quos præcipui erant Armeni, dicebat: *Etenim ut Persarum regionem invaserint Romani, & longe lateque via processerint, offendent omnes non alio Ritu Religionem quam ipse Justinus Imperator colat, colere & amplecti: injuste proinde contra Christianos orthodoxos enses strinxerint.*

Tertio consequens est, ante memoratæ Armenorum defectionis tempora, hoc est, ante annum 570. quo Vartanus, cæso Surina, ad Romanos a Persis defecit, contigisse ea omnia, quæ a Chronographo Armeno n. 22. & 23. narrantur de Patriarchis *Johanne Capieghino & Moyse Aracazuodano*, apud Galan. T. 1. a p. 105. ad 120. Nam nova illa Epocha ab Armeniis instituta fuit anno Christi 551. adeoque Johannes Capieghinus Patriarchæ, annum 551. antecesserit oportet, quum illa Epocha post ejus decessum a successore *Moyse* (1) primum usurpata dicatur. *Armeni* (inquit Galanus Tom. 1. p. 105.) *utuntur peculiari Computatione* (2) *millesimi, quæ tempore Moysis, Vigesimi tertii Patriarchæ, incepit ab anno Chr. 551. qui quidem numerus, si Armenicorum addatur millesimo, efficitur annus Christianus*. Pagius ad ann. 552. num. 23. *Hoc anno Armenii Eutychianam hæresim antea amplexi, novam eram instituerunt, quæ etiamnum apud eos usurpata. Cœpta ea die nona mensis Julii, Feria 3. ad formam annorum Nabonassareorum: ita ut anni singuli constant mensibus 12. æquabilibus, ac triginta diebus, cum Epagomenis quinque, ut in annis Nabonassareis*. Itaque Epocha illa eo instituta videtur, quod Moyses Patriarcha eodem anno 112. *Thevinense Conciliabulum* iterum celebraverit, in quo invectam sub Niersese heresim confirmavit.

Quarto Auctor Anonymus *narrationis, a S. Gregorii tempore ad suam usque ætatem, de iis, qui ejus, seu Sedis*

(1) *Millesimus*, pro, Epocha seu Era usurpatur a Galano.
(2) P. Jacob. VVillott Soc. Jesu in Serie Patriarch. Armeniæ pag. 748. Moyses sub quo anno 551. Armenii Kalendarium suum digesserunt.

Sedis ejus ordine, *successores fuerunt*, editæ a Combefisio in Historia Hæresis Monothelitarum pag. 271. in assignanda Conciliabuli Thevinensis Epocha, quamlongissime a vero aberrat. Ait enim de Armenis, *Tametsi a S. Gregorii & aliorum Patrum traditionibus jam deflexerant*, *nihil tamen apud eos de Fide & Synodo Chalcedonensi*, *duplicique in Christo natura dubitatum esse*, *usque ad annum centesimum tertium a celebrata Synodo Chalcedonensi*, *usque ad Synodum Tiben* : ἕως ἐτῶν ργ'. ἀπὸ τῆς συνόδου τῆς ἐν χαλκηδόνι, ἕως τῆς συνόδου Τιβὴν. *Deinceps vero eos recessisse a Romanorum* (idest, Græcorum) *Communione*, *Hierusalem anathemati devovisse*, *ac Sanctam Chalcedonensem Synodum*, *unam confitentes naturam deitatis & humanitatis*; *atque ad Hymnum tersanctum*, *vocem istam addidisse*, Qui crucifixus es pro nobis, *obsignata propriæ manus scripto promissione*, *se nunquam ab illa Communione recessuros*. Idque contigisse asserit *anno* 24. *Norsesis Patriarchæ*, & 12. Justini Imp. & 24. Chosrois Persarum Regis. En Græca ipsius verba. ὥρισαν δὲ μεγάλην σύνοδον ἐν πόλει τιβὴν τῷ κδ'. ἔτει τοῦ αὐτοῦ καθολικοῦ Νορσέση, καὶ τῷ ιβ'. ἔτει τοῦ Ἰουςίνου, καὶ τῷ κδ'. χοσρόη τῶν περσῶν βασιλέως, καὶ τῷ ἐνταυτῷ ᾧ ἐμαρτύρησε Νεςιπόςι, καὶ ἐν ἀρχῇ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν Ἀρμενίων. *Illi magnam Synodum in urbe Tiben indixerunt anno* 24. *ejusdem Catholici Norsesis*, & 12. *Justini*; *nec non* 24. *Chosrois Persarum Regis*, *quo etiam anno Nestipolli martyrium obiit*, *atque initio Numeri* (*idest Epochæ*) *Armenicorum*. Additque, recensitis annis Sedis Johannis 17. & Moysis 30. motas esse apud Armenios quæstiones de fide, temporibus Johannis & Moysis usque ad ann. 1. Chosrois secundi, qui per manum Mauricii Imperatoris Regnum obtinuit : συζητούντων τῇ πίςει ἐπὶ κ'. ἔτη, ἐν ἡμέραις τοῦ ἐυανέση τοῦ καθολικοῦ καὶ μωσῆ, ἕως ἑνὸς ἔτους χοσρόη, ὃς ἐβασίλευσεν ἐν χειρὶ Μαυρικίου καίσαρος. Atqui *Notæ* istæ temporum, quibus certe indicatur Synodum illam Thevinensem anno primo Epochæ Armenicæ, hoc est Christi 551. cele-

(1) Joannis nomen Armenice profertur *Uhan*, unde *Evanesis*, *Byanises*, *Byenises*, *Euchanius*, *Boanesis*, & *Bianises*.

celebratam, stare nequeunt, Nam duodecimus Justini junioris annus componi non potest cum Chosrois 24. uti neque Justiniani duodecimus. Constat quippe Chosroem 1. anno Chr. 531. Persicum thronum ascendisse, qui Justiniani quintus fuit. Quo fit, ut 24. Chosrois incidat in Justiniani 28. Chr. 554. ut proinde cum duodecimo Justini junioris anno colligari minime queat. Ad hæc Norsesi seu Nersesi, in fine hujus Narrationis, uti & in Annalibus Armenorum apud Galanum, quinque dumtaxat Episcopatus anni tribuuntur: non ergo vigesimo quarto anno is Concilium habuit. Postremo, *annus primus Epochæ Armenorum*, congruit anno Chr. 551. idemque inchoatus est non sub Nersese Patriarcha, sed sub *Moyse*, qui Johannem Nersesis successorem excepit: si ergo id Concilium habitum anno primo Epochæ Armenicæ, hoc-est, Chr. 551., non igitur *centesimo tertio post Synodum Chalcedonensem*, nam hic annus ab anno 451. ductus, indicat annum Chr. 554. non 551. Atqui Photius in Epist. ad Zachariam Armeniæ ipsius ævo Catholicum, quam Galanus recitat, alium assignat annum celebratæ Synodi Thevinensis: ut supra dixi. Ait enim Concilium Chalcedonense admissum ab Armenis fuisse annos 84. a secundo Marciani Imp. qui fuit Christi 451. ad decimum usque Justiniani, & sextum Nersesis Ascdarachensis, sive Chr. 536. quo a Catholica Ecclesia defecerunt. Quid ergo ad hæc dicemus? Auctor Græcus ejus Narrationis perperam confundit duo Thevinensia Conciliabula, & ex illis duobus unum facit; anno tamen secundi conciliabuli ad primum perperam rejecto. Primum igitur Conciliabulum habuit *Nerses* Anno Justiniani 1. Chosrois 5. Chr. 536. qui erat *octogesimus quartus* a Synodo Chalcedonensi: quo in Conciliabulo ea omnia decreta, quæ in Græca Narratione recitantur. Alterum Conciliabulum, in quo primum fuit confirmatum, congregavit *Moyses anno primo Epochæ Armeniorum*, Chr. 551. *Justiniani* 25. *Chosrois* 20. *ipsius Moysis* 1.

Quod addit Auctor Græcus, *Armenios temporibus Johannis & Moysis circa fidem per annos* 20. *contendisse*

ſe uſque ad annum primum Choſrois, qui Regnum per Mauricium accepit, ideſt uſque ad annum 591.; id intelligi nequit *de ſolis annis* 20. qui anni ſive ab initio Sedis Johannis, ſive ab ultimo ipſius anno deſumantur, certe ad annum 591. non perveniunt, ſed ita id ampliandum eſt, ut & illos 20. annos ſub utroque Catholico complectatur, & inſuper poſt annum 580. quo Moyſes deceſſiſſe dicitur, undecim alios annos indigitet, quibus Abraham Patriarcha ſedebat. Nam Catalogus Græcus poſt Moyſem hæc de *Abrahamo* ipſius ſucceſſore habet: ὁ Ἀβραάμ, ἀπὸ Ἀρασυνῆς, ἔτη κγ'. *Abraham ab Araſtune, annos* 23. Ab anno ſcilicet 580. ad 603. Annaliſta vero Armenus: *Domnus Abraham Ruſcdunianus, ab oppido Aghpatani, annos* 23. *Cujus tempore Iberi & Colchi ab Armenis diviſi ſunt, & Sacroſanctum Chalcedonenſe Concilium ſuſcipientes, Græcis adhæſerunt: cujus rei auctor fuit Cyrinus Iberorum & Colchorum Patriarcha, Catholicus nuncupatus*. Abrahamo ſedente, impoſitus fuit, juſſu Mauricii, Armenis Patriarcha *Johannes Ghocoutanus*, eo quod is ab orthodoxa fide non abhorreret. Catalogus Græcus: Ἰωάννης, ὁ ἀπὸ παχρανᾶ ἔτη κϛ'. *Joannes a Pacrana, annos* 26. Annales Armenorum apud Galanum: *Domnus Joannes Ghocoutanus, ex oppido Pacaranæ, annos* 26. *Is juſſu Mauricii Imperatoris creatus fuit Patriarcha nedum Armeniæ, verum etiam regionis Græcis ſubjectæ, & regula ſua regiminis, adhuc vivente prædeceſſore Abrahamo, in pago Avan præſcripta fuit*: nimirum ibi ſedem habebat. *Choſroes* [inquit Quienus Tom. 1. pag. 1384.] *grati animi cauſa, Armeniam integram* (anno 591. aut ſequenti) *Mauricio Imperatori dedit ad Tiben ſeu Thevinum uſque civitatem: Muſilem Armenum exercitus ducem ad eum Conſtantinopolim miſit: quo Regiæ hujus urbis fidelium communionem evitante, juſſit Imperator Abrahamum* (1) *Catholicum & Epiſcopum* (2) *ad ſe a militaribus copiis duci. Venire renuit*

(1) Ita legendum omnino eſt; non *Moyſem*, uti habet Galanus; nam Moyſes ultra annum 580. Vitam non produxit: hæc autem geſta ſunt anno 591. vel 592. quo Choſroes Secundus, Mauricii opera, ut ſupra dictum eſt, Regnum iniit.

(2) Leg. *Epiſcopos*, uti infra dicitur.

Abrahamus, *hoc dato responso* : Absit, ut transeam flu- vium Azat, vel furno coctum comedam, aut Calidam bibam : *significans scilicet nolle se Eucharistiam ex Fer- mentato Pane confectam*, *& Calicem ferventi aqua*, *Græ- corum more*, *delibutum potare*, *quum apud se Azymus Panis offerretur*, *& vinum omni aqua purum*. *Eodem modo Episcopi provinciæ Aspuran*, *Imperatoris jussa ex- ceperunt*; *utpote qui sub ditione Persarum perseverabant*, *Azat fluvio a Romanis discreti*. *Provinciæ vero Taro- nis Præsules Constantinopolim profecti*, *post multam di- squisitionem*, *Catholicam fidem*, *datis cum jurejurando libellis*, *professi sunt*. *Hos in Armeniam reversos*, *Abra- hamus admittere renuit*, *uti etiam reliqui de Persica Ar- menia*. *Quapropter Imperator Taronitis Catholicum de- signavit* Johannem a Cocosta regionis Pancratorum, ἐποίησε δὲ αὐτὸς καθολικὸν τὸν Ἰωάννην ἀπὸ κωκοσᾶ παγκράτων χώρας, (quem Galanus Tom. 1. pag. 125. *Johannem Gho- coutanum* dicit.) *Armeni hoc modo inter se divisi*, *mu- tuo pugnare cœperunt de duabus Christi naturis deque Sy- nodo Chalcedonensi*, *totis* 14. *annis*, *quibus in vivis su- perstes Johannes* (1) *fuit*, ἔτη ιδʹ. ἕως τῆς τελευτῆς Μωσῆ (leg. Ἰωάννε) Idest, quibus Johannes Sedem Armeniæ te- nuit : quam ex dictis patet eum tenuisse ab anno 592. usque ad annum 606. per annos 14. quibus expletis, ab Abrahamo compulsus fuit alio migrare, uti mox narra- bitur : quumque sedisse dicatur annos 26., obierit neces- se est extra Armeniam anno Chr. 618. quo fit, ut Abra- ham quoque in vivis superstes fuerit, saltem usque ad ann. 607. ac proinde annos sederit non 23. sed 27. quot ab anno 580. ad 607. numerantur. Pergit quippe Quie- nus ex Græca narratione, postquam anno Sedis decimo quarto pulsum Joannem ab Abrahamo dixisset. *Tum ve- ro Abrahamus Episcopos*, *Presbyteros*, *Monasteriorumque præfectos coegit*, *ut aut Synodo Chalcedonensi anathema dicerent*, *aut solum mutarent*. *Id factum Auctor Græcus*

ea

(1) Apud Quienum, *Moses*. Ita & Galanus : uterque deceptus ab Amanuensi narrationis Græcæ, qui pro *Joanne*, obtrudit *Moysen*, qui certe tempora Chosrois II. non attigit.

eo anno narrat, quo Chosroes Armeniam sibi denuo vindicavit : ἐν ᾧ ἔτει προσέλαβε χοσρόης βασιλεὺς τὴν χώραν Ἀρμενίας, ὅτε καὶ Ἀβραὰμ κατεστάθη καθολικός, *Quo anno Chosroes Rex regionem Armeniæ recepit, tunc & Abraham constitutus fuit Catholicus*, ideſt Armeniæ universæ regimen accepit; quum antea Perſicæ dumtaxat Armeniæ præfuiſſet. Qui ſtatim in Orthodoxos debacchari cœpit, auctoritate fretus Chosrois, qui partem illam Armeniæ, quæ Romanæ ditionis erat, anno Phocæ (1) quinto, Regni ſui 17. Chr. 606. ſubjugaverat. Quare Abraham, qui totam Armeniam invaſerat, Joannem illum Orthodoxum Patriarcham ejuſque Epiſcopos adegit, ut alii in regionem Tais, alii in Romaniam, alii alio migrarent.

Quo tamen tempore in Armenos Orthodoxæ fidei profeſſores impius Abrahamus ita deſæviebat, Colchi & Iberes acceptam ſub Juſtiniano Catholicam religionem adhuc integram illibatamque ſervabant: Id quod innuere videtur Annaliſta Armenus, dum ſcribit, ſub Abrahamo Patriarcha heterodoxo, *Iberos & Colchos, opera Cyrini ipſorum Catholici, ab Armenis diviſos fuiſſe, Græciſque adhæſiſſe*, additque ſub *Nierſeſe xxi. Armenorum Catholico: occaſione nempe* Synodi Thevinenſis ab ipſo celebratæ (anno 536.) *Georgianos, Siunienſes, & quatuor Armenos*) ideſt Quartæ Armeniæ incolas, *ab unione cum cæteris Armenis ſeipſos retraxiſſe; quamquam cum iiſdem poſtea iterum reconciliati ſunt*. Nam (quidquid ſit de ſequiori ævo, in quo Armeni per Armeniam, Mediam, Perſidem, Iberiam, Colchidem, Lazicen, & Suaniam diſperſi, obedientiam Patriarchæ in Armenia majore reſidenti, exhibebant:) certe Iberes, Colchi, Lazi, & Suani ſuos, ex quo Chriſtianam fidem ſub Conſtantino Magno acceperunt, Orthodoxos Epiſcopos ab Armenis prorſus diverſos, habuere, uti ex Procopio aliiſque

(1) Quienus p. 1185. annum Phocæ quintum componit cum anno Chosrois 20. ſed fallitur; nam annus primus Chosrois in annum Chriſti 591 incidit: annus autem quintus Phocæ congruit anno Chr. 606. Ab anno autem 591. ad 606. fuere anni 17. non 20.

isque Græcis scriptoribus patet : neque unquam perhibentur Armenorum erroribus consensisse. Procopius l. 1. de Bello Persico, *Iberes suo ævo Christianos omnes fuisse testatur* : Eorumque in Christianis legibus constantiæ hoc specimen affert, *quod Cabades Persarum Rex quum Iberes vellet ad religionis suæ instituta transferre, Gurgeni ipsorum Regi mandavit, uti tum reliquos Persarum ritus admitterent, tumque in primis mortuos ne tumularent, sed in prædam avibus canibusque projicerent. Quocirca Gurgenes in Justini Imperatoris fidem concesserit, petieritque ab eo ut sibi promitteretur, nunquam Iberes a Romanis Persarum potestati permissum iri: quod ultro spopondit Justinus*. Cabades anno 501. in Regnum Persarum restitutus, decessit an. 530. aut sequenti. Justinianus Imp. (Chosroë Persarum Rege in Laziceu, seu Colchidem bellum movente) *Gubazem Lazorum* tum temporis Regem, & universam gentem sibi subditam, sibi & benevolam & communis Religionis cultusque divini nexu conjunctam, deserere nec æquum nec justum censebat, inquit *Agathias* lib. 2, pag. 56. edit. Parif. Idem Justinianus in locum Gubazæ cæsi, *Tzathem* Lazorum Regem creatum corona aurea & insignibus Regiis donavit, apud eund. Agath. pag. 90. Procopius de Bello Goth. lib. 4. cap. 2. Christianam Religionem eodem quo a Græcis ritu sub Justiniano Imp. cultam fuisse scribit a Lazis, Colchis, Iberibus, Svanis, & Abasgis. Idem Procopius de ædificiis Justiniani lib. 5. cap. 9. asserit, Justinianum instaurasse Hierosolymis hæc Monasteria: *S. Thalelæi*: *S. Gregorii*: *S. Panteleemonis in eremo Jordanis*: *Xenodochium in Hiericunte*: *Ecclesiam Deiparæ in Hierichunte*: *Monasterium Iberorum Hierosolymis*: & *Lazorum in Eremo Hierosolymitana*. Demum S. Gregorius Magnus lib. xi. Ep. 67. Episcopos Iberiæ Orthodoxos fuisse testatur: sic enim inscribitur ejus Epistola (data anno 603. Ind. v.) *Quirico* (al. *Quirino*) & *ceteris Episcopis in Iberia Catholicis*. Hic enim est quem Annalista Armenus *Cyrinum* vocat, asseritque, ejus opera, Iberes & Colchos ab Armenis divisos, Græcisque idest Orthodoxis adhæsisse : idque

idque ineunte fere anno Chr 600. factum, ex S. Gregorio colligitur. Jam itaque Catholici erant Iberes, antequam Abrahamus eam persecutionem in Orthodoxos Armenos excitaret.

Abrahamo successit *Chomitas*, de quo Auctor Græcus: Κομιτὰς ὁ ἐκ κώμης ἐλτζησαρακιτζοῦ, ἔτη η'. *Chomitas ex Oppido Eltzesarakitzu, ann.* 8. Annalista Armenus, *Domnus Chomitas Arachazvodanus, ex oppido Aghziz, ann.* 8. Hic extruxit prope Avan, Ecclesiam SS. Ripsimæ & sociarum. Hunc etiam fuisse hæreticum docet Græcus Scriptor: οὗτος δὲ ὁ Κομίτας μᾶλλον ὑπὲρ πάντας διήγειρε τὴν φιλονεικίαν ἐν τῷ ἀναθεματίσαι τὴν σύνοδον Χαλκηδόνος, *Hic autem Comitas super omnes excitavit contentionem, anathematizando Synodum Chalcedonensem*: Quienus p.1386. addit: *Tractatus multos edidit Sancti Isaac nomine inscriptos, quorum uni Amartanac nomen est*. Quare in Catalogo Hæreticorum adjungendus est Tom. 2. Galani. Sequitur *Christophorus*, de quo Græcus. ὁ Χριστοφόρος ὁ Ἀβρααμίτης, ἔτη γ'. *Christophorus Abrahamita, ann.* 3. Annalista Armenus. *Domnus Christophorus, genere illustris, e progenie Abrahami, annos* 5. Addit Græcus, *Christophorum sede exturbatum esse: quumque æmulus* (Joannes scilicet Maracumensis) *illius casu valde gauderet, ceu nempe locum ejus esset occupaturus, spe sua cecidisse*, ἀλλ' οὐδὴ τότε ἐπέτυχεν. *Esdram quippe constitutum fuisse Catholicum, quem Joannes infenso proinde oculo contuebatur*: ἐγένετο γὰρ ὁ ἔσδρας ὁ Καθολικὸς, ὁ δὲ Ἰωάννης βλοσυρῷ τῷ ὀφθαλμῷ αὐτὸν ὑπέβλεψεν.

Ejecto itaque Christophoro, subrogatur *Esdras a Nica qui annos* 10. *sedit*. Sic Græcus: ὁ ἔσδρας, ὁ ἀπὸ Νικᾶ, ἔτη ι. Concinit Annalista Armenus, qui pro *Esdra, Jeserem* scribit. *Domnus Sanctus Jeser Necainus, ex Oppido Parrasnachiert, qui fuerat ab infantia in Patriarchali Palatio educatus, vixitque in Patriarchatu annos* 10. *Sub ipso celebratum est in urbe Charno Concilium, jussu Heraclii Imperatoris, qui ad illud convocavit omnes Episcopos & Principes Armeniæ unacum Jesere eorum Patriarcha, necnon plures Græcorum sapientes: quibus*

bus post menstruam Collationem & diligentissimum examen, omnes prædicti Armeni consenserunt: atque cum Græcis reconciliati, Thevinense Concilium anathemate percusserunt: Festivitates Nativitatis & Baptismi Domini, rursus, ut antea, separatim celebrandas decrevere. Et Additionem illam, Qui crucifixus es pro nobis, *a Trisagio removentes, illud erga Sanctam Trinitatem ita statuerunt decantandum*, Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, miserere nobis. *Sacrum denique Concilium Chalcedonense, ejusque Decreta, haud aliter ac tres alias præcedentes Sanctas Synodos, honore prosecuti sunt, & receperunt*. Recole quæ supra pag. 208. de Charnensi Concilio sunt a nobis adnotata. Ea vero peracta Synodo, Joannes Maracumensis, qui Euthymio in Panoplia *Euchanius Maudacunes*, Stephano Cartamensi Episcopo, & Mathusala, aliisque persuadere conabatur, ut nec Synodi Decreta susciperent, nec cum Esdra aliisque idem sentientibus Episcopis communicarent. Idem Joanni Nicæno in Epistola ad Zachariam Armenorum Catholicum *Joannes Maurocomita* vocatur, Eutychiano errore imbutus, diciturque, Armenos, qui a Theodosiopolitana Synodo defecerant, Stephanum quoque Episcopum Cartamensem & Mathusalam ex urbe Sina ortum, provocasse, ne Esdræ Catholico communicarent, aut cum illis, qui eadem ac Esdras saperent. Quæ quum ille moliretur (uti narrationis auctor apud Quienum Tom.1. Orient. Christ. p.1388. perhibet) venisse perhibentur Stephanus Cartamensis & Mathusalam ad Esdram Catholicum, ejusque communionem inivisse, ex quo in Joannis Maracumensis odium incurrerunt, quumque multis eos injuriis affecisset, nihil tamen obtinuit: omnes enim ab eo prorsus defecerunt: quin Armeni Catholicam fidem mordicus tunc tenuerunt.

Gregorius Armenorum Catholicus in Epist. ad Haytonem Regem de Patriarchis, Esdræ successoribus: *Post Domnum Jesdram (inquit) tunc temporis Patriarcham, quinque alii Patriarchæ successores, in eadem perstiterunt fide: idest, orthodoxa*. Annalista Armenus: *E concor-*

tertia vero Jeferis (hoc est, ab anno Christi 632. quo Charnensis Synodus orthodoxa sub Esdra fuit celebrata:) *usque ad Joannem Oznienſem, fuit iterum obediens annos* xcv. idest, usque ad annum Chr. 727. quo Conciliabulum Manasgardense ab eodem Joanne Oznienſi hæretico habitum fuit, de quo Conciliabulo ex Armeno Chronographo, apud Galanum Tom. 1. pag. 201. hæc sunt a me supra pag. 224. recitata. *Domnus Joannes Ozniensis e provincia Dascerana, annos* xi. *Hic jussu Homaris Saracenorum Ducis, & auxilio Chaliphæ Babylonis, Synodum congregavit in urbe Manaschierti, in confinibus Harcanæ provinciæ: ubi convenientibus cum Armenis, sex Assyriis Episcopis, definita fuit in Christo una natura, una voluntas, & una operatio: Cætera*. Mirum est, quod inter tot absurda, quî ab Oznienſi Joanne, & a Syris Jacobitis Episcopis in illa sunt Synodo sancita, locus ullus Additamenti ad Trisagium hymnum non inveniatur: quum certum sit, hæreticos Armenos & Jacobitas non nisi cum illa Appendice hymnum Trisagium ita cecinisse, sicuti in Thevinensi pseudosynodo decretum fuerat: quinimo ex Canone Trullano 81. a nobis supra relato, constat, non defuisse anno Christi 691. hoc est, non multis ante Manaschiertense Conciliabulum annis, quî *in nonnullis locis*, Armeniæ præsertim ac Mesopotamiæ, post illud, *Sanctus Immortalis*, additamenti loco hoc dicerent, *Qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis*. Et quamvis in Charnensi Concilio anno 632. Additamentum illud a Trisagio removentes, per annos 95. orthodoxam fidem quinque Patriarchæ coluerint; eodem tamen tempore Pseudomagistri nonnulli extitere, qui hæresim palam, ac præsertim in Armenia majore, & in Persarum ditione, propugnarunt.

Quinimo Theophanes ad annum Incarn. secundum Alexandrinos 737. Kalendis Septembris anno Chr. 745. inchoatum, ab Armenis & Jacobitis Byzantium a Constantino Imperatore e Syria translatis & Thraciam incolentibus, non nisi cum appendice, *Qui crucifixus es pro*

pro nobis , Trisagium fuisse decantatum scribit . Verba ejus recito . *Dum hæc geruntur , Constantinus Germaniciam invasit , exercitumque in Syriam , & Dulichiam emittit , commodam ex Arabum bellis vincendi occasionem nactus . Arabes etiam ex eis urbibus inermes eductos , & in fidem suam receptos , nec non patris* (Leonis Isauri) *consanguineos cum pluribus Syris Monophysitis , hæreticorum nota inustis , Byzantium transtulit : quorum reliquiæ Thraciam incolentes , in hodiernum usque diem Trinitatem in hymno Ter sancto crucifigentes , Petri Fullonis mentem tenent , & in ea perseverant* . Quod Hymnus Tersanctus (inquiunt Goarius & Combefisius in Notis ad hunc Theophanis locum) in his verbis ab Angelis conceptus : *Sanctus Deus , Sanctus Fortis , Sanctus Immortalis , miserere nobis* ; & ad Deum , qui Trinus est , & veritate gaudet . relatus ; ab eis incrementum istud acceperit : *Qui crucifixus es pro nobis , miserere nobis* ; quasi Deus propria in substantia passus fuerit . Sic enim Constantinopolitanæ Ecclesiæ Alumni de Armenis & Jacobitis sentiebant , & adhuc sentiunt .

SECTIO XIII.

Armeni propter Trisagii additamentum dicti Theopaschitæ & Catzizarii .

PORRO Trisagium fuisse toti Sacrosanctæ Trinitati ab initio decantatum , ostendunt non modo Patres , qui Petrum Cnapheum ob adjectam Appendicem acriter reprehenderunt ; sed etiam quia , ante Cnaphei ætatem , idem Hymnus sine ulla adjectione , Sanctissimæ Trinitati in Synodo Chalcedonensi (1) Act. 1. circa finem tributum fuerat , his verbis : *Orientales , & qui cum ipsis reverendissimi Episcopi dixerunt . Multos annos Senatui . Sanctus Deus , Sanctus Fortis , Sanctus Immortalis , miserere nobis : Multos annos Imperatoribus* . Huc respexit S. Jo. Damascenus lib. 3. de fide cap. 10. sic scribens : *In*

(1) Tom. IV. Conc. Labb. edit. Venet. pag. 1191.

In sancto & magno ac universali Quarto Concilio, quod Chalcedone coactum est, ita cantatus fuisse hic hymnus traditur: sic enim inter hujusce Concilii Acta refertur. Humanum quid passus Christianus Lupus in not. ad Can. 81. Trullanum, citatis hisce Damasceni verbis, subjungit: *At illa Actorum pars intercidit*. Fugit nempe virum doctum Trisagius hymnus inter exclamationes a Patribus decantatus. Utcumque autem a Latinis Græcisque arguerentur, qui Appendicem Trisagio adjicerent, Armeni tamen, Jacobitæ, Copti & Abissini, qui eo Additamento utuntur, ad Filium Christum Dominum, non ad Sanctam Trinitatem Trisagium se referre, semper sunt protestati. Gregorius Armenorum Patriarcha in Epist. ad Haytonem Regem apud Galanum Tom. 1. p. 442. „ Interroga Cœnobitas istos, quidnam referant libri, quos „ & ipsi in futuro Concilio ostendemus: aut quid narret Albanensis Historicus? Id plane, quod universo „ notum est Orienti, decem nimirum Episcopos in „ Thevinensi Conciliabulo permutasse totam pene legem, quæ a Divo usque Gregorio (*Patriarcha nostro*) „ in nobis inviolata perstiterat: Unam quippe naturam „ in Christo constituerunt & Trisagium illud, Sanctus „ Deus, quod Sacrum Concilium (*Chalcedonense*) erga „ SS. Trinitatem decantandum decreverat, superaddentes, „ *Qui crucifixus es pro nobis*, in Filium direxerunt „. Nicon Monachus in opusculo de pessimorum Armenorum pessima religione: „ Armenii adjiciunt Sanctissimo „ hymno illud, *Qui crucifixus es pro nobis*, Petri Fullonis rabiem sequentes. Et nobis quidem asserunt „ se de Filio hoc dicere: ipsi autem Deum esse patibilem aperte sentiunt „. Hinc *Theopaschitæ*, & *Chatzizarii* a Græcis dicuntur. Græcus Auctor *Criminationum* in Latinos, qui temporibus Innocentii III. Papæ scribebat, apud Coteler. Tom. 3. Monument. Eccl. Græc. pag. 509. *Chatzizarii vero dicuntur Crucis cultores. Apud eos enim Chatzi vocatur Crux, arbitranturque Crucem potententiorem esse Christo: quia inquiunt illa Christum interemit. Unde & mediam Crucem clavo transfigunt.*

Calumnia Græculi in Armenos insanientis. Pergit. *Necnon Theopaschitæ sunt ac Monophysitæ ipsi etiam*. Quotquot hæretici unam in Christo naturam profitentur, Theopaschitæ idcirco dicuntur, quia Passionem in divinam Christi naturam referre consequenter convincuntur. Vide Timotheum Presbyterum Constantinopolitanum de Receptione Hæreticorum apud eundem Coteler. Tom. 3. cit. pag. 397. At Armeni *Chatzizarii* vocantur, eo quod Trisagio addunt: *Qui crucifixus es*. Vide Nicephorum Callistum lib. 18. cap. 54. Demetrium Cyzicenum libello de hæresi Jacobitarum & Chatzizariorum, Codini Origines pag. 12. 150. Synodicum Beveregii Tom. 2. pag. 138. ubi Matthæi Blastaris Syntagma Alphabeticum cap 35. de Sacrosancto Hymno, & Lambecium in Biblioth. Cæsar. Vindobon. Tom. v. Codic. 213. num. 2. pag. 36. in Appendice prima Dioptræ Philippi Solitarii, qua continentur capitula quinque historica de Fide & Cerimoniis Armenorum, Jacobitarum, Chatzizariorum & Romanorum seu Francorum, & Codic. 247. num. 9. pag. 121. *Anathematismus hæreseos Jacobitarum & Chatzizariorum*, cujus initium: *ὁ ἀπὸ τῆς* Βδελυρᾶς τῶν Ἰακοβιτῶν, καὶ Χατζιζαρίων αἱρέσεως τῇ ἀμωμήτῳ τῶν ὀρθοδόξων Χριστιανῶν ὁλοψύχως προσερχόμενος πίστει. Ita Græci de Armeniis Chatzizariis. Verum Johannes Joachimus Schroderus in Thesauro de Linguæ Armenicæ antiquæ & hodiernæ Amstelodami an. 1711. Tractatu 3. de confessione Ecclesiæ Armenicæ p. 293. Armenos vindicare conatur a Græcorum criminationibus, sic scribens. *Diluitur criminatio eorum, qui Armenos Theopaschitarum hæreseos postulant, tum ex afferto* Unius naturæ theandricæ post Unionem; *tum ex Appendice Trisagii in Armena Ecclesia decantari soliti, cujus verba hæc sunt*. Diebus Parasceves Paschatis, diebus festis Crucis, & singulis diebus Veneris: *Sancte Deus, Sancte & Fortis, Sancte & Immortalis, qui crufixus es pro nobis, miserere nostri*: *quasi SS. Trinitatem passam esse statuerent Armeni, Græcis propterea* Χατζιζάριοι, *corrupta voce ex* Chatcezar, crucifixus est, *vocandi*: *Nomocan. Can.* ccc.

Ni-

Nimirum tunc soli Christo, Verbo isti incarnato, Trisagium dici asseverat ipse Nierses Lampronensis: quod ipsum manifestum est ex eadem Appendice, pro ratione Festi, perpetuo mutanda: Nativitatis enim Christi festo & Circumcisionis, dicitur: Sancte Deus, Sancte Fortis, Sancte & Immortalis, qui manifestatus es propter nos, miserere nostri. Purificationis Virginis Mariæ, & in Palmis: Qui venisti, & venturus es, miserere nostri. Nocte traditionis Domini: Qui traditus propter nos. Magni Sabbati: Qui sepultus es propter nos. Resurrectionis, & Dominicis diebus: Qui resurrexisti ex mortuis. Ascensionis: Qui sublatus es gloriose ad Patrem. Transfigurationis: Qui manifestatus es in Monte Thabor. Assumptionis Beatæ Virginis Mariæ: Qui venisti ad (1) *transmutationem Matris tuæ & Virginis: & Spiritui Sancto die festo Pentecostes: Sancte Deus, Sancte & Fortis, Sancte & Immortalis, qui venisti & requievisti in Apostolis, miserere nostri.* Æthiopem lavat Schroderus: nisi enim Armeni, admisso Concilio Chalcedonensi, duas distinctas in Christo, non tamen separatas, naturas, humanam & divinam, in una Verbi Persona inseparabiliter & inconfuse unitas profiteantur, nunquam poterunt hæreseos Theopaschitarum & Chatzizariorum labem effugere: sic enim Additamentum non in humanam Christi naturam: sed in ipsam Dei Verbi Divinitatem dirigere convincuntur: maxime, quum Eutychetis errorem sequuti, humanam naturam, a Verbi Divinitate absorptam, ac proinde omnia quæ humanitus a Christo gesta prædicantur, ad Divinitatem ipsam referuntur, quæ humanam absorpserit atque in se transmutarit naturam.

(1) Migrationem.

SECTIO XIV.

Armenorum Pseudomagistrorum errores octo.

Galanus Tom. 2. Conciliat. Eccl. Armenæ cum Romana a pag. 77. ad 93. octo Armenorum Pseudomagistrorum errores circa Verbi Incarnationem recenset. Primus error (inquit pag. 77.) qui radix est aliorum: docent nempe Gregorius Cæsariensis in Epistola ad Moysen Armenorum Patriarcham orthodoxum: Stephanus Siuniensis lib. 1. contra Diophysitas cap. ult. Vartanus Epist. ad Haytonem Armeniæ Regem: Paulus Daronensis Apologia pro una natura contra Theopistum Græcum cap. 1. Gregorius Dattievensis lib. Interrogationum: non esse Armenis declinandum a suorum Patrum seniorumque traditionibus, falso asserentes, Armeniæ Sanctos Patres unam in Christo tradidisse naturam, & alias ad id consequentes impias propositiones.

Error Secundus pag. 79. Ex duabus naturis, divina & humana, unam omnino naturam in Christo factam esse post unionem. Paulus Daronensis loc. cit. Stephanus Siuniensis lib. 2. cap. 1. Gregorius Dattievensis loc. cit. Vartanus in monitis ad Armenos cap. 8.

Tertius error pag. 81. hanc unam ex duabus factam naturam, esse totam divinam, eo quod Deus Verbum humanitatem assumptam ita in Deitatis naturam transmutaverit, ut omnia attributa Divinitatis vere de humanitate prædicentur: idque, ne Divina Trinitas per alterius naturæ accessionem evadat Quaternitas. Ita Siuniensis lib. 2. cap. 3. & Epist. ad Germanum Patriarcham Constantinopolitanum. Joannes Oznientis in Anathematismis: Gregorius Dattievensis loc. cit. Vartanus Epist. ad Haytonem num. 7. Paulus Daronensis loc. cit.

Quartus error pag. 85. Unam similiter in Christo esse voluntatem, & unam operationem, quæ solum divina sit. Vartanus, Siunensis, Daronensis loc. cit. & Joannes Orodniensis in tract. de hæresibus.

Quin-

Quintus error pag. 87. Divinitatem in Christo nitam esse, passam ac mortuam: quare & in Trisagio addunt: *Qui crucifixus es pro nobis*. Quum enim Christi humanitatem impassibilem & immortalem evasisse dicant, consequenter passam & mortuam ejus divinitatem asserunt. Siuniensis lib. 2. cap. 3. Daronensis contra Theopistum cap. 2.

Sextus error pag. 88. Christum non suscepisse in natura humana, defectus corporis pænales, sed habuisse corpus cæleste, gloriosum, leve, subtile, spiritale, incorruptibile, fulgidum, forte, impassibile, & immortale: quod conceptum, natum, ac nutritum quidem sit modo quodam incorruptibili, atque comederit, biberit, dormierit &c. non ex fame, siti, ac necessitate naturali; sed ex placito voluntatis ipsius Christi, quemadmodum comedit, ac bibit post resurrectionem: & passum ac mortuum illud sit modo incorruptibili, & non ex lege naturali carnis passibilis & mortalis, sed quia ipse voluit, quod corpus suum impassibile & immortale eo modo pateretur ac moreretur, ut nos redimeret. Johannes Ozniensis: *Qui Christum non confitetur unam naturam immortalem, anathema sit. Qui dixerit Christum fuisse corruptibilem secundum carnem, & passibilem & mortalem secundum naturam humanam, anathema sit. Qui Christi carnem mortalem dixerit, vel passibilem, anathema sit*: Datievensis in lib. Interrogat. *Christus non dicitur terrestris, sed semper cælestis, etiam secundum carnem..: Non dicitur animalis, sed omnino spiritualis, etiam secundum carnem.· Non dicitur mortalis, sed semper immortalis, etiam secundum carnem. Non dicitur corruptibilis, sed semper incorruptibilis; etiam secundum carnem*. Et rursus. *Christi corpus jam inde ab utero Virginis ita gloriosum fuit, sicut nunc est in Cælo*. Vartanus ad Haytonem num. 10. Daronensis contra Theopistum cap. 8. Siunensis lib. 2. cap. 3. & 4.

Septimus error pag. 91. Christum non suscepisse in natura humana defectus animæ pænales: & sic non vere timuisse, tristatum esse, commotum ira per zelum, admira-

miratum &c. Sed has animæ passiones solum per speciem exhibuisse oculis hominum ad nostram eruditionem. Unde Johannes Maracumensis ajebat coram Esdra Patriarcha, a Saturnino hæretico addita fuisse Evangelio Lucæ illa verba : *Cæpit Jesus pavere & tædere &c.* & Siuniensis dicebat : *Nullus in Deo Verbo incarnato humanæ naturæ, aut voluntatis, aut operationis numerus permansit; sed quidquid in eo est, & voluntas, & operatio, totum divinum dicitur* : & Dattievensis , ac Vartanus , *Christi humanitatem ita ab utero Virginis gloriosam fuisse, sicut est nunc in Cælo*,

Octavus error pag. 92. Verbum Divinum assumpsisse non solum naturam, sed etiam personam humanam , docentes , idem esse naturam , & personam ; nec posse naturam ullam a propria subsistentia separari, & alieno subsistere supposito : & sic ex duabus naturis & personis, divina scilicet & humana , unam esse factam naturam & personam in Christo . Ozniensis loc. cit. *Leo duas in Christo naturas confessus est , & unam personam ; nesciens , quod natura sine personalitate nihil est* . Dattivensis : *Quærunt a nobis Diophysitæ : cur non dicitis in Christo duas naturas? quibus respondendum est, ne duas pariter personas in eodem constituamus, nam si Christus in duas naturas distingueretur , necessario in duas etiam divideretur personas* . Siuniensis contra Diophysitas cap. 3. *natura sine propria subsistentia nullo modo potest existere* .

Hisce erroribus implicati Armenorum Pseudomagistri , passionem & mortem aut phantasticam fuisse & imaginariam dicant oportet ; aut illam , velint nolint , in divinitatem referant . Unde ab omnibus iis , qui Eutychiana aut Severiana hæresi infecti , unam Christi naturam asserunt , cujusmodi sunt Armeni , Jacobitæ , Copti , & Abissini , jure meritoque exigunt Patres Orthodoxi , ut Trisagium hymnum sine illa Appendice recitent , in Sanctissimam Trinitatem tantummodo dirigentes . Ita Gregorius VII. Romanus Pontifex , qui ab anno Christi 1075. ad 1085. Sedit ab Armenorum Patriarcha Gregorio Vecajaser petiit lib. 8. Epist. 1. (apud Galanum Tom. 1. p. 231.

pag. 231.) inquiens: „ Prudentiam tuam charitatis affectu commonendam censuimus, ut clausulam, quam „ in illa Laude subjungitis: *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Immortalis*, istam videlicet, *Qui crucifixus es pro nobis*, quoniam nulla Orientalium præter vestram, sed nec Sancta Romana habet Ecclesia, „ vos totius scandali occasionem, pravique intellectus „ suspicionem vitantes, superaddere, de cætero omittatis. Si enim vas Electionis beatissimus Apostolus de „ sumendis cibis, melius sibi esse non manducare, neque bibere, quam ut frater scandalizetur, asseruit: „ considerare debetis, quam grave & periculosum sit, „ ubi saniori intellectu vitari potest, fratribus de Fide „ scandalum generare. Quapropter Fraternitas tua, Ecclesiæ, cujus sibi cura commissa est, tenendum putet, „ & credat sufficere, quod Catholica in orbe terrarum „ diffusa Ecclesia, Spiritu Sancto illustrante edocta, sentire cognoscitur, & tenere declaratur.

SECTIO XV.

Armenorum Patriarchæ Orthodoxi, Niersες Ghelajensis, Gregorius Degha, Gregorius Sisensis, & Constantinus in Synodo Tarsensi, Sisensi, & Adanensi, Appendicem Trisagii, recto intellectu retinendam curant.

EX quo liquet (ut recte observat Christ. Lupus not. in Can. Trullan. 81.) Quod omnes Græcorum Ecclesiæ, quæ, ut a Sancto *Ephræmio Patriarcha Antiocheno* audivimus, adjectum *a Petro Fullone* pravo sensu Additamentum, recto intellectu retinebant, præsenti *Trullano* Canoni obtemperantes, ipsum abjecerint, cæperintque hymnum ex originali sensu in Sacrosanctam Trinitatem derivare. At vero Armenii nunquam huc potuerunt inflecti. Nam dudum post S. Gregorii Septimi Papæ tempora, Theorianus a Manuele Comneno Imperatore anno mundi 6678. Chr. 1170. ad Nierſesem Ghelajen-

jensem Armenorum Patriarcham missus, in disputatione cum eodem Niersese habita (apud Galan. Tom. 1. p. 295.) de Trisagii hymni Appendice dixisse fertur: „ Quid „ autem de illius Hymni, quem Trisagium dicimus, eo „ quod ter in eo *Sancti* nomen repetatur, Appendice? „ num illam inexaminatam relinquemus? ut, quoniam „ in Actis Sanctæ ac Universalis Quartæ Synodi tradi- „ tur, qua forma tunc temporis eum isti divini Patres „ pronunciaverint, nos eorum in illo Hymno pronun- „ ciando forma contenti simus. An & argumenta pro- „ menda, probandumque, Fullonis istius Appendicem „ ab Ecclesia pro abominabili & ridicula dici „? Ad hæc Niersesés Armenorum Patriarcha sic respondit. „ Tu „ vero recte, qui de Trisagio nos admonueris. Quippe „ magnorum Ecclesiæ Doctorum auctoritates inveniun- „ tur, quæ soli Filio Hymnum illum Trisagii attribue- „ re videntur: ac sæpe mecum illas equidem conside- „ rans, admodum anxius hæsi; adeoque arbitror, ejus „ Appendicis auctores, illis permotos auctoritatibus, „ eam fecisse, nosque docuisse, quoties de Sancta Tri- „ nitate Divinum illum Hymnum canimus, nullam fa- „ ciendam Appendicem: at quoties eum de Filio dum- „ taxat pronunciamus, interdum quidem addendum, „ *qui crucifixus es propter nos*; interdum vero, *qui re-* „ *suscitatus es*, vel illud, *qui assumptus es sursum*: Ni- „ mirum, ut pro tempore mysterii, apta quoque sub- „ jiciatur Appendix: & illam vocem, *Deus*, & alteram, „ *Fortis*, & tertiam, *Immortalis*, de solo propter nos „ Crucifixo, deque mortuis suscitato, & sursum assump- „ to Christo Deo nostro intelligamus „. Ostendere conatur etiam, a Sanctis Athanasio, Epiphanio, ac Johanne Chrysostomo, Hymnum illum soli Deo Filio fuisse attributum. Verba Niersesis recito. „ *Theorianus*. Se- „ quitur ergo, ut quum pronunciatis hunc Hymnum cum „ Appendice, Filium ter Sanctum appelletis. *Niersès*. „ Nam recte facimus, eum non modo ter Sanctum, sed „ millies Sanctum appellantes: quemadmodum magnus „ ille Athanasius, in Oratione de carnis assumptione,
„ Tri-

„ Trinitateque loquitur: *non ter modo Sanctus* (inquiens) „ *sed infinite Sanctus*, *& omnem supra sanctitatem positus*. *Theorianus*. Patrem vero, Sanctumque Spiritum, ter Sanctos non dicitis? *Nierses*. Non. *Theorianus*. Et unde profecta est isthæc distributio, ut vel „ soli Filio hymnus hic tribuatur, vel toti Trinitati; non autem vel Patri soli, vel soli Spiritui Sancto? *Nierses*. Sic a Sanctis hominibus edocti sumus, „ nec longe abiverimus. Magnus ille Athanasius in „ Orat. de carnis assumptione ac Trinitate, cujus supra „ mentio facta est, hujusmodi profert: Vidimus eum, „ nec speciem, nec pulchritudinem habebat: nam antea viderat eum divina gloriosaque forma sedentem in „ alto sublimique solio, quum Seraphi majestatem ejus verbis hisce concelebrabant, Sanctus, Sanctus Dominus „ Sabaoth; postea vero videt eum, assumpta servi forma, similem hominibus factum „ Vides ne divinum „ hunc virum soli Filio videri ter sanctum hymnum attribuere? Quin & S. Epiphanius in Orat. de Sancta „ Deipara similia dicens „ Beata, inquit, inter mulieres, quæ Sermonem ex Te incarnatum peperisti: Sermonem illum, qui Patris est Filius, qui Deus seculis „ prior, qui expers est principii, & æternus, qui ejusdem est substantiæ cum inseparabili Trinitate: Sermonem, qui cum Patre, ac Spiritu Sancto adoratur: qui „ consors est paterni solii: qui Cherubis insidet; Sermonem, quem illæ quadriformes bestiæ verbis hisce „ concelebrant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth: plenum est cælum & terra majestate ipsius „ videň, ut & ille soli Filio ter Sanctum Hymnum attribuere videatur? Quin & Divus ille Chrysostomus in Orat. „ de Benedicto, cujus initium, *de miraculis in miracula*, verbis his eadem dicit „ Hodie Rex majestatis in „ terra sic concelebratur, uti vates descripsit: Et lætitiæ cælestis participes terrigenas facit, ut ostendat se dominum, qui utrinque consona voce concelebratur. Propterea superi quidem illi salutem istam „ in terris indicantes, canebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus

„ ctus Dominus Sabaoth, plena est universa terra ma-
„ jestate ipsius. Inferi vero cum lætitia cælesti celebra-
„ tionem suam conjungentes, clamabant: Hosanna Fi-
„ lio Davidis „ Vides, hæc tria magna Ecclesiæ lumi-
„ na videri Filio soli ter sanctum illum Hymnum attri-
„ buere ?

Hactenus Nierses Ghelajensis Patriarcha cum Theoriano Manuelis Comneni Imperatoris Legato. Verum quum hic (ut Armena refert historia) Ecclesiæ Armenæ correctionem, quam molitus fuerat, morte præoccupatus, ad exitum perducere nequivisset, Gregorius cognomento Degha, ipsius ex fratre nepos, & in Patriarchatu successor, jussu Leonis Armeniæ Regis, rursus aggreditur, Tarsensi Concilio coacto an. Chr. 1177. in quo exhibentur Propositiones IX. quas Græci ab Armenis postularunt, ad pacem conciliandam, totidemque Armenorum Responsiones. Et harum quidem Propositionum Prima fuit, ut anathematizentur assertores unius in Christo naturæ, Eutyches, Dioscorus, Timotheus Elurus, aliique eorum consentanei. Secunda, ut confiteantur in Christo unam Personam, duasque naturas, voluntates & operationes. Tertia *ut sacrum Trisagium sine Additione illa, qui crucifixus es pro nobis, & absque Particula illa, &, concinant*. Sic enim Armeni Trisagium canebant: *Sanctus Deus, Sanctus & Fortis, Sanctus & Immortalis, Qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis*. Ad hanc tertiam Græcorum propositionem ita Armeni respondent apud Galan. Tom. I. pag. 354. „ Vix ullius mo-
„ menti, & minor quidem, quam ut perfectissimæ ve-
„ stræ sapientiæ scandalum parere possit, suspicio ista
„ est. Quin si in Christum diceremus, *Sanctus Deus*,
„ *Sanctus & Fortis*, *Sanctus & Immortalis*, *miserere no-*
„ *bis*, scandalum forte sumere potius conveniret; qua-
„ si humanationis gratiam, & quam pro nobis ille subiit
„ passionem, erubescentes abjuraremus. Verum quum &
„ hoc confiteamur gloriantes, ut inquit Paulus, *Mihi*
„ *autem absit gloriari, nisi in Croce D. N. Jesu Christi*:
„ cur mendaces existimamur a Fratribus? Anne quia
„ Deum

„ Deum crucifixum asserimus , & non Christum ? Sed „ quæsumus , ne in hoc offendatis , nam Crucem adjecisse , sufficit ad illius humanitatem , quam mente concipimus , explicandam , atque ad servandum nos ab „ omni passionis divinitatis opinione remotos . Tum „ particulam , Et , superaddimus ad compositionem orationis perficiendam : etenim dictio illa *Sanctus* , in „ nostro idiomate brevissima est , & (1) monosyllaba; „ nec proinde cum alia potest dictione , se sola annecti , quemadmodum vestrum Ἅγιος . Cæterum , quod „ erga Christum sit a nobis Trisagium decantandum , „ testes vos ipsos adducimus : extant enim in urbibus „ Damascena , & Mamestana (2) libri quidam , vestris literis exarati , in quibus ter Sanctus hic hymnus ita „ scriptus reperitur : *Sanctus Deus* , *Sanctus Fortis* , *Sanctus Immortalis* , *qui crucifixus es pro nobis* , *miserere nostri* . Quare hoc pacto eum esse canendum , haud „ ipsimet excogitavimus : sed a vobis ita nos didicisse „ comperimus . Quam autem ob causam deinde hanc Patrum traditionem in minimis posueritis , ignoramus : „ quippe ineptus ille rumor de voce , quæ a puero sursum in aërem elevato audita fuerit , seniorumque traditionem immutaverit , aures potius nostras offendit . „ Quoniam , *licet nos* , inquit Apostolus , *aut Angelus de Cælo evangelizet vobis præter quam quod evangelizavimus vobis* , *anathema sit* . Ille porro quid Christianis evangelizavit , nisi quod in cruce D. N. Jesu „ Christi glorientur ? in qua profecto , Evangelio ejus „ consentientes , & nos , & vos gloriamur ; tametsi ob „ suspicionem de passione divinitatis ab illo vos verbo „ abstinetis . Nos autem quamvis ibi Deum nominemus , non adeo in visione cæcutimus , ut missam propterea faciamus gratiam humanationis : quemadmodum „ neque quum Christum appellamus Agnum auferentem „ mundi peccata , gloriæ divinitatis obliviscimur . At „ quia exoptamus vel in hoc summa nostra voluntate di-

Ooo 2 „ lectio-

(1) *Sanctus* , Armenice *Surp* .
(2) H. E. *Mopsuestena* .

„ lectionem vestram conciliare; processimus, & justo sa- „ ne modo, ad medendum in hac parte isti fratrum no- „ strorum suspicioni, ita in posterum erga Christum ca- „ nentes Trisagium: *Sanctus Deus*, *Sanctus & Fortis*, „ *Sanctus & Immortalis*, *qui incarnatus & crucifixus* „ *es pro nobis*, *miserere nostri*. Sicque vestræ charitatis „ opinio dirigi poterit, ne Additio illa, *qui Crucifi-* „ *xus es*, in ipsam videatur Trinitatem, aut in Chri- „ stum secundum divinitatem acceptum, a nobis refer- „ ri „: Quidquid sit de illis, qui in Armenia majore & in Persarum Regno constituti, Eutychianam hæresim profitentes, Appendicem illam, *qui Crucifixus es*, Trisagio adjiciebant: certe Gregorius Degha, Armeniæ minoris Patriarcha, Ecclesiæ suæ nomine, Orthodoxam fidem circa Incarnationis mysterium colere se fatetur, Eutychianos anathematizans; Concilium Chalcedonense admittens, duasque in Christo naturas unamque personam disertim asserens. Hinc Additamentum illud, juxta Ephræmii Patriarchæ Antiocheni mentem, recto intellectu exponit quidem; errat tamen, dum pueri illius in aërem elevati historiam, tot authenticis testimoniis roboratam, fabulis adnumerat. Quod autem adjectam Trisagio Appendicem appellat *Patrum traditionem*; hoc non ad Petrum Cnapheum aliosque Eutychianos hæreticos, neque ad Conciliabula Thevinense & Manaschiertense referendum est; sed ad Ephræmium Antiochenum, & ad laudatos libros in urbibus Damascena & Mopsuestena Græcis literis exaratos, in quibus Additamentum illud non pravo sensu, sed recto intellectu explicatur.

In eandem sententiam scribit Gregorius Sisensis Patriarcha: qui, quum a Bonifacio VIII. Romano Pontifice literis Reate VII. Kalendas Novembris anno IV. datis (1) monitus fuisset, *ut studeret Armenorum Clerum & Populum in fide, quam Sancta Romana prædicat, docet, & tenet Ecclesia, per se & alios informare, ut purgato omni vetustatis errore, in fide ipsa sint stabiles, & in opere efficaces, ad animarum suarum salutem*,

(1) Galan. Tom. I. pag. 424.

tem, & gloriam & honorem D. N. Jesu Christi; pereruditam Epistolam ad Haytonem Leonis Regis patrem misit, in qua primum Armenorum errores luculentissime detegit ac refellit; Deinde ut Concilium ad eos errores damnandos, & unionem cum Romana Ecclesia ineundam indiceretur, postulat. Titulus (1) & Inscriptio: *Epistola Gregorii Sisensis, Armeniorum Patriarchæ, ad Haytonem patrem Leonis Regis Armeniæ, cœnobitam. Gregorius servus Jesu Christi Domini nostri, & gratia Dei, omnium Armeniorum Patriarcha, piissimo ac principali nostro, & Sanctæ hujus Ecclesiæ filio spirituali, maximo totius Armeniæ Domino, nostrique Regis patri, Haytoni: quem Deus semper salvum, imperturbatum, & incolumem servet: salutem & benedictionem*. Eundem Haytonem ad unionem cum S. Romana Ecclesia faciendam cohortans, suadet inter alia, sacrum Trisagium aut sine Appendice dirigendum ad Sacrosanctam Trinitatem, aut cum illa ad Christum Dominum secundum humanitatem acceptum: verba ejus (2) accipe. „ Te igitur, piissime Princeps, quam studiose possumus, per Deum ipsum rogamus, ut & Tu quoque ad rem hanc decernendam, diligentiam curamque adhibeas, Conciliumque plenum indicas: utque hujusmodi opere ac labore, a Conciliorum excommunicationibus liberemur, atque in Sanctam Dei Ecclesiam admittamur. Quod profecto tum perficietur omnino, quum Septem generalia Concilia susceperimus, & duas in Christo naturas, voluntates & operationes: quum præstitus fuerit assensus subscriptioni Patriarchæ Armeniorum, & Patriarchæ Albanensium, omniumque Orientalium, & Occidentalium, uti nos in futura Synodo declarabimus: quum festivitatem nativitatis Dominicæ suo celebraverimus tempore: quum Vigiliam Paschatis observaverimus, & singulis quibusque sextis feriis, quæ inter Pascha & Ascensionem incidunt, ab esu carnium abstinuerimus: quum sicut (3) illi, ita & nos jejuna-„ veri-

(1) Galan. Tom. 1. pag. 435. (2) Galan. loc. cit. pag. 439.
(3) Latini scilicet.

„ verimus, festosque dies egerimus: quum Trisagium, „ vel sine additione illa, *qui Crucifixus es pro nobis*, „ in Sanctam direxerimus Trinitatem; vel, si cum illa „ adjectione, in Christum secundum humanitatem: quum „ denique fuerimus illis conformes in vestibus sacris, „ in orationibus, in ordinum collatione, in sacrarum „ Imaginum veneratione, & in usu Aquæ benedictæ. Fac „ igitur, per Deum quæsumus, ut cum illis omnino „ concordes efficiamur „.

Hæc itaque omnia Gregorius Patriarcha, sacrarum scripturarum oraculis, sanctorumque Patrum traditionibus confirmata, misit ad Haytonem patrem Leonis Armeniæ Regis, ut illa tempore congruenti, pleno indicto Concilio, stabiliret. Verum quum ipse Gregorius morte præventus, ad hoc præclarum facinus, uti animo deliberaverat, Concilii ope conficiendum pervenire nequivisset: propterea Rex Leo unacum Haytone patre, Concilium Sisense anno Domini 1307. Armeniorum 756. in Ecclesia SS. Apostolorum Petri & Pauli, quæ & Sanctæ Sophiæ nuncupatur, in Siside Ciliciæ Metropoli indixit, in quo Archiepiscopi & Episcopi 36. Magistri & Abbates Monasteriorum 17. Rex Leo, Hayton Regis pater, Oscinus & Alinah Haytonis fratres; Optimates Armenorum x. & Capellanus Regius cum magno Sacerdotum tum Secularium, tum Regularium numero, quæcumque Gregorius Patriarcha scripserat, ea communibus suffragiis admittenda esse decreverunt: videlicet (1) *Esse recipiendas omnes septem Synodos generales, & quidquid in illis a Sanctis Patribus decretum fuit, præsertim circa duas naturas, voluntates, & operationes, quæ in uno Domino nostro Jesu Christo, secundum divinitatem & humanitatem perfecto, verificantur; eisque veluti Sanctis ac divinis Conciliis, ita Armenos cunctam exhibere reverentiam & honorem, sicuti omnes aliæ solent Ecclesiæ, videlicet, Sancta ac magna Ecclesia Romana, Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, & Hierosolymitana. Tum etiam, & festivitates Domini-*

(1) Galan. tom. 1. Acta Concilii Sisensis pag. 455.

minicas uniformiter cum præfatis Ecclesiis Catholicis solemni ritu celebrarent; nempe, festum Annunciationi, 25. Martii, quacumque die contigerit: similiter Festum nativitatis Domini, 25. Decembris: ac festum Purificationis, 2. Februarii: ceteras autem Sanctorum festivitates eo pacto, quo & alii Christiani suis certis diebus, in quibus incipiunt, agerent. Porro illæ, quas peculiari sua traditione, Armena celebrare solet Ecclesia, eodem prorsus modo in posterum, sicuti nunc, observarentur. Item Trisagium, Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus & Immortalis (*cui additum hoc loco fuerat*, qui crucifixus es pro nobis) miserere nostri, *operæ pretium esse, directum sic in Filium esse deinceps decantandum*, Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus & Immortalis, Christe qui Crucifixus es pro nobis, miserere nostri. *Denique in Vigiliis Dominicæ Nativitatis, Baptismi seu Epiphaniæ, & Resurrectionis, ut a cibis Paschalibus abstinentes, piscibus tantum & oleo, sicut Romana solet Ecclesia, inter alia quadragesimalia obsonia, uti possent.*

Ceterum Armeni alii, pristinam hæresim retinentes, his in Sisensi concilio statutis obsequuti non sunt. quapropter Constantinus Patriarcha, qui ex Archiepiscopo Cæsareensi in fine Synodi Sisensis ad Patriarchalem dignitatem evectus fuerat, anno Chr. 1316. Synodum alteram Adanæ in Cilicia congregavit Episcopor. XVII. aliorumque Magistrorum, sub Oscino Rege, qui ei interfuit, unacum Alina fratre, & nonnullis Armenorum primatibus: ac fides Catholica iterato Decreto confirmata est: *Quapropter* (inquiunt apud Galan. Tom. I. p. 505.) *in confirmationem antedicti decreti magni Concilii Sisensis, & nos hic una congregati Episcopi, Magistri, & Patres, definiendo præcipimus, ut ejusdem præcedentis Concilii mandata atque decreta ab omnibus summo in honore & reverentia, non secus ac Evangelicæ & Apostolicæ Constitutiones, habeantur, omnisque in eo præscripta traditio, atque ordo festivitatum indefectibiliter in Armeniorum Ecclesiis observentur. Eos autem, qui vel huic nostro, vel præcedentis Concilii decreto quomodolibet adversentur,*

tur, sive Regulares illi sint, sive Seculares, per divinum Spiritus Sancti mandatum, a Catholica & Apostolica Romana Ecclesia separamus atque rejicimus, quin & a nostro Sancto grege repellimus, quousque ad pœnitentiam revertantur.

Post decreta hujus Adanensis Synodi (quæ, an. 1316. die 6. Augusti in Templo Sancti Menæ, quod Regio Palatio Adanæ adjunctum erat, congregata fuit) donec in Armenia minore seu Cilicia Orthodoxam fidem Rex, & Patriarcha coluere, debitam Apostolicæ Romanæ Sedi obedientiam exhibentes, in ea sententia perstitere, ut Trisagio hymno Appendicem illam adjicientes, directum esse in Christum Dominum, tersanctum ipsum hymnum semper sint protestati: neque perhibentur a Romanis Pontificibus hac in re moniti, aut reprehensi. Recitatur apud Raynaldum ad ann. Chr. 1341. num. 48. Libellus de erroneis Armenorum dogmatibus, a Benedicto XII. Papa ad Mechitarum seu Consolatorem Patriarcham transmissus, ut in Synodo expenderetur, & ad singulos Articulos congrua responsio daretur. Singulæ accusationes expensæ sunt, & non invalida apologia refutatæ, quemadmodum colligitur ex Responsionibus e Synodo ad Papam Clementem VI. transmissis apud Martene Tom. VII. Collect. Veter. Monument. a pag. 312. Pontifex Clemens VI. anno 1351. apud Raynaldum n. 2. alias Mechitari seu Consolatoris Armenorum Patriarchæ responsiones ad accusationes Latinorum sibi transmissas quum accepisset, literis ad eundem Patriarcham datis, illas expendit, & ambiguitates quæ in responsionibus inerant, ut illas explicet, edicit. Nulla tamen sive in Libello errorum a Benedicto XII. transmisso, sive in literis Clementis VI. fit Trisagii hymni mentio. Redarguuntur utrobique Armeni plurimorum errorum, tum circa fidem, tum circa disciplinam Ecclesiasticam. De adjecta tamen Trisagio Appendice ne verbum quidem. Quod argumento est, intellecta Orthodoxa illorum mente, permissum, aut toleratum fuisse, ut Trisagio Appendicem adjicerent, in Christum Dominum recto sensu directam.

SECTIO

SECTIO XVI.

Nunc autem, quum Armena Ecclesia a communione Catholicæ Ecclesiæ defecit, factam Trisagio *additionem Romani Pontifices Armenis interdicunt.*

VErum, ubi in Cilicia, & Regnum, & Orthodoxa Patriarchæ Armenorumque fides defecit, & Armena universim Ecclesia a communione Sanctæ Romanæ separata est: quantumvis semper extiterint particulares quidam sive Patriarchæ, sive Episcopi, a Catholica religione non abhorrentes: nihilominus Apostolica Sedes in posterum decrevit, Tersanctum hymnum ab Armenis sine Appendice esse decantandum. Verba hæc sunt Benedicti XIV. Papæ in Epistola Encyclica ad Missionarios per Orientem deputatos de Ritibus Ecclesiæ Græcæ aliarumque Orientalium conservandis num. 29. ubi quum de Trisagio sermonem fecisset, deque appendice a Petro Cnapheo adjecta, & ab Armenis, Syrisque Jacobitis recepta: subjungit: *Haud prætermiserunt Romani Pontifices, pro ea, quam in similibus adhibere consueverunt, vigili cura & consuetudine, insolescenti errori se opponere, factamque Trisagio additionem interdicere; rejicientes interpretationem, qua Trisagium ipsum referendo ad solam Filii personam, non vero ad tres divinas personas, omnem erroris suspicionem adimi jactabatur, tum quia periculum semper erat adhærendi dogmati hæretico; tum quia humanæ mentis præsumptio ad solum Christum referre minime poterat Hymnum ab Angelis in honorem Sanctissimæ Trinitatis decantatum*. Et post pauca: *In Congregatione autem Propagandæ Fidei habita die 30. Januarii 1635. quum examini subjecta fuisset Armenorum Liturgia, atque inter cætera accuratiori disquisitione fuisset expensum, utrum Additio inducta Trisagio posset tolerari, ob indicatam causam, quod illa ad solam Filii personam relationem habere posse videretur; respon-*

sum fuit, *id non esse permittendum*, *Additionemque omnino expungendam*.

SECTIO XVII.

Sciracbavensis Synodi Canones de Trisagio.

IN Sciracbavensi (1) Concilio, quod Zacharias Patriarcha Armenorum anno Chr. 862. coëgit coram Armeniæ Principe Asciut Pacratide, postquam Johannes Nicææ Episcopus ad ipsum a Photio Patriarcha Constantinopolitano missus fuisset una cum Epistola Græce, Latineque edita a Combefisio Tom. 2. Auct. Bibliothecæ Patrum Græc. In eo, inquam, Concilio Canones XV. de Fide sunt editi, quorum duo ad Trisagium pertinent. Nimirum, Canon VIII. *Siquis Sanctam Trinitatem passibilem dixerit, aut crucifixam; vel, Filium non carne, sed Divinitate passum, juxta Eutychis & Manichæorum ineptias, vel solum hominem passum, juxta nugas impii Nestorii: anathema sit*. Canon IX. *Siquis non confitetur, Deum Verbum ac Dominum nostrum Jesum Christum, Sanctum, Fortem, & Immortalem, pro nostra salute secundum carnem crucifixum, ac misericordiam humano generi largientem, quique hostia simul & Sacerdos tollat peccata mundi: anathema sit*. Armeni Patres hujus Concilii per hosce Canones conati sunt a seipsis amoliri illam Theopaschitarum hæresim, cujus Armena gens post Thevinense & Manaschiertense Concilium passim accusabatur propter inductam Trisagio appendicem illam, *Qui crucifixus es pro nobis*. Verum recte advertit Sapientissimus Pont. Benedictus XIV. non fuisse admissam a Congregatione Propagandæ Fidei hanc Armenorum excusationem. Causam vero hujus decreti insinuat Galanus Tom. 1. pag. 142. ubi, quum binos hosce Synodi Sciracbavensis Canones recitasset, subdit: „ Hinc manifestum fit, quod hæc Synodus non „ modo non suffragatur, sed etiam horrendum denun- „ ciat

(1) Apud Galan. Tom. 2. pag. 119. & seq.

„ ciat anathema iis Armenis, qui nunc eundem ter sanctum Hymnum cum eadem Additione, ac nulla facta „ Christi Filii, neque carnis ejus mentione, erga Trinitatem concinunt: præsertim dum sacra peraguntur „ mysteria, in quibus postquam Sacerdos una cum Choro cecinit, dicens: *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, „ *Sanctus & Immortalis*, *Qui crucifixus es pro nobis*, „ *miserere nostri*; referens in Sanctam Trinitatem eundem Hymnum, sic immediate prosequitur „ Deus Sancte, qui in Sanctis habitas, & voce ter sanctus a Seraphim celebraris, & a Cherubim glorificaris, atque „ ab omni cœlesti virtute adoraris: qui creaturas omnes ex non esse ad esse produxisti: qui creasti hominem ad imaginem & similitudinem tuam: Tu, Domine, suscipe ex ore nostro, qui peccatores sumus, Ter „ sanctum hunc hymnum „. Hactenus in sacra Liturgia. Prosequitur Galanus. „ Vide, uti non solum erga Filium, sed in totam etiam Trinitatem dirigunt hic „ Trisagium cum additione, *Qui crucifixus es*: ac si „ aperte dicant, Trinitatem crucifixam. Multum autem „ miramur, cur Armeni execrabilem hunc Theopaschitarum errorem, quem alioquin disertissimis ubique verbis detestantur, in Trisagio tamen videri velint cum „ scandalo aliorum Christianorum, per stultam istam „ Petri Fullonis Appendicem, suscipere. Quod si, ut dicunt, non in Trinitatem, sed in solum Filium illud „ referunt; quare non eo saltem modo, juxta quem Sancta Synodus hæc videtur eis permittere, canunt: *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Immortalis*, *Christe, qui secundum carnem crucifixus es pro nobis*, *miserere nostri?*

SECTIO XVIII.

Trisagii hymni Appendix usurpata a Syris, Jacobitis, Coptis, & Abissinis: secus a Nestorianis.

Satis de Armenis. Nunc de Jacobitis, Coptis, Abissinis & Nestorianis. Thomas a Jesu de procuranda salute omnium gentium lib. VII. cap. V. inter errores Ecclesiæ Alexandrinæ Coptorum pag. 360. hunc recenset: „ In hymno Trisagio addunt illa verba, *Qui crucifixus* „ *est*, dicentes: *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus* „ *Immortalis, Qui crucifixus es pro nobis, miserere no-* „ *bis* „. Et cap. XIII. de erroribus Abissinorum, exhibet Declarationem factam de mandato Cardinalis Sanctæ Severinæ die I. Julii & sequentibus, anno 1594: a Tecla Maria Presbytero & Monacho Abissino, ubi p. 384. Coptos simul & Abissinos in eo convenire asserit: nempe, *In Christo Domino nostro unam tantum naturam, unam voluntatem, & unam operationem profitentur. Hymnum ter Sanctum recitant cum additione illorum verborum*, Qui crucifixus est pro nobis, *cum hac tamen expositione, ut terna sanctificatio applicetur Sanctissimæ Trinitati; illa vero verba*, Qui crucifixus es pro nobis *applicentur tantum Christo Domino nostro*. Renaudotius in historia Patriarcharum Alexandrinorum Jacobitarum pag. 135. de ultima illa Trisagii clausula, *Qui crucifixus es pro nobis*, a Petro Cnapheo inducta loquens: *hanc* (inquit) *deinde Jacobitæ Coptitæ in sua officia transtulerunt. De ea Severus, Isa filius Zaraa, Abu Raita Tagritensis in singulari opusculo, Ebnassalus, & alii: quorum sententiæ cum Græcorum, & aliorum Melchitarum doctrina comparatæ, a nobis expositæ sunt in singulari de Trisagio Jacobitico Dissertatione*. Et post pauca. *Eam porro novitatem in Hymno Ecclesiastico introductam magno Christianorum aliorum scandalo ab Anastasio Imperatore, Jacobi, Severique consilio, scribit Maris Nestorianus, & ex*

ex eo Amrus (1) *Matthæi filius in vita Acacii, quem Catholicorum suorum* XXII. *numerant*.

Idem Renaudotius Tom. I. Liturgiarum Orientalium, Commentar. ad Liturgiam Copticam S. Basilii, pag. 229. „ De Trisagio proprie dicto pauca jam observanda sunt. Hymnus ita Græce se habet : Ἅγιος ὁ Θεός, „ ἅγιος ἰσχυρός, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς ; *Sanctus* „ *Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Immortalis*, *miserere* „ *nobis*. Illius originem Græci autores omnes referunt „ ad Procli Constantinopolitani Patriarchæ tempora. *Et* „ *mox*. Cujus simplex hæc primum forma fuit. Petrus „ Cnapheus Antiochenus Episcopus addidit hæc verba: „ *Qui crucifixus es pro nobis* : quæ quum memoriæ ple„ bis mandata supprimere difficile foret, Calendion „ orthodoxus, ut ea ad sententiam innoxiam reduce„ ret, hæc adjunxit, Χριστὲ Βασιλεῦ, *Christe Rex*, ut „ ad Christum referrentur : sed reclamavit semper ad„ versus pium Calendionis, Ephræmii, aliorumque or„ thodoxorum consilium, factio Cnaphei sequax : ita fa„ ctum, ut Monophysitæ tamquam communi tessera, „ hoc Hymno per Cnapheum corrupto, non alio ute„ rentur „. Imo dicere debuerat : „ reclamarunt con„ tra additionem illam, sive juxta hæreticum Cna„ pheum, sive juxta orthodoxos Calendionem & Ephræ„ mium, tum Græci omnes, maxime Constantinopoli„ tani, tum Latini „. Sequitur Renaudotius pag. 230. „ In Euchologiis Melchitarum manuscriptis, & in eo, „ quod Fani editum fuit, Hymnus absque illa additio„ ne reperitur, sicut orthodoxa ab initio illum recita„ vit Ecclesia. Ita & in Nestorianorum sacris officiis, „ eumque purum & absque tali lacinia refert Amrus „ Matthæi filius. Alia, *inquit*, oratio, est hymnus „ trium verborum, aut tripartitus, qui auditus fuit in „ Sanctuario Ecclesiæ Majoris Constantinopoli ex ore „ Angeli, quando accidit continuus per quadraginta „ dies

(1) Amrus ex historia Maris filii Salomonis, non Petrum Cnapheum, sed Episcopum Menbigensem sive Hierapolitanum, scilicet Philoxenum, authorem istius addicionis fuisse scribit ex suorum traditione.

„ dies terræmotus, qui conquievit statim atque magna „ voce cani Hymnus cœptus est : is autem ita (1) ha- „ bet : *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Immor-* „ *talis*, *miserere nobis*. Jacobitæ vero cujusdam manu „ ad marginem adjunctum est : *Qui crucifixus es pro no-* „ *bis*. Et sane Jacobitæ, Syri, & Ægyptii, aliter eum „ non recitant, nisi cum additione illa antiqua & bre- „ viori, vel cum ampliori, & quæ ad eandem senten- „ tiam explicandam adhiberi potest, paraphrasi, cujus „ etiam non una forma est. In Euchologio Coptico : „ *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Immortalis* : „ *qui natus es de Virgine*, *miserere nobis*. *Qui surrexi-* „ *sti a mortuis & ascendisti ad cœlum*, *miserere nobis* : „ Et ut in alio Codice, quo Theotocia continentur : „ *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis &c.* ad singulas illas ad- „ ditiones repetitur. Aliæ diversæque ejusdem paraphra- „ ses occurrunt in Jacobitarum Syrorum libris Eccle- „ siasticis, ex quibus intelligi volunt, hymnum totum „ ad Christum referri : quod si fieret, carere illum om- „ ni pravæ doctrinæ suspicione judicavit olim Calendion „ Antiochenus, qui, *Christe Rex*, initio addi jusserat, „ & postea ejus successor, fideique imitator Ephræmius, „ qui in suis Excerptis apud Photium (nam liber ip- „ sius intercidit) Orientales, qui hymnum ad Chri- „ stum referendum certis verbis determinant, ab om- „ ni erroris suspicione absolvit. In eadem prorsus sen- „ tentia sunt Jacobitæ Theologi, qui de eodem Hym- „ no scripserunt. Dionysius Barsalibi Amidæ Metro- „ polita, in Commentario ad Jacobi Liturgiam, & in „ Apologia adversus Chalcedonenses seu orthodoxos : „ *Dicimus* (inquit) *ad illum* (idest ad Christum) *San-* „ *ctus Deus*, *quia licet pauper factus sit*, *quum incar-* „ *natus est*, *non est tamen immutatus*, *sed eo ipso*, *quo* „ *incarnatus est*, *Deum esse se ostendit*. *Quum dicimus*, „ Sanctus Fortis, *intelligimus Deum*, *qui carnem acci-* „ *piendo pro nobis*, *infirmus apparuit*, *fortem esse du-* „ *plici*

(1) In Malabarita Liturgia, Trisagius hymnus absque appendice recitatur. *Vide* Renaud. Tom. 2. pag. 600. in not. ad Liturgiam Apostolorum.

„ *plici ratione, & quia mansit impassibilis, & quia Sa-*
„ *tanam devicit. Quum dicimus*, Sanctus Immortalis,
„ *laudamus Verbum, quia post Incarnationem & pugnam*
„ *cum morte, mansit immortalis, quatenus Deus. Tan-*
„ *dem addendo*, Qui crucifixus es pro nobis, *gratias ipsi*
„ *agimus, quod ad crucem & mortem in carne perferen-*
„ *dam, nostri causa devenerit*. Sed fusius de hoc argu-
„ mento scripsit Abu Raitha Takritensis in opere sin-
„ gulari, ubi inter alia hæc leguntur. *Quum Nestoriani,*
„ *& Melchitæ audiunt a nobis Hymnum quem ter dici-*
„ *mus, Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immor-*
„ *talis, qui crucifixus es pro nobis, miserere nostri: ex-*
„ *tollunt voces suas adversum nos, nosque sectæ Jacobi-*
„ *ticæ orthodoxæ sequaces graviter insectantur. Verum*
„ *faciunt id immerito, dum opinantur, quod* Sanctus
„ Deus *cadat in Patrem*: Sanctus Fortis *cadat in Filium*:
„ Sanctus Immortalis *cadat in Spiritum Sanctum*. Quum
„ vero ea diximus verba concludimusque per Crucis com-
„ memorationem, existimant illa ultima referre nos ad
„ Trinitatem Sanctam. Verum res non ita se habet,
„ quemadmodum judicant, neque vera est illorum ad-
„ versus nos criminatio. Hujus autem Hymni hæc in-
„ terpretatio est. *Sanctus Deus*, qui incarnatus es pro
„ nobis absque immutatione, permanens in statu divi-
„ nitatis tuæ. *Sanctus Fortis*, qui ostendisti, quam
„ magna potestas tua esset, exhibendo infirmitatem.
„ *Sanctus Immortalis qui crucifixus es propter nos*, qui
„ mortem volens suscepisti, & sustinuisti eam in corpo-
„ re tuo super Crucem, mortuus visus, nec tamen mo-
„ reris, *miserere nobis*. Respondemus igitur quantum
„ ad opinionem illam, quam de nobis habent, nos ta-
„ lem blasphemiam non credere, neque vel cogitando
„ ad eam inclinare. Verum eo Hymno laudamus unam
„ trium personarum divinarum, Deum Verbum incar-
„ natum & hominem factum propter nos, absque immu-
„ tatione aut alteratione a divinitate sua, aut divi-
„ sione quæ cadat in eum qui pro nobis crucifixus est.
Pergit Renaudotius pag. 231. „ Eandem prorsus explica-
„ tio-

„ tionem afferunt Auctor *Scientiæ Ecclesiasticæ*, Abulbircat, & omnes tandem qni de Trisagio scripserunt Jacobitarum Theologi, quos, Ephræmio judice, excusare facile foret, nisi novitati importunæ pertinacia accessisset in retinenda additione, quæ sola sua novitate Ecclesiam conturbaverat. Verum quamvis culpa non careant, absunt tamen a Patripassianorum (*Theopaschitarum*) hæresi, de qua vulgo a nostris Auctoribus postulantur.

Restat dicendum de Syris Maronitis, qui quum a Patriarchis Antiochenis orthodoxis *Calendione*, & *Ephræmio* accepissent, Trisagium hymnum ad Jesum Christum Dei Filium referre, atque addita clausula sic decantare: *Christe Rex, qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis*: a nonnullis tamen in suspicionem adducti sunt hæreseos Theopaschitarum, quamquam ii ab Eutychianis & Nestorianis quam longissime abhorrentes, duas Christi naturas in una Verbi persona unitas, duasque voluntates & operationes disertim profiteantur, & Chalcedonensem Synodum una cum Quinto, Sextoque Concilio admittant.

SECTIO XIX.

Sancti Joannis Damasceni tria Opuscula de Trisagio hymno.

Sanctus Joannes Damascenus, qui circa annum Christi 730. in Syria clarus habebatur, tria Opuscula, ut supra dixi, de Trisagio hymno scripsit: quæ in præclara Michaëlis Quieni Græco Latina editione Tom. 1. habentur. Horum primum, *de Fide orthodoxa* lib. 3. cap. x. pag. 218. hoc titulo prænotatur: περὶ τοῦ Τρισαγίου, *de Hymno Trisagio*: Initium. *Quæ quum ita sint, Appendicem illam, quam Petrus Cnapheus seu Fullo, Trisagio hymno adjecit, impiam esse statuimus.* Alterum opus, pag. 480. inscribitur: ἐπιστολὴ γραφεῖσα πρὸς Ἰορδάνην Ἀρχιμανδρίτην περὶ τοῦ Τρισαγίου ὕμνου. *Epistola* ad

ad Jordanem Archimandritam scripta de Hymno Trisagio. Initium. *Venerando in Deo, ac divino zelo flagranti, Domino Jordani Archimandritæ, Joannes Damascenus in Domino salutem. Summum meum, pro te prosequor studium, o Patrum optime, non ex instabili quadam occasione natum est, sed ex divina caritate*. De Trisagio hymno Sanctus Doctor disputat; adductisque Ecclesiæ Doctorum auctoritatibus non paucis, contendit, quodvis canticum, quo Deus *ter Sanctus* inclametur, sive Seraphicum sit, desumptum ex c. VI. Isaiæ, sive Ecclesiasticum, de tota Trinitate, non de Filio, seu de Christo solo, debere accipi. *Quocirca rejiciendum omnino esse additamentum illud*, quo Petrus Cnapheus Sacrum hujusmodi Canticum labefactarat, interjecta voce, *ὁ σαυρωθεὶς δι' ἡμᾶς*, *qui crucifixus es pro nobis*. Scribendæ hujus Epistolæ occasionem hanc fuisse significat. *Ἀλλ' οἴμοι, ὦ πάτερ, οἴμοι, πῶς ὁ τῆς ἐκκλησίας ἐχθρὸς ταύτης ἀεὶ κυκᾶν κατεπείγεται*. „ Sed o rem miseram (*inquit*) „ o rem miseram! Qui fit, ut Ecclesiæ hostis hanc semper conturbare contendat, quodque gravius est, per „ ipsosmet pietatis alumnos? Etenim frater noster religiosissimus Abbas Sergius, gentilis meus (1) familiaris & amicus, per literas, quas ingenuus frater noster Abbas Job attulit, me certiorem fecit, Abbatem „ Anastasium, præclarum illum Monasterii Sancti Euthymii Præpositum, nonnulla ex Sanctorum Patrum loca „ protulisse, quibus scilicet Trisagius Hymnus ad Filium dumtaxat referatur. Quo quidem concesso, nihil erit quod prohibeat, quin lues illa, quam maligne Cnapheus invexit, omnes penitus inficiat. Cæterum miror, ac valde miror, si hæc ita sint: ac rursum demiror, si ita non sint. Nam & rectam venerabilis illius viri, Anastasii dico, fidem perspectam „ habemus; ejusque tum in sermone, tum in virtute, „ quæ in actione sita est, præclaras dotes haud ignoramus. Ac rursum quam a mendacio accusator alienus sit, plane novimus. Quum enim Dei amantissimus

(1) Ο' ἀστὸς καὶ συνήθης καὶ φίλος.

„ mus ſit, ipſique vivat, eum adduci potuiſſe non puto, ut mendacio ſuo in inſontem virum eximiiſque „ virtutibus ornatum, calumniam ſtrueret: quod utique „ animum noſtrum non parum vexavit. Multis autem „ idem Sergius per venerabilem Abbatem Job, germanum ſuum fratrem, eum condemnavit, urſitque, ut „ abſque mora, quid de hac re ſentirem, ſibi ſignificarem. Illud vero etiam adſcripſit, Anaſtaſium hoc „ affirmare, nos quoque huicce ſententiæ annuiſſe, eamque calculo ac ſuffragio noſtro comprobaſſe. Id quod „ plane majori me ſtupore perculit. Protulerat nobis „ loca (nec enim mentiar) quæ Sanctorum probatorumque Patrum eſſe pronunciavimus: quod vero ex iis „ Triſagium hymnum ad Filium ſolum referri conſtaret, minime conſenſimus. Quin & beatiſſimum quoque Sanctæ Chriſti Dei noſtri Civitatis Patriarcham, „ diviniſſimum Joannem Deique hominem, ejuſdem ſecum ſententiæ fuiſſe, aſſerit, hocque in cauſa eſſe, „ ut ſuam hac in re mentem aperuerit. Quam ob rem „ operæ pretium duximus, ut colendæ propter Deum „ ſanctitati tuæ hæc perſpecta fierent, nec, quid ſentiamus, noſtrorum quiſpiam ignoraret. Id quippe „ uſitatum nobis eſt ac familiare „. Primum quidem negat, in ea ſententia ſe fuiſſe; quinimo docet, fuſiuſque oſtendit, ter ſanctum hymnum ſoli Trinitati convenire, eumque canendo, fas non eſſe, ut addatur, *Qui crucifixus es pro nobis*. Ab uſu tamen Eccleſiæ non abhorrere, ut poſtquam ad inſtar textus, Doxologia hæc, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*, recitata eſt, Troparium hujuſmodi ſubjungatur, τῷ ςαυρωθέντι βȣλήσει, ϗ ἐκ νεκρῶν ἀναςάντι, *Crucifixo voluntarie atque a mortuis reſurgenti*, aut aliud quid hujuſmodi. Sic etiam fas eſſe ſingulis Perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis quippiam adjungere, dicendo, *Sanctus Deus Pater*, *Sanctus Fortis Filius*, *qui incarnatus eſt & reſurrexit*, *Sanctus Immortalis Spiritus Sanctus*; dummodo unum Deum eſſe demonſtretur, conjunctim dicendo, *miſerere nobis*. Denique expendit exponitque loca Patrum, quæ Triſagium

gium videntur ad Filium referre ; nempe *Athanasii* de Trinitate & Incarnatione pag. 488. & 493. *Epiphanii* de S. Dei genitrice pag 489. & in lib. Anchorato pag. 494. *Joannis Chrysostomi* in illud, *Benedictus*, cujus initium, *Ex miraculis miracula*, pag. 489. *Cyrilli* Alexandrini de Sancta Trinitate, cujus init., *Æqualitatis quidem*, pag. 490. & ex lib. 9. de Adoratione in Spiritu, ibid. & ex lib. 4. ad Hermiam, cujus initium, *Deum igitur ex Deo*, pag. 491. & lib. de Spiritu Sancto ad Hermiam, qui incipit *Bonorum laborum* pag. 494. *Procli* Constantinopolitani Archiepiscopi ex orat. de Sancta Dei Genitrice, & ex laudatione ejusdem, cujus initium, *Omnia testimonia, ac festivitates*, pag. 492. *Basilii* lib. de Spiritu Sancto ad Amphilochium, & lib. 4. (alias 5.) adversus Eunomium, cujus initium, *Si natura Deus filius*, pag. 493. *Gregorii Nysseni* lib. 1. contra Eunomium pag. 494.

Notatu autem dignum est ejusdem S. Johannis Damasceni postscriptum, quod pag. 496. habetur. *Ad ea quæ diximus* (inquit) *hæc quoque sunt adjicienda. In sacra Oblatione Divinorum mysteriorum, postquam populus Trisagiam Hymnum cecinit, sacerdos velut Hymnum interpretans subjungit.* Ἅγιος εἶ βασιλεῦ τῶν αἰώνων καὶ πάσης ἁγιωσύνης κύριος καὶ δοτὴρ &c. *Sanctus es Rex seculorum, atque sanctitatis omnis Dominus & largitor: Sanctus etiam Unigenitus Filius tuus, per quem omnia fecisti, Sanctus item Spiritus* (1) *tuus Sanctissimus, qui omnia scrutatur, etiam profunda tua Deus*. Et mox. *Atque etiam in elevatione Panis Eucharistiæ, non dicimus* ter Sanctus, *aut* ter Dominus: Sed: εἷς ἅγιος, εἷς κύριος Ἰησοῦς χριστὸς, εἰς δόξαν θεοῦ πατρὸς σὺν ἁγίῳ πνεύματι, ᾧ ἡ δόξα. *Unus Sanctus, unus Dominus Jesus Christus, in gloria Dei Patris, cum Sancto Spiritu, cui gloria*. Ex his colligitur, quænam fuerit antiquæ Græcorum Liturgiæ temporibus S. Johannis Damasceni forma: nam recentiores Liturgiæ S. Joh. Chrysostomi, & S. Basilii, a Goaro ex Euchologio editæ, a Damascenica differunt.

(1) In editis, *spiritus unus*, male.

Et in elevatione quidem Eucharistiæ, omisso Sancti Spiritus nomine, sic habent p. 65. Edit. Venet. ann. 1730. *Unus Sanctus, unus Dominus Jesus Christus in gloria Dei Patris Amen.* Apud Syros, & Ægyptios: *Unus Pater Sanctus: unus Filius Sanctus, unus Spiritus Sanctus.* Post hymnum vero Trisagium, tam *Chrysostomi*, quam *Basilii* Liturgia pag. 63. & 137. sic habet. ὁ Θεὸς ὁ ἅγιος ὁ ἐν ἁγίοις ἀναπαυόμενος, ὁ τρισαγίῳ φωνῇ ὑπὸ τῶν σεραφὶμ ἀνυμνούμενος &c. *Deus Sancte, qui in Sanctis requiescis, qui ter Sancta voce a Seraphim laudaris &c.* Et Liturgia S. Marci e Ms. Barberino pag. 83. Ἅγιε ἁγίων ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ μόνος ἅγιος καὶ ἐν ἁγίοις ἀναπαυόμενος, ἅγιος ὑπάρχεις &c. *Sancte Sanctorum Deus noster, qui solus Sanctus es & in Sanctis requiescens, Sanctus existis, qui gloriam* ἀνυπέρβλητον *non superandam in teipso obtines. Sanctus Deus qui omnia verbo composuisti: Sanctus Deus, quem animalia quadriformia voce irrequieta glorificant &c.* Apud Syros ܩܕܝܫܐ ܘܡܫܒܚܐ ܘܚܝܠܬܢܐ ܘܠܐ ܡܝܘܬܐ ܡܪܝܐ *Sancte & gloriose, & Fortis, & Immortalis Domine: qui in Sanctis habitas, & in sanctis requiescit voluntas divinitatis tuæ: sanctifica Domine cogitationes nostras, & munda mentes nostras ab omni inquinamento debitorum & peccatorum; ut Hymnum immaculatum referamus tibi in Ecclesia tua Sancta, nunc & semper & in secula seculorum.* Hæc obiter. Nunc ad Trisagium.

Tertium Damasceni opus, in quo fit Trisagii mentio λίβελλος περὶ ὀρθοῦ φρονήματος, *Libellus de recta sententia.* Initium pag. 390. οὐ μικρὸς ἀμφοτέρωθεν φόβος, *Gravis me hinc inde timor & anxietas occupat, o Patrum optime & Sanctissime Pastorum Princeps.* Est Fidei Professio, descripta ex Cod. Vat. Græc. Ms. 1262. cum hoc titulo: ἴσον λιβέλλου ὑπαγορευθέντος ὑπὸ Ἰωάννου τοῦ Δαμασκηνοῦ, ἐπιδοθὲν δὲ παρὰ Ἠλίου ἐπισκόπου, πέτρῳ Μητροπολίτῃ Δαμασκοῦ, *Exemplar Libelli dictati a Johanne Damasceno, ab Elia vero Episcopo traditum Petro Metropolitæ Damasci.* In hoc Libello num. v. pag. 394. de Trisagio

sagio sic habet. *Praeterea confiteor, Trisagium hymnum designare tres deitatis hypostases, unamque substantiam, & unum Dominatum. Quamobrem adjectionem insani illius Petri Fullonis nequaquam admitto. Aut enim Trinitati crucifixionis passionem affingit, aut quartam Trinitati personam profane inserit.*

SECTIO XX.

Ejusdem Damasceni Dialogus contra Manichaeos & Libellus Petri Episcopi nomine.

SCripsit etiam Damascenus *Dialogum contra Manichaeos*, cui titulus pag. 429. *τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου Ἀρχιμανδρίτου καὶ πρεσβυτέρου, τοῦ δαμασκηνοῦ, κατὰ Μανιχαίων διάλογος. S. P. N: Johannis Damasceni Archimandritae & Presbyteri, contra Manichaeos Dialogus.* Init. *Quandoquidem mutuae disquisitionis causa convenimus, ex te quaero, de quonam inter nos agitur?* Manichaeus. *Ut fidei doctrinam explicemus.* Johannes itaque Damascenus (inquit Quienus pag. 428.) *Dialogum hunc scripsit contra Manichaeos, quando in Syriae partibus sub Paulicianorum nomine, Paulo & Johanne auctoribus, denuo pullulare atque invalescere caeperunt, ita ut Chaliphas seu princeps Arabum Mohamedanos, Orientis ea aetate dominos, adversus fideles Catholicos exstimularent*, Narrat Theophanes, Validem hujus nominis secundum, Sanctissimo Damascenorum Episcopo Petro idcirco linguam abscidisse, eumque exilio multasse, quia contra Arabes & Manichaeos scripserat. Id porro imperante Leone Isauro, dum floreret Damascenus noster, contigit.

Ejusdem Sanctissimi Petri Episcopi nomine exstat Joannis Damasceni opus adversus Jacobitam haereticum, inscriptum Cod. Vat. Graec. Ms. 493. *τόμος, ὡς ἐκ προσώπου πέτρου τοῦ ἁγιωτάτου ἐπισκόπου Δαμασκοῦ, πρὸς τὸν ἐπίσκοπον δῆθεν τοῦ Δαραίας τὸν Ἰακωβίτην: Libellus, velut ex persona Petri Sanctissimi Episcopi Damasci, ad Episcopum* Da-

Daraæ Jacobitam. Initium p. 397. *Sapientiam ſapiens eſt pronunciatum, nec bonum eſſe bonum, niſi recte geratur*. Porro Damaſcenus tam Jacobitas, ſeu Acephalos, quam Neſtorianos, & Monothelitas ſcripto confutavit. Nam pag. 522. extat ejuſdem S. Joh. Damaſceni. λόγος περὶ συνθέτου φύσεως κατὰ Ἀκεφάλων, *Diſſertatio de natura compoſita contra Acephalos*. Initium. *Ex diverſis natura compoſita exſurgit*. Pag. 555. ejuſdem, ἔπος ἀκριβέστατον κατὰ τῆς θεοστυγοῦς αἱρέσεως τῶν νεστοριανῶν, *Diſſertatio accuratiſſima adverſus exoſam Deo Neſtorianorum hæreſim*. Init. *Initium dicendi ſic faciendum eſt adverſus eos qui cum Neſtorio ſentiunt*, Pag. 529. *Ejuſdem Johannis humilis Monachi Damaſceni*, περὶ τῶν ἐν τῷ Χριστῷ δύο θελημάτων καὶ ἐνεργειῶν καὶ λοιπῶν φυσικῶν ἰδιωμάτων. ἐξ ἐπιδρομῆς δὲ καὶ περὶ δύο φύσεων, καὶ περὶ μιᾶς ὑποστάσεως: *De duabus in Chriſto voluntatibus & operationibus, deque naturalibus reliquis proprietatibus. Ubi obiter de duabus naturis & una hypoſtaſi*. Initium. *Qui duas naturas & unam perſonam in Domino noſtro Jeſu Chriſto eſſe profitentur; hi certe duplices ac diverſas naturarum proprietates naturales; ſimplices autem illas, quæ perſonæ conveniunt, confiteri debent*. Denique ſcripſit Hæreſeon Catalogum, cui titulus pag. 76. περὶ αἱρέσεων ἐν συντόμῳ, ὅθεν ἤρξαντο καὶ πόθεν γεγόνασιν, *De hæreſibus compendium, unde ortæ ſint, & quomodo prodierunt*. Initium: *Hæreſium omnium ſeu Sectarum parentes ac primigeniæ, quatuor ſunt*. Incipit a Barbariſmo: & numero quidem 80. *Neſtorianos* recenſet, n. 81. *Eutychianiſtas*, & uſque ad num. 98. alios quoſdam uſque ad Heraclii tempora: Ab Heraclii autem ætate & deinceps n. 99. *Monothelitas*. N. 101. *Iſmaëlitas* ſeu *Saracenos*: poſtremo loco pag. 115. *Chriſtianocategoros*, ſeu *Iconoclaſtas*.

SECTIO

SECTIO XXI.

Monothelitarum & Manichæorum nomina apud Damascenum, in Maronitarum nomen perperam traducta a Græculo Amanuensi, & a Quieno oscitanter admissa.

QUorsum hæc inquies, ex Joannis Damasceni scriptis delibata sunt? Aut quonam pacto ad hymnum Trisagium, & ad Maronitas, de quibus agitur, pertinent? Respondeo, propter Quienum, virum doctum, deque literis Orientalibus optime meritum, qui Sancti Johannis Damasceni opera omnia quæ exstant & ejus nomine circumferuntur, duobus Tomis in lucem edidit, quæcumque ad Trisagium, & ad Dissertationes de hæreticis Manichæis, Nestorianis, Jacobitis, & Monothelitis scripta sunt, recensere placuit, eo quidem consilio, ut ad trutinam revocentur Damascenicæ Quieni Adnotationes, quibus a Damasceno vel potius ab amanuensi operum Damasceni corruptore, dicuntur Maronitæ Monothelismi & Eutychianismi insimulari. Quieni verba juvat hic recitare.

Quienus Admonitione in *Libellum de recta Sententia*, a Joh. Damasceno dictatum, ab Elia vero Episcopo traditum Petro Metropolitæ Damasci, sic ait pag. 390. „ Ex Præfatione conjectari licet, opusculum illud a Johanne nostro scriptum fuisse, quando Damasci adhuc „ morabatur, & Sanctissimo Metropolitæ Petro suberat, „ quum nondum in Palæstinam, Monasticæ vitæ nomen „ daturus, migrasset. Hoc scripsit, inquam, sub na„ scentis hæresis Iconoclastarum primordiis, ut signifi„ catur his verbis, quæ paulo ante finem (1) leguntur: „ *Et omnem hæresim detestor, usque ad eam quæ modo ex„ citata est adversus Sanctam Christi Deique nostri Eccle„ siam*, hoc est, eorum, quos *Christiano-Categoros*, si„ ve

(1) Pag. 395.

„ ve *Christianorum insimulatores* vocitabant. Ex his „ quæ post unam aut alteram (1) lineam adduntur, ubi „ Elias pollicetur, se cum Hæreticis non communicaturum, *& præsertim cum Maronitis*, ἐξαιρέτως Μαρωνίταις, colligo, Episcopum hunc, ex secta Maronitarum conversum fuisse: idque confirmat specialis de „ Trisagii hymni intelligentia articulus. De Maronitis, „ pluribus dicemus in Annotationibus ad Epistolam no„ stri Auctoris de eodem Hymno „. Idem Quienus Adnot. in Vitam S. Joh. Damasceni ad n. xxxiv. „ Quan„ do (*inquit*) de Petro Metropolita Damasci dicere in„ cepi, hic addam, eum arctissima necessitudine con„ junctum fuisse cum Johanne nostro. Opuscula duo da„ mus, quæ Sanctus Doctor Petri Metropolitæ quondam „ sui jussu elaboravit, quorum alterum est, *Libellus de* „ *recta sententia*, qui Professio Fidei est, quem Elias „ nescio quis Episcopus Petro Damasci Metropolitæ tra„ diturus erat. Monophysitam antehac fuisse Eliam, „ atque ex Maronitarum grege, haud levis mihi suspi„ cio est. Quod si hic Elias Episcopus, ille fuerit, qui „ Antiochenam Ecclesiam Jacobiticam administrandam „ suscepit sub Hishamo Chalipha? Quando Jacobitis An„ tiochenis interdictum erat, ne Patriarcham eligerent. „ Quam prohibitionem Elmakinus refert pag. 82. Hist. „ Saracen. cujus auctoris mentem cl. Antonius Pagi ad „ ann. 749. n. 2. perperam intelligit, ac si Orthodoxis Pa„ triarchæ electio vetita esset, quum è contrario sub illo „ Arabum principe Antiocheni fideles Patriarcham suum „ habere cœperint, quo per 40. & amplius annos ca„ ruerant. Opus aliud noster Petro Damasceno jubente „ conscripsit contra hæresim Jacobitarum, ut Episco„ pum Daræ vel Daræ, vel suum, vel potius Petri af„ finem & consanguineum. ab eorum errore revocaret. „ Eo tempore, quo Petrus Metropolita in exilium ex„ secta lingua actus est, Joannem nostrum scripsisse Dia„ logum contra Manichæos, admodum verisimile est. „ Quidni etiam ipsius & Petri jussu ac nomine, ut hæc „ ipsa

(1) Pag. 395.

„ ipsa lucubratio Sanctissimo Antistiti obeundi Martyrii „ occasionem præbuerit. Quod ut suspicarer, in causa „ fuit ille Dialogi locus, ubi legitur: *Cum Manichæis* „ *versabimur? ad communionem eos admittemus? fratres,* „ *communio eum eis nobis interdicitur. Moriamur: ad* „ *communionem Manichæos non suscipiamus. Moriamur,* „ *ut vivamus. Qui illos ad communionem excipit, Ma-* „ *nichæus est, similis illorum. Satius est Judaizare, &* „ *Judæum mori, quam communicare cum Manichæis.* „ Hæc proculdubio scripta sunt, quando Manichæi Pau- „ liciani, qui recens in Syria emerserant, tantumdem „ apud Mohammedanos principes valuerunt, ut fideles „ Christianos secum communicare cogerent: quod in „ causa fuerit, ut Petrus vel sua, vel uti solebat, Jo- „ hannis nostri manu, impietatem ipsorum traduxerit „ & confutaverit. Damascenum Dialogos alios contra „ Mohamedanos ejusdem perinde Petri jussu scripsisse, „ non sic ausim affirmare aut opinari „.

Multa hic peccat Quienus, quæ singillatim sunt a nobis notanda: & primo dicendum est de opere Damasceni *adversus Manichæos Paulicianos, & Mohammedanos*. Theophanes ad annum Incarn. secund. Alexan. 734. Christi 742. Constantini Copronymi 2. narrat mortem *Hisciami* Arabum Chaliphæ, & inaugurationem *Validis*; quem ait post unum Regni ann. cæsum fuisse *mensis Apr. die 16. hebdomadis Feria v.* Hoc est anno Chr. 744. adeoque regnum inierit, oportet, mense Aprili anno 743. non 742. Sub Hisciamo, qui eodem an. 743. decessit, *Sancta Antiochiæ Ecclesia, pastore jam annis 40. viduata, Arabibus nimirum Patriarcham eligi prohibentibus, in priorem statum reposita est, Syro quodam Monacho nomine Stephano in Patriarcham electo*. At sub Valide res Christianorum perturbatæ. *Porro Valid* (inquit Theophanes) *Petro Sanctissimo Damasci* (1) *Metropolitæ, seu Arabum & Manichæorum impietatem palam arguenti, lin-*

(1) Martyrol. Rom. ad 4. Octobris agit de S. Petro Damasci Episcopo & ad 21. Febr. de S. Petro Majumæ Episcopo: sed per errorem pro *Majumensi* seu *Majumeno* legitur *Mavimeni*.

linguam præscindi jussit, & in felicem Arabiam exulem deportari. Ibi pro Christo martyrium passus, distinctisque apertæ loquelæ verbis Sacrum celebrans, ut qui retulerunt, proprio auditu se percepisse confirmant, morte consummatur. Ejus æmulus & ejusdem nominis consors Petrus apud Majumam insigne pro Christo Martyrium sub hæc tempora sponte tulit. Et narrato ipsius martyrio, subdit Theophanes: *Eum orationum suarum Encomiis Sanctus pater noster Johannes, ob eloquii sanctitatisque velut aureo fulgore radiantem spiritualem gratiam, Chrysorrhoas recte cognominatus, celebravit. Johannem etiam istum Constantinus impius Imperator execrationibus annuatim renovatis, ob eminentem illius in recta fide Doctrinam subjicere solebat: & Mansur aviti nominis, quod vertit* Redemptus (*imo*, Victor, Triumphator) *vice, Manzerum, novum Ecclesiæ Doctorem, sensu plane Judaico vocitabat*: Nimirum in pseudosynodo Constantinopolitana habita anno 754. Itaque tam Dialogus Damasceni contra Manichæos, quam Disceptatio Christiani & Saraceni, fortasse sub nomine Petri Metropolitæ Damasci ante ann. 743. prodierat: etenim ob illud opusculum tam a Manichæis, quam a Mohammedanis existimulatus Valides Chalipha, qui Damasci degebat, Petrum Archiepiscopum Martyrio affecit.

Proinde hac in re Quieni optima videtur conjectura. Perperam tamen idem Quienus conjectatur de Elia Episcopo, scribens eum & Monophysitam & Maronitam antea fuisse, ac postmodum ad fidem Orthodoxam conversum: additque: *Quid? si hic Elias Episcopus ille fuerit, qui Antiochenam Ecclesiam Jacobiticam administrandam suscepit sub Heshamo Chalipha, quando Jacobitis Antiochenis interdictum erat, ne Patriarcham eligerent: quam prohibitionem Elmakinus refert p. 88. hist. Saracen. cujus auctoris mentem cl. Ant. Pagius ad annum 749. n. 2. perperam intellexit, ac si Orthodoxis Patriarchæ electio vetita esset, quum e contrario ab isto Principe, Antiocheni fideles Patriarcham suum habere cœperint, quo per 40. & amplius annos caruerant.* Farrago

rago allucinationum in Quieno: Res ita se habuit. Elmacinus de Hisciamo Chalipha loquens, qui Arabibus ab an. Christi 723. ad 743. præfuit, p. 82. enumeratis Patriarchis Alexandrinis Jacobitis, suis scil. gentilibus, Cosma, Theodoro, Chaële, quorum primus an. Hegiræ 108. obiit, postremus ad ann. Heg. 154. in vivis erat, quum pag. 83. de altero Cosma Alexandrino Græcorum Patriarcha dixisset, eum anno 3. Hisciami Chaliphæ obtinuisse, ut a Jacobitis Ægyptiis sibi suisque Græcis restitueretur Ecclesia Annunciationis, quam illi per vim eripuerant, effecerantque ea qua apud Mohammedanos Principes utebantur potestate, ût Græci suis Patriarchis per annos 97. caruerint, a temporibus scilicet Omari Alchettabi usque ad Hisciamum Chalipham: quum hæc, inquam, Elmacinus de Ægyptiis tum Græcis tum Jacobitis narrasset; converso ad Antiochenam Diœcesim sermone ait p. 82. *Dicunt, constitutum Antiochiæ Patriarcham nomine Johannem post obitum Athanasii ejusdem urbis Patriarchæ, anno primo Hisciami: contra quem* (Johannem) *insurrexerunt Episcopi sui; ac facta deinde pace, obiit; mansitque Ecclesia illa sine Patriarcha, ad tempora usque Abdallæ Sapphai*, qui nempe anno Hegiræ 132. Christi 749. inauguratus primus Abbasidarum Chalipha, decessit anno Heg. 136. Chr. 754. die nona Junii. Elmacino repugnat Catalogus Patriarcharum Jacobitarum Antiochenorum apud Greg. Barebræum Abulpharagium in Chron. Syriaco, a me laudatum Tom. 2. Bibl. Orient. pag. 338. quo in Catalogo *Athanasius* Eliæ successor ab anno Græcor. 1035 Chr. 724. sedisse dicitur ad ann. Græcor. 1051. Chr. 740. eique suffectus *Johannes* eodem anno 740., Sedem Antiochenam Jacobiticam rexisse usque ad ann. Græc. 1066. Chr. 755. Falsum proinde est, tum quod *Johannes* post *Athanasii* obitum creatus sit Patriarcha anno *primo Hisciami*, qui in ann. Chr. 723. confertur; tum quod facta inter Jacobitas pace, mortuoque Johanne, Ecclesia illa sine Patriarcha fuerit, usque ad tempora *Abdallæ Sapphai*, quum hujus Abdallæ temporibus uterque Patriarcha, Athanasius scil.

& Johannes, sederit: Johanni autem defuncto successerit Isaacus, tum Athanasius alter, tum Georgius, ab anno scil. Chr. 755. ad 759. quorum trium Patriarcharum Elmacinus quoque mentionem facit p. 103. tametsi illos perperam ad tempora Sapphahi rejicit, inquiens: *Tempore Sapphahi, jussit* (idem scil. Sapphahus, non *Constantinus*, cujus nomen in Latina interpretatione perperam obtruditur, quum in textu Arabico desit:) *jussit*, inquam, *Episcopum Isaacum constitui Patriarcham Antiochiæ & Orientis, quia is eum adierat, eique ministraverat, antequam imperaret, fuitque in mandatis Imperatoris* (idest Chaliphæ) *ut quicumque ei resisteret interficeretur*. Fallitur Elmacinus. Non Abdalla Sapphahus, sed *Abugiaphar Al-Mansor*, ipsius in Chaliphatu successor, *Isaacum* ordinari Patriarcham jussit: vide Catalogum Barhebræi Tom. 2. Bibl. Orient. pag. 339. His præmissis, venio ad Pagium. Hic ad ann. Christi 749. (qui erat primus Regni Abdallæ Sapphai) num 2. postquam ex Theophane ostendisset, *Johannem* Hierosolymorum Patriarcham, Damasceni Magistrum, ab an. 705. ad 735. sedisse, subjungit. *Certe Elmacinus in hist. Saracen. p. 82. Hisamum Chalipham qui regnare cœpit anno Chr. 724. permisisse, ut Christiani post obitum Athanasii Patriarchæ Antiochiæ, constituerent Johannem, contra quem Episcopi sui quum insurrexissent, mansit Ecclesia illa sine Patriarcha usque ad tempus Abdallæ Chaliphæ*. Atqui jam a nobis ostensum est, primo Elmacinum in hac narratione deceptum fuisse, quum Athanasius quidem tempora Abdallæ non attigerit; Johannes autem anno uno post Abdallam supervixerit: Johannis vero successores in Sede Jacobitica ne uno quidem anno vacaverint. Secundo, de Jacobitis Antiochenis, non de Græcis Patriarchis, Elmacinum loqui. Cæterum ad Græcos sive Orthodoxos Antiochiæ Patriarchas, quod spectat, Theophanes ad annum Constantini Copronymi secundum, Chr. 742. de obitu Isami Arabum Chaliphæ loquens, *Hic* (inquit) *Sanctam Antiochiæ Ecclesiam, Pastore jam annos 40. viduatam, Arabibus nimirum Patriar-*

triarcham eligi prohibentibus, pristino statui reddidit. Quemdam enim Monastici instituti Syrum nomine Stephanum, sibi familiarem .... Patriarcham eligendi liberam fecit potestatem. Itaque ab anno circiter 690. quum frequentia Græcos inter & Saracenos bella intercederent, Saraceni qui ab an. 637. Antiochiam ceperant, & plerasque Syriæ ac Ciliciæ civitates obtinebant, Jacobitis maxime apud Chaliphas agentibus, Orthodoxum Patriarcham Antiochiæ eligi prohibuerunt. Nimirum sub Abimelecho seu Abdelmaleco Chalipha, qui cum Justiniano Rhinotmeto an. 685. pacem hoc pacto firmaverat, ut Justinianus *Mardaitarum* agmen e Libano prorumpens comprimeret & impediret eorum excursiones. Quibus Mardaitis ab Justiniano compressis, pronum fuit Abimelecho, in Syros Orthodoxos (quos Græcos vocamus) sævire, eisque præcipere, ne amplius Patriarchas sibi præficerent; postquam nempe compositam cum eodem Abimelecho pacem, Justinianus anno 692. ex animi dementia solvit, uti Theophanes scribit. Tunc enim mortuo Georgio Patriarcha, cujus in subscriptione Synodi Trullanæ anno 692. nomen legitur, quique Constantinopoli semper hæserat, usque ad Hisciami Chaliphæ tempora per annos 40. nullus Antiochiæ Orthodoxorum Syrorum, hoc est, Græcorum Patriarcha electus fuit. Ceterum Jacobitæ (postquam Severus anno 518. Antiochia ejectus, extra eam Ecclesiam, quam alii Antistites *Paulus*, *Euphrasius* & *Ephræmius* tenuere, in exilio anno Chr. 539. interiisset, non desierunt suos habere Patriarchas, extra Antiochiam tamen Sedem habentes, *Sergium* nempe, *Paulum*, *Petrum*, *Julianum*, *Athanasium*, *Johannem*, *Theodorum*, *Severum*, *Athanasium*, *Julianum & Eliam*, ab anno scil. 540. ad annum 709. Nam *Elias*, teste Barhebræo, anno 709. electus, anno 711. jussione a Valide Abdelmalechi filio Arabum Chalipha accepta Antiochiam cum Monachis & Clericis ingressus, novam Jacobitis Ecclesiam fundavit consecravitque: decessit autem, juxta eundem Barhebræum, anno

an. Chr. 723. Hisciami Chaliphæ primo: ab hoc autem Chalipha, Syri etiam Orthodoxi, producto Jacobitarum exemplo, suos & ipsi Patriarchas ut Antiochiæ haberent, petierunt obtinueruntque: id quod ad annum circiter 730. conferri videtur.

Quod igitur Quienus de *Elia Episcopo* conjectatur, eum scilicet Antiochenam Ecclesiam Jacobiticam sub Hisciamo Chalipha administrandam suscepisse; id enim vero multipliciter falsum ostenditur: Primo, quia Elias ille, qui Jacobitis Patriarcha præfuit, vix annum primum Hisciami attigit. Deinde Elias, quem Damascenus ait, Libellum Orthodoxæ fidei Petro Damasci Metropolitano tradidisse, Catholicam fidem professus, sex Œcumenicas Synodos admisit: at Elias alter, qui Jacobitarum Patriarchatum ab an. 709. ad 723. gessit, nunquam Catholicis adhæsit, quinimo primus fuit, qui Sedem Patriarchalem Jacobiticam in urbe Antiochena fixit. Denique idem Quienus in Oriente Christiano Tom. 2. p. 846. Provinciæ secundæ Phœniciæ Episcopales Sedes enumerans, Eliam, de quo Damascenus loquitur, *Jabrudorum* Episcopum fuisse affirmat, testimonio usus Codicis Græci satis antiqui Bibliothecæ Archiepiscopi Senonensis, in quo S. Joh.nnis Damasceni opusculum περὶ ὀρθοῦ φρονήματος, *de recta sententia*, altero hoc titulo inscriptum visitur: ἴσον λιβέλλου, ἤτοι ὁμολογίας, ὑπαγορευθέντος ὑπὸ Ἰωάννου μοναχοῦ καὶ πρεσβυτέρου τοῦ δαμασκηνοῦ, ἐπιδοθὲν δὲ παρὰ Ἡλίου ὁσιωτάτου Ἰαβροὺδ πέτρῳ μητροπολίτῃ δαμασκοῦ, *Exemplar Libelli, seu Confessionis, quam exposuit Johannes Monachus & Presbyter Damascenus, tradiditque Elias Religiosissimus Episcopus Jabrud, Petro Metropolitæ Damasci*. Facessat ergo calumnia, qua idem Quienus hunc Eliam vocat *Jacobitam* & *ex secta Maronitarum*. Decepit Doctum virum Codex manuscriptus, in quo Græculus quidam recentior de suo adjecit ea verba n. VIII. *Et juro per sanctam, consubstantialemque & adorandam Trinitatem, absque omni dolo & fraude, me ita sentire, nec aliud quidpiam præter illa admittere, nec me communicaturum cum altero, qui fidem hanc non confiteatur*, ἐξαιρέτως

ρέτως τοῖς Μαρωνίταις, ac præsertim cum Maronitis) neque me recepturum clericum bigamum, &c. Quæ verbâ quum neque cum antecedentibus, neque cum consequentibus cohæreant, palam fit dolo malo a sciolo quopiam obtrusa fuisse. Nam primo quidem tota hæc Fidei professionis formula a S. Joh. Damasceno dictata fuit, ut ab iis qui Damasceno Metropolitano subjecti essent Episcopis, quorum unus Jabrudensis erat, verbatim subscriptione firmaretur: in qua proinde, præmissa generali circa mysterium Trinitatis & Incarnationis Orthodoxa confessione, tres subjiciuntur articuli peculiares circa hæreses tunc temporis pullulantes: nimirum, 1. de Trisagii appendice, quæ Petro Fulloni disertim tribuitur: *Præterea confiteor Trisagium hymnum designare tres Deitatis hypostases, unamque substantiam & unum dominatum. Quamobrem adjectionem insani illius Petri Fullonis nequaquam admitto; aut enim Trinitati crucifixionis passionem affingit, aut quartam Trinitati personam profane inserit.* En de Maronitis verbum nullum. II. De Origeniano errore: *Detestor quoque Origenis nugamenta, præexistentiam animarum, stultamque earumdem transmigrationem, & portentosam rerum restitutionem. Ita sentio, & vere confiteor, cumque hac fide adstare volo tremendo Christi tribunali.* Hic quoque de Maronitis altum silentium. III. De sex œcumenicis Synodis usque ad Damasceni tempora celebratis. *Insuper sanctas sex Synodos recipio. Primam 318. Patrum adversus Arium Tritheitam celebratam* (ubi vox Tritheitæ a sciolo quoque Græculo procul dubio adjecta:) *Secundam Constantinopoli 150. Patrum contra Macedonium Spiritus Sancti hostem. Tertiam, quæ Ephesina prima est, 200. Patrum contra Nestorium, unius Christi Dei hypostasis divisorem, hominicolam, quaternitatis assertorem, ac infestum Dei genitrici. Quartam Chalcedonensem* (error in Mſ. τῶν κα', XXI. quum scribi debeat ψλ', 630.) *Patrum adversus Eutychem & Dioscorum Theopaschitas. Quintam Constantinopolitanam 164. Sanctorum Patrum adversus Origenem nugacem senem. Sextam denique 289. Patrum san-*

sanctissimam rectissimæque doctrinæ Synodum in amplissima urbe Constantinopolitana celebratam adversus Sergium, & Cyrum, & Paulum, & Petrum, & Pyrrhum, & Macarium, & Stephanum ejus discipulum coactam; & *omnia quæ ab eis definita sunt amplector, lubensque suscipio omnes quos susceperunt, & detestor & anathematizo omnes quos abjecerunt, itemque hæresim omnem a Simone Mago usque ad eas quæ nunc excitatæ sunt adversus Sanctam Christi Deique nostri Ecclesiam*. Hic etiam, ubi opportunus fuisset Maronitas nominandi, siquidem hæretici fuissent, aut in Sexta Synodo damnati, locus, nulla fit eorum mentio: sicuti neque in catalogo hæreticorum, quem Damascenus a Simone Mago usque ad Monothelitas & Iconomachos texuit. Quæ omnia satis superque declarant malam fidem in eo, qui Codicem hunc describens, verba illa, ἐξαιρέτως Μαρωνίτας, adjecit. Declarant etiam, Quienum sibi non constare, dum validis rationibus a me Tom. 1. Biblioth. Orient. productis convictus, quum Maronitas ante & post Damasceni tempora nulla hæresi infectos fuisse confessus esset, Tom. 3. Orientis Christiani a pag. 1. ad pag. 31. in hanc postea viro doctissimo indignam prorupit sententiam, ut Damascenum nihilominus diceret ab eorum se communione propter appendicem Trisagii sejunxisse. Verba ejus recito. *Mirum profecto subit* (inquit num. XXIV. pag. 31.) *si Maro Monothelitarum primus extitit auctor, si ex eo hujus hæresis sequaces vocati sunt* Maronitæ, *quasi id nomen esset* Monothelismi *singulariter protestativum; cur Patres, cur Concilia, cur historici, tanti Hæresiarchæ non meminerint: cur* Maronitas *non computent inter præcipuos Monotheliticæ hæresis assertores? cur S. Joannes Damascenus, qui in hæreticorum catalogo, non tantum Monothelitarum hæresim, sed eos etiam memorat & accurate describit, qui illam propugnaverunt*, Maronem *hujus hæresis architectum, ejusque asseclas* Maronitas *prætermiserit? cur eosdem* Maronitas, *licet se ab eis sejungi ob appendicem Petri Fullonis, quam in Trisagio admiserant, quibusdam in locis testetur, Monophy-*

physitis tamen, *aliisve hæreticis minime accensuerit*, *ut supra insinuatum est num. xvii. col. 22.* his nempe verbis: *Propter quod proculdubio additamentum a Maronitis jam admissum S. Joannes Damascenus eosdem* (Maronitas) *non quidem pro hæreticis habebat*, *ut infra patebit num. xxiv. col. 31.*, *sed tamen sibi non esse conjunctos indicavit*, *tam in libello* de recta sententia *in fide tenenda*, *ubi ait Tom. 1. edit. Paris. 1712. pag. 395. C.* ϰ̀ μὴ κοινωνεῖν ἑτεροπίςῳ ὅτως μὴ ὁμολογοῦντι ἐξαιρέτως τοῖς Μαρωνίταις. Nec me communicaturum cum altero qui fidem hanc non confitetur, ac præsertim cum Maronitis. *Tum adhuc clarius in Epist. ad Jordanem Archimandritam* de Hymno Trisagio, *ibid. pag. 485. E.* ϰ̀ ἡμᾶς Μαρωνίσομεν, προσθέμενοι τῷ Τρισαγίῳ τὴν ςαύρωσιν: Absit, quod cum Maronitis sentiamus, adjecta Trisagio crucifixione: *apparet*, *inquam*, *licet hoc Petri Fullonis additamentum receperint Syri orthodoxi*, & *inter eos* Maronitæ, *illos nihilominus a Jacobitarum & Theopaschitarum hæresi abhorruisse*. Si Damascenus Maronitas pro Orthodoxis habens, cognovisset eos Trisagio hymno Appendicem illam adjicere, Epistolam utique ad illos redarguendos scripsisset, non secus ac ad Abbatem Anastasium scripsit, qui Trisagium ad Filium referebat. Quum igitur id fecisse non legatur, quumque ex ipsius scriptis constet, Maronitas in hæreticorum Catalogo non esse ab ipso recensitos, manifestum est, *Maronitarum nomen*, in utroque a Quieno citato loco posterioribus seculis a Græculo quopiam adjectum fuisse. Præterquam quod, temporibus S. Joannis Damasceni, uti ex Theophane apparet, non Maronitæ, sed Mardaitæ vocabantur ii, qui a Monte Mauro usque ad Sanctam Civitatem quidquid terrarum erat occupaverant, orthodoxam fidem non secus ac Joannes Damascenus colentes. Atque hæc hactenus dicta sunto, non ut Quieno, viro de literis Orientalibus optime merito detraham, sed ut lectores admoneam, Græculis Schismaticis in more positum esse, libros Patrum corrumpendo, nomen Catholicorum inter hæreticos dolo malo obtrudere. Ut enim ea omittam, quæ

in Concilio Florentino de Marco Ephesio Patrum corruptore leguntur, mihi certum est, in Actis Synodi Sextæ, & in aliis Græcorum libris nomen Honorii Papæ si non mala fide, saltem non firmis argumentis inter Monothelitas adjectum, quum in iis, quæ modo ex Damasceno de eadem Sexta Synodo recitabam, omnium Græcorum Monothelitarum, præter Honorii, nomina describantur. Viderit enim oportet, Damascenus, Apologiam Joannis IV. Papæ & S. Maximi Confessoris pro Honorio, atque inde judicaverit, illi a Græcis injuria fuisse dictum anathema tamquam hæretico.

Idem Quienus in *Epistola S. Joannis Damasceni ad Jordanem*, qua Anastasium Monasterii Sancti Euthymii Abbatis ob appendicem illam, *Qui crucifixus es pro nobis*, Trisagio adjectam reprehendit, pag. 486. ex Codicibus Regiis 1829. & 3442. hanc Damasceni lectionem ingenue profert: *εἰ γάρ εἰς τὸν ὑὸν μόνον τὸν Τρισάγιον φήσομεν ὕμνον, λέλυται τὸ ἀμφίβολον ἀνενδοιάςως, ϗ ἡμεῖς παροινήσομεν, προσθέμενοι τῷ Τρισαγίῳ τὴν ςαύρωσιν. ἀλλὰ μὴ γένοιτο. Etenim si ter Sanctum hymnum de Filio solo dicemus, omnis prorsus sublata est ambiguitas: & nos indubitanter tamquam ebrii peccabimus, crucifixionem Trisagio adjicientes. Verum absit &c.* Ita quoque edita Basileensia habere fatetur. Ipse tamen alios duos Codices sequi se asserit, nempe Cod. Reg. 2930. cum alio, quibus ait, concinere veterem Interpretem, qui transtulit, *Indubitanter & nos Maronizabimus, apponentes Trisagio crucifixionem*: ac proinde Græcum textum una cum Latina interpretatione sic exprimit: *ϗ ἡμεῖς μαρωνήσομεν, προσθέμενοι τῷ Τρισαγίῳ τὴν ςαύρωσιν. Atque cum Maronitis Trisagio crucifixionem adjicimus*. Verum pro indubitato tenendum est, genuinum Damasceni textum habere, non *μαρωνήσομεν*, (quod est Græculi cujuspiam recentioris inventum) sed, *παροινήσομεν*. Quum enim inter hæreticos, quorum Catalogum idem Damascenus a Simone Mago usque ad Monothelitas & Iconoclastas recenset, disertim nominentur, *Eutychiani*, *Theodosiani*, *Jacobitæ*, *Severiani*, *Gajanitæ*, *Themistiani*, *Mono-*

nothe-

nothelitæ, uno verbo, hæretici unam in Chriſto naturam, unam operationem, & unam voluntatem aſſerentes, qui crucifixionem Triſagio adjiciebant; quumque diſertis etiam verbis illius Adjectionis auctor ab eodem Damaſceno Petrus Cnapheus dicatur; liquet ab ejuſdem Sancti Doctoris mente & calamo indubitanter abſuiſſe τὸ μαρωνίσομεν: eo quod nulla *Maronitarum* facta ab ipſo legitur inter hæreticos mentio: &, ſi quidem voluiſſet Damaſcenus ad eos alludere, qui Appendicem illam excogitarunt, aut eadem abutebantur, oportuiſſet eum dicere Κναφήσομεν, aut Ἰακωβήσομεν, de quibus ſæpe meminerat, de *Cnapheo* ſcilicet, & *Jacobitis*, quorum Sectarii Crucifixionem Triſagio adjiciebant. Verum quum in Mſs. Codicibus, neque a Cnapheo, neque a Jacobo, aut Severo formatum reperiatur portentoſum verbum, Κναφίζομαι, Ἰακωβίζομαι, Σεβερίζομαι, non video, cur a *Marone*, quem nuſquam nominavit, aut inter hæreticos recenſuit, formari debeat, quo nullus hactenus uſus legitur.

SECTIO XXII.

Eutychii Alexandrini, & Græculorum recentiorum fabulæ, Monothelitica hæreſeos originem Maroni, & Maronitis tribuentium.

ABſit, ut hanc Græculorum recentiorum impoſturam ad Damaſcenum referamus. Græci enim maxime qui in Syria ſunt, Melchitæ, Schiſmaticorum erroribus infecti, quum Byzantinum Schiſma ſecuti, a Romana Eccleſia defecerint, *Syros Maronitas*, gentiles olim ſuos, nunc ejuſdem regionis incolas, ſed a Græcanico ſchiſmate abhorrentes, quod eadem cum Romanis ſentiant ſenſerintque, ſummo odio habentes, corruptis etiam veterum Græcorum Scriptorum libris, ubicumque *Monothelitarum* nomen occurrit, in *Maronitarum* illud commutare conſueverunt; neque hac fraude contenti, verbum παρωνίσομεν, (quo verbo, quum Græcum ſit a πα-

φοινέω derivatum. Damaſcenus proculdubio utitur,) in *μαρωνήσομεν*, maligne converterunt. Quienus ad tuendam Græculorum imposturam adducit hic in not. (pag. 456. edit. Venetæ) alium Damaſceni locum ab illis non minori cum fraude corruptum. *Jam ante vidimus* (inquit) *Damaſcenum in libello de recta ſententia Maronitas heterodoxis annumeraſſe*: *καὶ μὴ κοινωνεῖν ἑτεροπίστῳ οὕτως μὴ ὁμολογοῦντι, ἐξαιρέτως τοῖς Μαρωνίταις*, nec communicaturum cum altero, qui fidem iſtam non confitetur, & præſertim cum Maronitis. *Additque*, *Maronitas Triſagio crucifixionem, perinde atque Jacobitas, appoſuiſſe perhibent Acta Synodi, quæ coram Hieronymo Dandino Clementis VIII. ad eos Nuncio in Libano Monte celebrata eſt, in quibus legimus*: Triſagium duobus modis in eorum libris uſurpari. Quum ad totam Trinitatem refertur, nihil addi. Quum ad ſecundam perſonam Verbi propter aſſumptam carnem, nativitatem, crucifixionem, & mortem interponi. *Et poſt pauca. Eſto additamentum iſtud interpretentur Catholico ſenſu, qui a S. Ephræmio Antiocheno Patriarcha adprobatus reperitur apud Photium Cod. 228. attamen ætate Damaſceni hæreticus habebatur, qui ad ſolam Verbi perſonam hymnum ejuſmodi reſtringeret, adjecta in primis crucifixione.*

Utcumque ita ſenſerit Damaſcenus (quod tamen a Theologo abhorret: nam ſine errore dici nequit, eum eſſe hæreticum, qui de Verbo incarnato, & in carne paſſo, canat: *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, qui crucifixus es pro nobis*:) Utcumque, inquam, ita ſenſerit Damaſcenus, cur *Jacobitas*, Cnaphei in omnibus Sectatores, qui Damaſci frequentiſſimi erant, ſilet; & de *Maronitis* loquitur, qui eo quo Damaſcenus ſcribebat anno, non *Maronitæ* vocabantur, ſed *Mardaitæ*, quemadmodum Theophanes, Cedrenus, aliique teſtantur? Eutychium Alexandrinum non moror, fabuloſiſſimum decimi ſæculi Scriptorem, qui *Maronitarum* nomen etiam ante exortam hæreſim Monothelitarum (uti recte notat Quienus Orient. Chriſt. Tom. 3. pag. 30. num. 24.) ſub Mauricio Imperatore emerſiſſe nugatur.

Sed

Sed neque moror *Timothei* cujusdam Presbyteri Constantinopolitani Opusculum *De his qui accedunt ad Ecclesiam*, apud Combefisium Tom. 2. Auctarii Biblioth. Patrum Græcor. in quo pag. 459. de Maronitis sic habetur: *Maronitæ qui quartam, quintam, ac sextam Synodum rejiciunt, adduntque Trisagio hymno crucifixionem*. Etenim (uti Tom. 1. Biblioth. Orient. pag. 509. observavi) hæc omnia verba Græculi cujuspiam recentioris foetus sunt, qui *Monothelitarum* nomen in *Maronitas* convertit; & Monothelitis ipsis mendaciter affingit, quod *Quartam Synodum*, *&* *Quintam* rejiciunt. Nam de Jacobitis quidem verum est, quod *Quartam*, *Quintam*, *&* *Sextam Synodum rejiciunt*, *adduntque Trisagio crucifixionem*. At puri Monothelitæ (quales a nonnullis finguntur fuisse Maronitæ) solam Sextam Synodum rejiciunt; Quartam Quintamque admittentes. Quod autem Timothei Presbyteri Constantinopolitani textus sit corruptus, manifestum fit ex genuino ejusdem textu, quem edidit Cotelerius Tom. 3. Monument. Eccles. Græc. pag. 377. & ex Gretseri Codice, quem ipse Combefisius laudat. Ibi enim nulla Maronitarum mentio: quinimo idem Cotelerius in notis ad illud Timothei opusculum pag. 626. de illius ætate hæc scribit: *Quem ego arbitror ante Monotheliticam hæresim vixisse, quia illius mentionem non facit*. Quamobrem Quienus ipse, quamquam in Notis ad S. Joannem Damascenum, testimonio Eutychii Alexandrini, & Timothei Presbyteri Constantinopolitani, corruptisque hisce ejusdem Damasceni locis seductus, asseruerat, Maronitas non solum Monothelitas fuisse, sed etiam Monophysitas & Theopaschitas; re tamen melius perpensa, in *Oriente Christiano* Tom. 3. a pag. 1. ad pag. 33. priorem sententiam retractans, ultro fatetur, ab utraque illis impacta Monothelitarum & Monophysitarum hæresi immunes Maronitas fuisse, nomenque Maronitarum non ab hæretico aliquo, sed a S. Marone accepisse, quum antea *Syri* dicerentur, & ab ævo usque Imperatorum Constantini Pogonati, atque Justiniani Rhinotmeti; *Mardaitæ*; in Tri-

sagio autem cum Appendice usurpando, Patriarcharum Antiochenorum suorum, qui orthodoxi fuerant, Ephræmi scilicet aliorumque doctrinam esse sequutos. Antiochena enim Ecclesia (docente Sancto Ephræmo Patriarcha) Hymnum Trisagium Jesu Christo attribuens, propterea nihil peccat, tametsi adjiciat, *Qui crucifixus es pro nobis*. Recte vero facere utrosque, idem Ephræmus asserit apud Photium Cod. 228. Sed quum ab Acephalis hæreticis (id est) Jacobitis, Severianis & Eutychianistis (quemadmodum Photius subjungit) ,, male hanc ,, sententiam accipientibus, magnus fiat κατὰ τῆς εὐσεβείας καταδρομή, adversus pietatem (*orthodoxam scilicet fidem*) incursus; merito alii Patres nostri, οἱ ἄλλοι πατέρες ἡμῶν, illud decreverunt, nec oportere ,, nos illud addere in sacro hymno, *Qui crucifixus es* ,, *pro nobis*. Trinitati enim eum Hymnum convenire, ,, quando Cherubicus ille Hymnus, *Ter Sanctus*, ab initio ad eandem, quæ super omnem sanctitatem & bonitatem est, Trinitatem relatus fuisse cognoscitur ,,. Eodem argumento utitur Damascenus, inter alia sic scribens: ,, Quid causæ est, cur non bis, aut quater Sanctus proclamant Seraphim, sed ter, nisi ut trium personarum in unam Divinitatem ac dominationem coeuntium numerum declaret? Sanctus Deus Pater, ex ,, quo Deus Filius & Deus Spiritus Sanctus. Sanctus Fortis, Filius Dei subsistens virtus. Sanctus Immortalis, Spiritus Sanctus, vivificans ,,. Quocirca corruptus a sciolis Græculis utrobique Sancti Joannis Damasceni locus, ita restituendus est: Nimirum, pro, Μαρωνήσομεν, reponendum, παροινήσομεν, & pro ἐξαιρέτως τοῖς Μαρωνίταις, legendum, ἐξαιρέτως τοῖς Μανιχαίοις: de his enim disertim agit, in hæc verba Tom. 1. pag. 395. ,, Præterea me subditum fore Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Metropolis dilectissimæ Christo Damasci, atque in omnibus obsequuturum obediturumque tuæ sanctitati, & illis, qui post eam, Sanctissimæ ,, ejusdem Ecclesiæ Præsules erunt, neque recepturum, ,, citra Sanctitatis tuæ sententiam & jussionem, aliquem

,, e Ma-

„ e Manichæis, quos tua Sanctitas proscripserit „. Maronitas enim neque usquam nominaverat, neque nominare poterat, quum id nominis, Damasceníco ævo, ii non habuerint, sed *Mardaitæ* a Syris, Arabibus, & Græcis vulgo dicerentur, & pro Orthodoxis, æque ac Damascenus ipse, existimarentur, & essent.

SECTIO XXIII.

Romani Pontifices Mardaitis seu Maronitis præcepisse leguntur, ut ab Orientalis Ecclesiæ Ritibus ad Romanam seu Latinam, quantum fieri possit, transirent.

HÆc de *Mardaitis* existimatio, non solum apud Latinos Scriptores, sed etiam apud Græcos omnes invaluit, usque ad tempora Eutychii Alexandrini, qui anno Hegiræ 326. (die 8. Novembris ann. Christi 937. inchoato) Annales suos Arabicos (a Pocockio Latine Arabiceque editos) absolvit, idemque die 8. mensis Saphar anni Hegiræ 921. hoc est feria v. die 13. mensis Mechir anni Martyrum 649. Chr. 933. ad Alexandrinum Græcorum Melchitarum Patriarchatum evectus fuerat. Is enim primus omnium Græcorum, Syrorum, Coptorum, Armenorum, Latinorum historicorum, Patrum, Doctorum, mentionem *Maronis cujusdam & Maronitarum* fecit, eosque immani anachronismo, Mauricii temporibus exortos, errores Monothelitarum excogitasse, nullo fultus testimonio, fabulatur. Ex hoc lutulento fonte sua hauserunt, Nestoriani, Jacobitæ, Copti, & Melchitæ Scriptores, qui Annalibus Eutychii fidem adhibentes, ubicumque aut ipsi mentionem Monothelitarum facerent, aut citatum ab antiquis Græcis scriptoribus nomen Monothelitarum in Arabicum idioma convertendum esset, pro *Monothelitis* mala fide *Maronitas* obtruserunt, perinde ac si synonymum esset *Maronita* ac *Monotheli-ta*. Nos autem ad antiqua Græca autographa illos remittimus, in quibus de Maronitis ne vestigium quidem,

ta-

tametsi accurata hæreticorum omnium, etiam Monothelitarum, fit recensio.

Romani Pontifices, qui curaveraut ut Mardaitis in Antiocheno & Hierosolymitano Patriarchatu degentibus (a Mauro quippe monte, qui Antiochiæ imminet, usque ad Sanctam civitatem Hierosolymitanam, quidquid terrarum est, occupaverant:) Episcopos, Presbyteros, & Diaconos Johannes Philadelphiæ Episcopus Sedis Apostolicæ Vicarius instituerer, quemadmodum supra dictum est; Romani, inquam, Pontifices, ne illa Orthodoxorum portio, quæ inter hæreticos & Schismaticos in Libani & Antilibani potissimum jugis, versabatur, ob eandem, quam habebant cum illis Orientalium Rituum communionem, iisdem etiam erroribus inficeretur, Mardaitis (qui Maronitæ postmodum sunt dicti) præcepisse leguntur, ut Latinos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ritus, quantum fieri possit, amplecterentur. Ita Innocentius III. in Diplomate dato *III. Non. Januarii Anno Incarn.* 1215. *Pontificatus sui anno* 18. Cujus Inscriptio & Init.: *Innocentius Episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Hieremiæ Patriarchæ sive Primati, Archiepiscopis & Episcopis, & dilectis filiis Prioribus, Clero & Populo Maronitarum, salutem & Apostolicam Benedictionem. Quia divinæ sapientiæ bonitas indeficiens & immensa*: Post alia, quæ circa Trinitatis & Incarnationis mysterium, Romanæque Ecclesiæ Primatum, firmiter tenenda proponit, ad amplectendos ejusdem Romanæ Ecclesiæ Ritus hujusmodi cohortando progreditur, inquiens: *Ut etiam Confirmationis utamini Sacramento a solis Episcopis conferendo: & ne in confectione Chrismatis aliquam speciem, nisi balsamum & oleum apponatis*: Et mox, *Statuentes, ut Pontifices in Maronitarum terminis constituti, vestibus & insigniis Pontificalibus sibi congruentibus juxta morem Latinorum utamini, Ecclesiæ Romanæ consuetudinibus se in omnibus studiosius conformantes*. Et Gregorius XIII. in Epistola ad Michaëlem Petrum Patriarcham Maronitarum data die 14. Februarii anno 1577. cujus initium: *Benedictus Deus & Pa-*

ter

ter Domini nostri Jesu Christi : quum Orthodoxam illius, Populique ejus ac Cleri fidem plurimum commendasset, inquiens : *Conantibus siquidem fraternæ charitatis & Christianæ pietatis hostibus inconsutilem Domini tunicam ausu temerario discindere, illam a filiis spiritus ac sanctæ dilectionis, qui vel in remotissimis regionibus constituti, in unitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ (extra quam non est salus) firmiter permanent, integram servari intelligimus, sicut de Vobis nuper accepimus ex literis Fraternitatis tuæ, quæ per venerabilem fratrem nostrum Georgium Episcopum & dilectum filium Clementem Archipresbyterum oratores ad Nos destinatos unacum Fidei Professione manu tua scripta redditæ sunt*: quum hæc & alia (inquam) de Catholica Maronitarum religione exposuisset, subjungit ea, quæ ad Latinum Ritum amplexandum admonendo enumerat. „ Et quoniam (*inquit*) „ ad salutem animarum vestrarum, cui toto pectore in„ cumbimus, consequendam, conservamini virtute Dei „ in fide, quæ nisi habeat observationem mandatorum, „ mortua est in semetipsa, quo magis in via salutis „ æternæ proficiatis, implentes præcepta Dei, & Ec„ clesiæ, ejusque sanctas Traditiones custodientes, pa„ ternis cohortationibus Vos duximus incitandos, ut „ ea, quæ per fel. rec. Prædecessores nostros, & præ„ cipue Innocentium III. Eugenium IV. & Leonem X. „ Vobis tradita sunt, inviolate observare studeatis „. Tum vero hæc recensendo prosequitur : „ Sacrum vero „ Chrisma juxta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ex ante obser„ vatam consuetudinem, & quemadmodum Innocentius „ Papa III. & Leo X. Prædecessores nostri per suas Vo„ bis directas Literas voluerunt, ex simplici oleo oli„ varum & puro balsamo, sine alterius speciei admix„ tione, singulis annis Ferla V. Cænæ Domini confi„ ciendum, & novo Chrismate confecto, vetus igne „ absumendum esse præcipimus. Quumque de solis Apo„ stolis, quorum vices in terris gerunt Episcopi, le„ gatur, quod per manus impositionem Spiritus Sanctus „ dabatur Baptizatis, loco autem illius manus imposi„ tionis,

„ tionis, in Ecclesia, Confirmationis Sacramentum successerit, magna cum veneratione tenendum est hoc „ Sacramentum, nec ab aliis, quam Episcopis, ministrari ullatenus est permittendum . . . Ad hæc innotescere debet Fraternitati tuæ, parvulos usu rationis „ carentes nulla obligari necessitate ad Sacramentalem „ Eucharistiæ communionem: Siquidem per Baptismi „ lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam „ jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere nequeunt. Dum autem tanto in Sacramento manducatur caro Filii hominis, omni reverentia ac humilitate idem Sacramentum prosequendum est: quod pueri „ per ætatem præstare minime possunt „.

SECTIO XXIV.

Romanis Pontificibus Innocentio III. Eugenio IV. Pio IV. Gregorio XIII. obsequuti Patriarchæ Maronitarum, Latinos Ritus in multis amplexi sunt.

HAC Romanorum Pontificum auctoritate moti Patriarchæ Maronitarum, tam sub Innocentio III. quam sub Gregorio XIII. quæ ab istis enumerata sunt, ea omnia libentissime sunt exequuti. Poterant sane ii, salva Orthodoxa fide, & firma etiam debita Pontificiæ dignitati reverentia, excusando dicere: Orientales sumus; Orientalem Ecclesiæ Antiochenæ Ritum sequimur: quæ nobis præscribuntur, ea quidem & a reliquis Orientalium Rituum cultoribus absque ulla erroris nota observantur, & a Catholicæ fidei articulis non abhorrent: quinimo iidem Romani Pontifices nunquam leguntur Græcis aut Syris aut Coptis ea prohibuisse. Ex ipsis denique Pontificiis diplomatibus palam fit, Maronitas olim æque ac Græcos, a Ritibus illis alienos non fuisse. Nihil tamen horum reposuere, sed promto animo relictis patriis Ritibus, Latinum, uti jussi fuerant, sunt sequuti, non aliam profecto ob causam, quam quia transitus ille ab Orien-

Orientali ad Latinum Ritum, argumento erat, non quidem illos hæreticum Ritum olim tenuisse, sed æque Catholicum ac eum, quem Romanis obsequentes Pontificibus postea sunt amplexi. Quis enim dixerit, Græcos in Fidei Orthodoxæ articulis errare, dum Chrisma non ex simplici oleo olivarum & balsamo, sed alterius speciei admistione conficiunt: dum pueris post Baptismum etiam Confirmationis & Eucharistiæ Sacramenta a Presbyteris conferuntur: dum sacris vestibus in Ecclesia Sacerdotes & Pontifices a Romano Ritu diversis utuntur?

SECTIO XXV.

In rebus tamen ad Fidem spectantibus, perpetua eorum constantia in Catholica religione ab iisdem Romanis Pontificibus disertim commendatur.

SIC itaque Patriarchæ Maronitarum, quum de rebus quidem ad Ritum Ecclesiasticum immutandum ageretur, Romanis Pontificibus morem gesserunt, Latino adhærentes. Verum ubi ab illis exigitur, ut articulos quosdam Fidem orthodoxam spectantes deserant, quibus ipsi velut hæretici essent impliciti, tum vero protestati sunt, & a recta se Religione nunquam recessisse, & si qua propositio in divinis eorum officiis occurreret, quæ videretur errorem sapere, eam quo ipsi catholico sensu usurparunt, productis documentis exposuerunt. Maronitis impositum fuit a nonnullis in Trisagio hymno crucifixionem Trinitati ab illis attribui. Hinc in laudato Diplomate Gregorius XIIk. ad Michaëlem Patriarcham: „ Ac primo (*inquit*) de nonnullis, quæ minus „ consulte a Vobis admissa comperimus, exempla Præ„ decessorum nostrorum sequuti commonefactos etiam at„ que etiam volumus, ut quæ ab Ecclesiæ Romanæ alie„ na traditionibus esse cognoveritis, ipsi quoque reji„ ciatis, ac prorsus evitetis. Hoc in numero illud est „ præceptum, quod accepimus, in Missæ sacrificio, dum

„ Trisagium profertur, adjici quædam verba, a veritate & sententia, quam Ecclesia Catholica amplectitur, penitus diversa, quæ sunt: *Qui natus es pro nobis*: *Qui crucifixus es pro nobis*: *Qui surrexisti & ascendisti in cælum pro nobis*: *miserere nobis*: Quæ ad totam Trinitatem impie necessario referuntur. Hæc enim hæresim Petri Cnaphei olim Patriarchæ Antiocheni damnati in Quinta Synodo Constantinopolitana sapiunt: nec Trinitas crucifixa, neque Pater, neque Filius, neque Spiritus Sanctus, sed solus Jesus Christus Filius Dei Unigenitus, humana carne assumpta, ac formam hominis gerens, crucifixus exstiterit, & pro peccatis totius populi immolatus fuerit: a vestris Ritibus, & orandi formula explodenda decernimus, eumque hymnum Trisagium, quem Cherubim cum tremore Trinitatis incessanter emittunt ad universam Trinitatem glorificandam, referri debere, dicendo: *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, miserere nostri*: nec in eo ultro progrediendum esse, statuimus, prout hæc omnia a Sanctis Œcumenicis Conciliis accepta, universalis Ecclesiæ servat consuetudo.

Laudat hanc Gregorii XIII. Epistolam Benedictus XIV. in *Encyclica ad Missionarios per Orientem deputatos de Ritibus Ecclesiæ Græcæ aliarumque Orientalium conservandis num.* 29. ubi quum fuse de Trisagio ejusque Appendice disseruisset, subjungit: *Sanctus Gregorius VII. eodem religionis studio ipsam Additionem improbavit in sua Epistola prima lib. 8, scripta ad Archiepiscopum sive Patriarcham Armenorum. Idem præstitit Gregorius XIII. in nonnullis suis Epistolis datis in forma Brevis ad Patriarcham Maronitarum die 14. Februarii anno* 1577. Mirum est, ab eodem Gregorio XIII. hanc solam de Trisagii appendice censuram cum aliis quos supra recensui ad disciplinam Ecclesiasticam spectantibus articulis notatam fuisse. Cur enim ea non adjunxit, quæ Innocentius III. olim a Maronitis tenenda dogmata præscripserat, perinde ac si illa eatenus non tenuis-

nuissent, nempe *de Processione Spiritus Sancti ex Patre Filioque, deque duabus Christi voluntatibus & operationibus*? Nimirum quia idem Gregorius Pontifex plane in omnibus orthodoxam fidem Maronitarum perspectam habuerat: sicut in laudata Epistola præfertur; & ante Gregorium alii Romani Pontifices de Catholica Maronitarum religione publicum testimonium perhibuerant. Ut enim missa faciam priorum Pontificum, Eugenii IV. Nicolai V. Pauli II. Leonis X. Clementis VII. Pauli III. & IV. diplomata, in quibus Maronitarum gens tum propter suum erga orthodoxam religionem studium, tum ob sincerum in Romanos Pontifices obsequium, ab iis meruit summis laudum præconiis cumulari; juverit recentiora documenta ex propinquiore temporibus Gregorii XIII. Pontifice Pio IV. producere, quibus planum fiat, & gentem Maronitarum semper fuisse Catholicæ fidei addictissimam, & a Sede Apostolica ob eam causam summopere commendatam. Hæc igitur sunt verba Pii IV. in Epistola ad Moysen Patriarcham data Kalendis Septembris anno 1562. „ Venerabilem fratrem nostrum Georgium Archiepiscopum Damascenum, qui tuas ad nos „ attulit literas, libenter vidimus, qui Nobis ad Apostolicæ Sedis regimen, Dei omnipotentis dignatione, „ vocatis, tuo mandato, & nomine, pie & reverenter „ admodum obedientiam præstitit, grato ut debuimus „ animo tuum istud, dilectissime Frater, officium, literasque ipsas tuæ erga hanc Sanctam Sedem observantiæ, pietatis, & devotionis testes accepimus. Fecisti, „ quod Catholicum Prælatum decuit, quod facere debet „ quisquis Ecclesiæ Dei membrum haberi & esse vult: „ præclare enim intelligis, Ecclesiam Dei super hanc „ Sedem a Domino nostro Jesu Christo ædificatam, Petroque & successoribus ejus Romanis Pontificibus curam gregis Domini commissam fuisse. Nos vero perspicientes ex literis tuis eximiam reverentiam & cultum, & pietatem, qua Beati Apostoli Petri Apostolorum Principis Sedem prosequeris, ac tuam, ac Nationis istius constantiam in retinenda fide, quam Sancta Ro-

„ Romana tenet & docet Ecclesia, gratulamur Tibi, & „ Nationi ipsi, toto ex corde divinæ misericordiæ gratias agentes, quod reliquit sibi in istis tam longinquis partibus tot hominum millia, qui non curvaverunt genua sua ante Baal, quos non Infidelium jugum „ tam grave a Christiana fide deterrere, nec hæreticorum aut Schismaticorum propinquitas corrumpere, & „ ab Eeclesia Catholica abducere ac separare potest „. Pergit enarrans, quæ in Literis Decessorum Romanorum Pontificum ad Maronitas olim transmissa fuerant ad fidem Catholicam Ritusque Eeclesiæ Romanæ servandos spectantia. „ Ne illud quidem credimus necessarium esse, ut hortemur Fraternitatem tuam, ut puram atque integram fidem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Ritus ejus in Septem Sacramentis conficiendis & ministrandis servandos cures ab iis omnibus, quibus præes. Frustra enim ipsam Ecclesiam Romanam coleret, „ & observaret, ejusque principatum agnosceret, quisquis ab ejus fide, doctrina, & Sacramentorum Ritu, „ quod ad eorum materiam & formam pertinet, discreparet. Quæ sit autem Ecclesiæ Romanæ fides, quam „ omnes tenere necesse est, qui salvi esse volunt, quæ „ sit ejus de Sacramentis doctrina; habes duarum fel. „ rec. Eugenii IV. Prædecessoris nostri Bullarum exemplaria, literis quibusdam bonæ mem. Leonis X. nostri Prædecessoris inserta: quas Literas idem Archiepiscopus Damascenus istuc secum allatas ad Te refert: „ in quibus Eugenii Literis brevis institutio traditur de „ duabus in Christo naturis, de duabus item voluntatibus & operationibus, & unica ejus Persona: de „ Spiritus Sancti a Patre & Filio processione; de Purgatorii loco: de singulis quoque Septem Sacramentis: a qua institutione siqui forte tuorum, quod absit, in aliquo Fidei articulo vel Sacramento declinaverunt, officium tuum est, dilectissime Frater, eos „ diligenter monere, & dare operam, ut cum Romanæ „ Ecclesiæ matris & magistræ suæ atque omnium fidelium fide, doctrina, & Ritibus congruant. Ut vero „ Apo-

„ Apoſtolica Sedes, quæ ut pia mater de filiorum ſuorum ſalute ſollicita eſt, certius noſſe queat, an apud vos Chriſtianæ fidei conſervetur integritas, atque ut edocta de iis, quæ correctione eguerint, ea corrigere poſſit; hortamur Fraternitatem tuam, ut ſucceſſoribus tuis hanc admonitionem relinquas, ut quum poſt Electionem ſuam, petendæ confirmationis cauſa, nuncios & literas ad Apoſtolicam Sedem miſerint, mittant ſimul quoque ejuſmodi literas, in quibus fidem ſuam diſtincte profiteantur atque explicent, licet quæ ab eis Concilia ſuſcipiantur exponant.

SECTIO XXVI.

Quos Fidei articulos ſcriptis ad Romanos Pontifices literis profitebantur Maronitarum Patriarchæ, illos ab ipſis olim fuiſſe negatos, nonnulli oſcitanter affirmarunt.

Laudat igitur Pius IV. integram Maronitarum fidem, ſimulque hortatur Patriarchas, ut quum nuncios & literas, petendæ electionis ſuæ confirmationis cauſa ad Romanos Pontifices miſerint, Profeſſionem Fidei ab eodem Pio IV. editam ſimul emittant: qua in Profeſſione, quæ ſunt præſertim a tertio, quarto, ſexto, & Florentino Concilio definita diſtincte exponuntur. Hinc vero, quemadmodum male feriati homines de Latinis Præſulibus ac Doctoribus per ſummam calumniam dictitarent, illos ab hæreſi ad fidem Catholicam converti, quoties editam a Pio IV. aliiſque Romanis Pontificibus Profeſſionem Fidei emittunt; ita non defuere, qui temporibus Innocentii III. emiſſam a Jeremia Patriarcha & Epiſcopis Maronitarum Fidei Profeſſionem ſic ſunt interpretati, perinde ac ſi quos tunc temporis Fidei articulos profitebantur, illos antea negaſſent. Idem ipſum ſub Gregorio XIII. contigit: Miſſi enim ab eo ad Michaëlem Maronitarum Patriarcham nuncii, quum ex quibuſdam hæreticorum libellis nonnullas

Pro-

Propositiones Catholicæ fidei contrarias adnotassent, ipsius Michaëlis Patriarchæ nomine & Synodum, in qua eæ Propositiones damnarentur, confinxere, & Interrogationes ab ipso ad Romanum Pontificem circa fidem & Ritus Ecclesiasticos factas commenti sunt.

Thomas a Jesu Biatiensis, Ordinis Carmelitarum Discalceatorum in Belgio Superiore, Opus in Libros XII. distributum edidit Antuerpiæ anno 1613. *de Procuranda salute omnium gentium*, ubi lib. VII. cap. V. pag. 483. exscribit *Interrogationes aliquot factas Suæ Sanctitati* (idest Gregorio XIII.) *a Reverendissimo Patriarcha Maronitarum super fide & ritibus Catholicis; manifestandas in Synodo celebranda circa festum Paschatis anno* 1578. Sunt autem Articuli VIII. nimirum, 1. *de Baptismo*. 2. *de Chrismate*. 3. *de Eucharistia*. 4. *de Confessione*. 5. *de Matrimonio*. 6. *de Ordine*. 7. *de Conciliis*. 8. *de variis rebus*.

Idem Thomas a Jesu pag. 493. subjungit: „ Constitutiones aliquot dandas in Synodo Provinciali Reverendissimi Patriarchæ Maronitarum „. Sunt autem XXXI. quarum Prima est „ ut in posterum inter Nationem nostram nec in Ecclesia, nec extra dicatur cum Trisagio: *Quando crucifixus es*, vel, *quando mortuus es*, vel, *quando surrexisti*, *&c.* sed solum hunc in modum: *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Immortalis*, *miserere nobis*. Extra vero Trisagium dici poterit in piam commemorationem Passionis Christi „. Trigesima vero prima & ultima. „ Vos moneo celebrare Missam pro Vivis vel Defunctis, quoties vos obligatos esse contigerit, quisque vestrum conscientiam suam exsolvat: neque enim satis fit, nec sat est, uno celebrante, cæteros præsentes secundum ritum Ecclesiæ nostræ simul legere: absolute enim & integre & secundum obligationem Sacrum est celebrandum. Vos insuper obtestor, divinam clementiam precari dignemini pro salute Sanctissimi nostri Papæ Gregorii XIII. dilectique Fratris, & Domini nostri Cardinalis Caraffa Protectoris, humilitatis totiusque Natio-

„ tionis nostræ, & pro cunctis gentis nostræ fidelibus,
„ humiles ad Deum preces effundere non dubitetis. Laus
„ Deo. Factum in Canubir. *Leg. Canubin.*

Denique idem Thomas a Jesu cap. 6. pag. 497. recenset *Propositiones aliquot excerptas tum a quibusdam libris Maronitarum, dum expurgarentur a Legatis Apostolicis, tum ex communi consensu & quadam traditione receptis: quæ videlicet sunt hæreses manifestæ, vel erroneæ, vel superstitiosæ, qui etiam errores solent esse communes aliis Nationibus Orientalibus*. Quarum Propositionum Prima, *circa Creationem*. Postrema, *circa mores, & alia diversi generis*.

SECTIO XXVII.

Duæ Maronitarum Synodi, altera sub Michaële Patriarcha anno 1580. altera sub Sergio Risio an. 1596. in quibus Latinum Ritum in multis sunt amplexati.

EXstat apud me Autographum exemplar, Latine & Arabice, Syriacis tamen literis exaratum, *Synodi, quæ dicitur celebrata in Monasterio Canubinensi in Monte Libano die* 16. *Augusti anno Chr.* 1580. *a Michaële Maronitarum Patriarcha, præsentibus Joanne Baptista Eliano, & Joanne Bruno Societatis Jesu Puesbyteris, Sedis Apostolicæ Nunciis*, quos Gregorius Papa XIII. ad Maronitas miserat. Subscripti in ea leguntur, præter Michaëlem Patriarcham, & præter Jo. Baptistam Elianum & Joannem Brunum Nuncios, Archiepiscopi & Episcopi, *Sergius de Capharbaura*: *David de Acura*: *Georgius de Basluchit*: *Caemens de Eden*: *Joseph Cypri*: *Joannes de Eden*. Binæ subscriptiones quoad Latinum & Arabicum Textum subjunguntur. Prima ejusdem *Jo. Baptistæ Eliani* fol. 23. *Ego Jo. Baptista Elianus, in Latino & Arabico idiomate versatus, qui Canones Latinos in Arabicam Linguam fideliter transtuli, fidem facio, hæc omnia tam Arabice, quam Latine exscripta, in omnibus*

nibus convenire cum suo exemplari, & in fidem propria manu me subscripsi in Monte Libano in Monasterio Sanctæ Mariæ Canubin die 20. Septembris 1580. Ego Jo. Baptista Elianus qui supra manu propria. Altera subscriptio fol. 24. est *Joannis Archipresbyteri Hesronitæ*, qui Arabicum textum exaravit. ܐܢܐ ܐܠܚܩܝܪ ܗܘ ܐܠܟܘܪܐܝܣܩܘ ܝܘܚܢܐ ܡܢ ܩܪܝܬ ܚܨܪܘܢ ܢܣܟܬ ܗܕܐ ܐܠܡܓܡܥ ܐܠܡܩܕܣ ܟܡܐ ܐܡܪܢܝ ܐܠܐܒܐ ܐܠܡܪܣܠܝܢ ܡܢ ܩܕܣ ܐܠܒܐܒܐ ܘܐܠܡܥܠܡ ܐܠܒܛܪܝܪܟ ܡܝܟܐܝܠ . ܘܟܬܒܬ ܒܝܕܝ ܚܛܝ ܐܝܣܐ . *Ego humilis Archipresbyter Joannes de Oppido Hesron, hanc Sanctam Synodum exscripsi, uti a memoratis Patribus Domini nostri Papæ Nunciis, & a Domino Michaële Patriarcha mihi fuit injunctum; & propria manu me subscripsi*. Ejusdem Joannis Maronitæ manu exaratæ visuntur subscriptiones omnes tam Patriarchæ, quam Episcoporum Maronitarum. *Canones editi* sub Titulis X. numerantur universim L, quorum Primus est: „ Sancta „ hæc Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, „ quum hoc unum spectet, ut in Ecclesia puritas fidei „ ac doctrinæ conservetur, hæc vero tum in Sacris Scri- „ pturis, tum sine scripto divinis Traditionibus, tum „ in Conciliis ab Ecclesia receptis, tum in communi „ Sanctorum Patrum doctrina & consensu contineatur; „ propterea approbat, amplectitur & veneratur omnes „ Libros, tum Veteris, tum Novi Testamenti juxta Ca- „ talogum a Sacris Conciliis, & præcipue a Tridentino „ expressum: Traditiones etiam tum ad fidem, tum „ ad mores pertinentes: omnia præterea Concilia, & „ omnes Doctores, quos approbat & recipit Sacrosan- „ cta Catholica & Apostolica Romana Ecclesia. Verum „ quum horum omnium sit tamquam compendium sym- „ bolum fidei, & velut brevis quædam regula eorum, „ quæ & credere & profiteri tenemur, ut firmum sit „ fundamentum, contra quod portæ inferi prævalere „ non possint, Sancta Synodus symbolum illud exprimen- „ dum, & cæteris omnibus præmittendum, & suscipien- „ dum

„ dum decernit, quod a trecentis decem & octo Patri-
„ bus in Nicæno, & a centum quinquaginta in Constan-
„ tinopolitano Concilio editum & promulgatum est,
„ cum Additione in processione Spiritus Sancti, *Qui*
„ *ex Patre Filioque procedit*, quæ ipsi symbolo, de-
„ clarandæ veritatis gratia, & urgente necessitate, &
„ rationabiliter, ab Ecclesia Romana apposita sunt, &
„ Scripturæ Sacræ, & Sanctis Patribus consona, quæ-
„ que in œcumenica Florentina Synodo doctissimis, qui
„ tunc vel in Oriente, vel in Occidente Ecclesiis præ-
„ erant, probata sunt & recepta. Hoc autem symbo-
„ lum, sicut Romanæ Ecclesiæ mos est, ita volumus
„ per omnes Maronitarum Ecclesias inter Missarum so-
„ lemnia, singulis saltem (1) Dominicis diebus, & ma-
„ joribus solemnitatibus decantari vel legi. Quod qui-
„ dem ejusmodi est. *Credo in unum Deum &c.* postre-
mus Canon. „ Quum Romanus Pontifex successor Bea-
„ ti Petri Principis Apostolorum, & verus Christi Vi-
„ carius, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Chri-
„ stianorum Pater, ac Doctor existat, & ipsi in B. Pe-
„ tro pascendi, regendi & gubernandi universalem Ec-
„ clesiam a Domino nostro Jesu Christo plena potestas
„ tradita sit, ut in plerisque sacris & œcumenicis Con-
„ ciliis habetur, & nos, Dei gratia, hujus capitis mem-
„ bra simus; Sancta hæc Synodus statuit, ut quoties
„ novus Pontifex creatur, ad eum unus vel alter a
„ Maronitarum Clero destinetur, qui omnium nomine
„ debitam illi exhibeat reverentiam, & in Romani Pon-
„ tificis obedientia nostram hanc Ecclesiam permansu-
„ ram spondeat: quod etiam præstabit quicumque in
„ Maronitarum Patriarcham fuerit canonice electus, &
„ ab eodem electionis confirmationem (ut ex antiquis-
„ simis temporibus huc usque factum est) vel ipse, vel
„ alius ipsius nomine humiliter petit „: Subjungitur Ca-
talogus Librorum Veteris & Novi Testamenti, uti
Vuu 2 a sa-

(1) Ignorabat fortasse Auctor istius Synodi, à Maronitis, & ab omnibus Orientalibus, Symbolum in singulis Missis sive ferialibus sive solemnioribus diebus, decantari.

a facris Conciliis, & præcipue a Tridentino proponitur. Summa Canonum reliquorum hæc eft.

Titulus I. De orthodoxa Fide Canones VII. Primus, ut fupra. *Can.* 2. Confeffio Unitatis, & Trinitatis, & quod Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit. Canon 3. Duas in Chrifto effe naturas, & unam perfonam. Can. 4. Duas in eodem effe voluntates, & operationes. Can. 5. *Ex his quoque manifeftum eft, in Hymno, qui dicitur Trifagium, non poffe addi*: Qui crucifixus es pro nobis, miferere noftri: *videlicet, fi dicatur*: Sancte Deus, Sancte Fortis, Sancte Immortalis, Qui crucifixus es pro nobis, miferere noftri: *nam hoc modo clare fignificaretur, non ipfum folum divinum Verbum incarnatum, & paffum, fed omnes tres divinas perfonas, quod eft ab omni veritate alienum, & contra Scripturam Sacram, Concilia, & Patres omnes una voce afferentes, ex divinis Perfonis unam tantum, Unigenitum videlicet Dei Filium, carnem fufcepiffe, & in illa paffum. Quare Quintam Synodum & Sextam hæc eadem definientes, & damnantes hanc Additionem approbamus, fufcipimus, & veneramur*. Can. 6. Fideles veri pœnitentes, in charitate Dei decedentes, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiffis & omiffis fatisfecerint, eorum animas pœnis Purgatorii poft mortem purgari, & ut a pœnis hujufmodi releventur, prodeffe eis fidelium vivorum fuffragia. Illorum vero animas, quæ poft contractam peccati maculam vel in hac vita, vel poft eam, ut dictum eft, funt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clare ipfum Deum Trinum, & Unum, ficuti eft: cujus beatificæ vifionis ftatim poft mortem participes etiam fieri illorum animas, qui poft Baptifmum fufceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt. Illorum autem animas, qui in actuali peccato mortali obeunt, mox in Infernum dilabi, neque vero ab æternis illis pœnis ullo unquam tempore liberatum iri. Qui vero in folo originali decedunt, licet valde difpares, æternas tamen luere pœnas. *Can.* 7. Ex his colligi, de cujufque vita & actibus ftatim poft mortem divinum ferri judicium.

Titu-

Titulus II. *De Sacramentis in genere*. Canones III. Primus: Sacramenta Novæ Legis septem esse, Baptismum scilicet, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium. Can. 2. Hæc omnia Sacramenta perfici, rebus tamquam Materia, verbis tamquam Forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum, & in Ministro necessario debere esse intentionem faciendi quod facit Ecclesia. *Can.* 3. In tribus Sacramentis, Baptismo scil. Confirmatione & Ordine, imprimi characterem in anima, ratione cujus ea in eadem persona iterari non posse.

Titulus III. *De Baptismo*. Canones VIII. Primus. Baptismum omnibus esse ad salutem necessarium, quum omnes in peccato originali concipiantur, & nascantur filii iræ. *Can.* 2. Materiam Baptismi esse Aquam veram & naturalem: Formam vero: Ego te baptizo in nomine Patris &c. vel, *baptizetur talis servus* Christi, *in nomine* Patris &c. *Can.* 3. Ministrum hujus Sacramenti esse Sacerdotem, cui ex officio competit baptizare; at in necessitate non solum Sacerdotem vel Diaconum, sed etiam Laicum & mulierem, imo etiam paganum, & hæreticum baptizare posse, dummodo formam servent Ecclesiæ, & facere intendant quod facit Ecclesia, *Can.* 4. Hujus Sacramenti effectum esse remissionem omnis culpæ originalis & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro culpa quavis debetur. *Can.* 5. Si baptizandus esset ita morti vicinus, ut ante trinam immersionem probabiliter moriturus crederetur, tunc satis esse semel immergere, vel etiam levissime aspergere: diversis autem temporibus utrumque modum in usu fuisse in Ecclesia; ubi autem nulla urget necessitas, servandam esse consuetudinem Matricis Ecclesiæ. *Can.* 6. Infantes quum primum sine periculo baptizari possunt, ad Ecclesiam deferendos quocumque tempore & baptizandos, uti Romanæ Ecclesiæ consuetudo docet. *Can.* 7. Si duo simul baptizentur, nullam eos inter se contrahere Affinitatem, quum nulla lex talem agnoscat. Spiritualem autem cognationem contrahi inter susceptores, & baptizatum, & bapti-

zati

zati patrem & matrem; nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem. *Can.* 8. Infans si contrectetur a matre ante ejus purificationem, sive hoc ante Baptismum contingat, sive post, nullam contrahere immunditiam.

Titulus IV. *De Sacramento Confirmationis*. Canones IV. Primus. Materiam Sacramenti Confirmationis esse Chrisma confectum ex oleo & Balsamo per Episcopum benedicto: Formam autem: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris &c.* hoc autem Sacramentum necessario distingui debere a Sacramento Baptismi. *Can.* 2. Solum Episcopum esse proprium & ordinarium ministrum hujus Sacramenti. *Can.* 3. Effectus hujus Sacramenti quum sit Spiritus Sancti robur, qui confirmatur sacro Chrismate, ob id eum in fronte ungi, ut in spirituali certamine viriliter pugnare, & nequissimis spiritibus resistere possit. *Can.* 4. Quamvis baptizati confirmari possint in qualibet ætate, expectare tamen usque ad septennium maxime convenire.

Titulus V. *De Sacramento Eucharistiæ* Canones III. Primus. Eucharistiæ materiam Panem triticeum, & Vinum de vite, cui ante consecrationem Aquam modicissimam debere admisceri. *Can.* 2. Formam vero esse verba Christi Domini: *Hoc est enim Corpus meum: Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Quorum verborum virtute substantiam panis in corpus Christi, & substantiam Vini in sanguinem Christi converti; ita tamen ut totus Christus contineatur sub specie panis, & totus sub specie vini, imo sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ & vini consecrati. *Can.* 3. Licet in nostra Ecclesia, ut in nonnullis aliis, consuetudo viguerit, ut Infantes usu rationis carentes, ad sacram Eucharistiam admitterentur; certum est tamen, nulla salutis necessitate id factum esse. Quare quum hujusmodi Infantes nulla obligentur necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ Communionem, consuli maxime debet ejus reverentiæ, ne indecenter sumatur.

tur. Et quoniam magnum esset irreverentiæ periculum, ut patet, si Infantibus Sacramentum hoc ministraretur, merito simul cum Ecclesia Sancta Romana consuetudinem hanc tollendam decernimus.

Titulus VI. *De Sacramento Pœnitentiæ* Canones III. Primus. Sacramenti Pœnitentiæ quasi materiam esse ipsius pœnitentis actus, qui sunt, *Contritio*, *Confessio* & *Satisfactio*. *Can.* 2. Formam vero, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis esse positam, *Ego te absolvo*: quibus quidem de Ecclesiæ Sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, quæ nec ad ipsius formæ essentiam, nec ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ. *Can.* 3. Ministrum hujus Sacramenti esse Sacerdotem habentem auctoritatem absolvendi vel ordinariam vel ex commissione Superioris. Effectum autem esse Absolutionem a peccatis & reconciliationem cum Deo.

Titulus VII. *De Sacramento Extremæ Unctionis* Canones II. Primus. Hujus materiam esse oleum olivæ ab Episcopo benedictum, ut Concilia definiunt. Ipsum vero Sacramentum nisi Infirmo, de cujus morte timetur, dari non debere. Infirmum autem ungendum esse in oculis, in auribus, in naribus, in labiis, in manibus, in pedibus, in lumbis. *Can.* 2. Formam vero esse hæc verba: quando Infirmus inungitur in oculis, *Per istam sanctam Unctionem & suam piissimam misericordiam parcat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum. Amen*. Et sic in aliis membris. Ministrum esse Saerdotem; Effectum vero, mentis sanationem; inquantum autem expedit, ipsius etiam corporis.

Titulus VIII. *De Sacramento Ordinis* Canones III. Primus. Materiam esse illud, per cujus traditionem conferatur Ordo, sicut in ordinatione Presbyteri materia est Calix cum vino & aqua, & patena cum superposita hostia. Diaconi, liber Evangeliorum. Subdiaconi Calix vacuus cum patena superposita, & urceolus cum vino, & aqua, & liber Epistolarum. Acolythi, Candelabrum cum candela extincta, & urceolus vacuus. Exorcistæ, Liber

Liber Exorcismorum . Lectoris , Codex sive Lectionarium, de quo lecturi sunt. Ostiarii claves Ecclesiæ. Ut Romanæ Ecclesiæ consuetudo docet. *Can.* 2. Formam (1) in ordinatione Presbyteri , *Accipe potestatem* offerendi Sacrificium Deo, Missamque celebrandi, tam pro Vivis, quam pro Defunctis, in nomine Domini. Diaconorum: Accipite potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis quam pro defunctis in nomine Domini. Subdiaconorum: Accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi in Ecclesia Sancta Dei, tam pro Vivis, quam pro Defunctis, in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Acolytorum, dum traditur Candelabrum cum candela extincta: Accipite Ceroferarium cum Cereo, ut sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipatos, in nomine Domini. Dum vero traditur urceolus vacuus: Accipite urceolum ad suggerendum Vinum & Aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini. Exorcistarum, Accipite, & commendate memoriæ, & habete potestatem imponendi manus super Energumenos sive baptizatos, sive catechumenos. Lectorum: Accipite, & estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter & utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene ministraverunt ab initio. Ostiariorum: *Sic agite*, quasi reddituri Deo rationem pro his rebus, quæ his clauibus recluduntur. *Can.* 3. Ministrum esse Episcopum: effectum vero, Gratiam vel augumentum gratiæ, ut quis sit idoneus minister circa Ordinis executionem, & Sacramentorum dispensationem.

Titulus IX. *De Sacramento Matrimonii* Canones v. Primus. Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus. *Can.* 2. Inter bona Matrimonii, quorum unum est proles suscipienda & ad Dei cultum educanda; alterum fides, quam mutuo sibi conjuges servare debent; est etiam tertium, vide-

(1) Totus hic secundus Canon in Latina quidem versione, circumductis utrinque lineis, delendus esse videtur. Verum Arabicus textus lineis hisce caret.

videlicet Indivisibilitas, quæ est Matrimonii legitime contracti vinculum perpetuum; quare quamvis ex causa fornicationis liceat quoad thorum & cohabitationem separationem facere, non tamen fas est aliud Matrimonium contrahere altero conjuge, qui separationis occasionem dedit, vivente. *Can.* 3. Matrimonium post pubertatis annos contractum a filiis familias absque parentum consensu, ratum esse, nec a parentibus irritari posse, ut in Tridentino Concilio est definitum. *Can.* 4. Non solum secundas, & tertias nuptias, sed etiam quartas & ulteriores, si aliquod impedimentum canonicum non obstet, licitas esse. *Can.* 5. Certum esse, licere contrahere duos fratres simul cum duabus sororibus, aut patrem cum matre, & filium cum filia. Affinitas enim non est inter contrahentium cognatos, sed inter unum contrahentem, & cognatos alterius.

Titulus X. *De Reformatione* Canones XII. Primus. Qui Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel alterius cujuscumque Ordinis, dignitatem, pecunia obtinuerit, a communione arceatur & ipse, & ordinator ejus. *Can.* 2. Quicumque per versutiam, vel furtive, vel sine facultate Patriarchæ, vel ipso contradicente, dignitatem aliquam, vel Ecclesiam fuerit adeptus, deponendus est, & a communione segregandus. *Can.* 3. Siquis ab alio, quam ab Ordinario, & sine literis dimissoriis vel Ordinarii sui testimonio, promovetur; ordinator quidem a collatione ordinum per annum, & ordinatus a susceptorum ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus. *Can.* 4. Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta non tenuerint, quique legere, & scribere saltem non noverint. Ad Minores vero Ordines, & ad alios omnes deinde non admittantur, nisi in re literaria, & in his quæ ad Ordinem exercendum pertinent, fuerint instructi, & canonice examinati & approbati. *Can.* 5. Nullus ad Subdiaconatus Ordinem ante 22. Diaconatus ante 23. Presbyteratus ante 25. ætatis suæ annum promoveatur: & ante suam

promotionem, in manibus Episcopi aut ejus Vicarii seu Officialis, orthodoxæ fidei faciat publicam professionem & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansurum spondeat ac juret. *Can.* 6. Quicumque Sacris Ordinibus initiatur, ex antiquissimo Ecclesiæ usu, ad Preces persolvendas apud nos consuetas eum teneri statuimus, vel ad alias, quæ a Reverendissimo Patriarcha vel ab aliis peritis viris ad eodem deputatis, sub una communi forma constituentur. *Can.* 7. Curandum est, ut quoad ejus fieri poterit, proprii Pastores singulis Oppidis & Paræciis deputentur. *Can.* 8. Patriarcha, Primates, Metropolitani, & Episcopi, propriam Diœcesim totam per seipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suos generales Vicarios, si non singulis annis, biennio saltem visitare non prætermittant. *Can.* 9. Provinciale Concilium, quolibet saltem triennio post octavam Paschæ Resurrectionis, vel alio commodiore tempore, celebretur. *Can.* 10. Curabunt Prælati, saltem Dominicis, & aliis festis diebus, pueros in singulis Provinciis, fidei rudimenta edoceri. *Can.* 11. Nemini in posterum sub pœna anathematis, quosvis libros de rebus sacris apud se habere liceat, nisi qui examinati, probatique fuerint a Reverendissimo Patriarcha, vel ab aliis ad id ab eodem deputatis. Et sub eadem pœna nec scriptoribus licebit libros quoscumque de rebus etiam sacris vel describere, vel venales habere, nisi ab iisdem Ordinariis examinati fuerint & probati. *Can.* 12. Supra est exscriptus. Et post Catalogum Librorum Sacræ Scripturæ, sic legitur. *Quum perlecti fuissent Canones omnes, & recepti, cuncti qui aderant (aderat autem frequens Maronitarum Clerus) his apud ipsos consuetis verbis acclamarunt.* Beatissimo Gregorio Papæ & Domino nostro, Kyrie eleison, *ter*. Illustrissimo & Reverendissimo Antonio Cardinali Carafæ, Protectori nostro, Kyrie eleison, bis. *Post hæc mandatum fuit a Sedis Apostolicæ Nunciis Michaëli Patriarchæ, & omnibus Patribus congregatis, ut subscriberent manu propria Decretis Synodi. Qui omnes deinde subscripserunt. Celebrata est hæc Sacra Synodus in*

Monte

Monte Libano in Ecclesia S. Mariæ Chanubin, die 16. mensis Augusti MDLXXX.

Hæc omnia habet Autographum Latinum & Arabicum exemplar. Atque ita curavit Joannes Baptista Elianus Gregorii XIII. Papæ Nuncius inducere Michaëlem Patriarcham & Maronitas Episcopos, ut relictis patriis Ritibus, Romano, quantum fieri posset, adhærerent: id enim Innocentius III. id Pius IV. id Gregorius XIII. optarunt, datisque ad Maronitarum Patriarchas literis injunxerunt. Hinc in Synodo, quam sub Michaële Patriarcha die 16. Augusti anno 1580. celebratam fuisse non modo ex Autographo supra laudato constat, sed etiam literæ sub nomine ejusdem Patriarchæ Michaëlis, & Joannis Baptistæ Eliani, tum in Collegio Maronitarum de Urbe tum apud me exstantes, ad Gregorium Papam & ad Cardinalem Antonium Carafam perscriptæ, testantur, ea omnia ad Ritum Latinum spectantia præscribuntur, quæ supra ex Gregorio XIII. exscripta sunt, quæque Pius IV. ad Moysem Patriarcham scripserat in hæc verba: *Ne illud quidem credimus necessarium esse, ut hortemur Fraternitatem tuam, ut puram atque integram fidem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Ritus ejus in septem Sacramentis conficiendis & ministrandis servandos cures ab iis omnibus, quibus præes; Frustra enim ipsam Ecclesiam Romanam coleret, & observaret, ejusque principatum agnosceret, quisquis ab ejus fide, doctrina, & Sacramentorum Ritu, quod ad eorum materiam, & formam pertinet, discreparet.* Sic enim præscriptos in Synodo Canones Michaël Patriarcha admisisse se profitetur, ut nimirum & integram fidem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Ritus ejus in septem Sacramentis conficiendis & administrandis servandos curaret.

SECTIO XXVIII.

Quia tamen ex eo quod relictis nonnullis Ecclesiæ Orientalis Ritibus Romanum sunt Maronitæ amplexi, illos oscitanter quidam traduxere tamquam ab hæresi ad orthodoxam fidem conversos; idcirco in Synodo an. 1596. reprobatum fuit a Patriarcha Sergio quidquid in priori Synodo anni 1580. actum fuerat, & explicatum, quo sensu Trisagius hymnus a Maronitis nunc sine, nunc cum Appendice decantetur.

QUia tamen idem Jo. Baptista Elianus tam in suis ad Antonium Carafam Cardinalem literis, quam in iis, quæ supra ex Thoma a Jesu memoratæ sunt, *Constitutionibus dandis in Synodo Patriarchæ Maronitarum, & Interrogationibus factis suæ Sanctitati a Patriarcha Maronitarum circa fidem & Ritus Catholicos manifestandis in Synodo celebranda anno 1578. ac præsertim in Propositionibus excerptis e quibusdam libris Maronitarum & ex communi consensu & quadam traditione receptis*: quia (inquam) ex iis Elianus Maronitas post eam celebratam Synodum traduxerat, tamquam ab erroribus & hæresi ad orthodoxam fidem conversos; idcirco Sergius Patriarcha, Michaëlis frater, & immediatus in Patriarchatu successor, qui eidem Synodo Archiepiscopus interfuerat, eandem Synodum in eo sensu repudiavit, quo Elianus aliique illam eo fine congregatam ajebant, ut Maronitæ rejectis pristinis erroribus, ad fidem orthodoxam amplexandam redirent. Hæc sunt verba alterius *Synodi Provincialis, a Sergio Patriarcha Antiocheno Maronitarum anno 1596. celebratæ, præsente Hieronymo Dandino Cæsenate Societatis Jesu Presbytero Clementis VIII. Papæ Nuncio*: quæ sub titulo *Missionis Apostolicæ ad Patriarcham & Maronitas Montis Libani* typis impressa fuit. *Principio lectæ sunt Apostolicæ literæ: Deinde multis & gravibus verbis de Synodo quodam superioribus annis coacta conquestus est Patriar-*

triarcha, eamque a se, fratreve suo Prædecessore convocatam, aut approbatam fuisse negavit. Tum errores nonnullos sibi, ac suæ genti a quibusdam adscriptos, & omnes eorum assertores excommunicavit, atque anathematizavit. Errores hi erant.

1. ,, Unam in Christo esse naturam, unam volun- ,, tatem, unam operationem.

2. ,, Spiritum Sanctum a solo Patre procedere.

3. ,, In Trisagio crucifixionem totius Trinitatis ,, interponi.

4. ,, Nullum esse Purgatorii locum.

5. ,, Nullum originale peccatum.

6. ,, Animas mortali hoc solutas corpore, ante ,, extremi Judicii diem nullo præmio, pœnave affici, ,, loco quodam detentas, in quo nec supplicium patian- ,, tur ullum, nec bono quoquam lætentur.

7. ,, Posse ore negari fidem, modo teneatur corde.

8. ,, Confirmationis Sacramentum a Baptismo di- ,, stinctum non esse.

9. ,, In Chrismatis confectione præter oleum & ,, balsamum alia quædam admisceri oportere.

10. ,, In fermentato Corpus Christi consecrandum ,, esse.

11. ,, Ad eorum, qui moriuntur, inungenda cor- ,, pora, oleum ab Episcopo in die Cœnæ Domini con- ,, secratum non adhiberi, sed illud, quod simplex quis- ,, que Sacerdos tunc benedixerit.

12. ,, Sacramentorum omnium formas minus per- ,, fectas, ac per modum precationis illas esse.

13. ,, Propter fornicationem, aliasque causas, & ,, incurabiles morbos, uxorem repudiari, atque aliam, ,, ea vivente, duci posse.

,, Qui omnes ita examinati sunt, ut de singulis ,, suam, suæque gentis tum præsentis, tum præteriti ,, temporis sententiam ac fidem exposuerit. Fuit au- ,, tem hæc.

1. ,, Unam in Christo Domino esse Personam ,, divinam: naturam, voluntatem, atque operationem ,, duplicem, divinam & humanam. 2. ,, Spi-

2. „ Spiritum Sanctum a Patre, Filioque tamquam „ ab uno principio procedere.

3. „ Trisagium duobus modis in eorum libris u„ surpari; quum ad Trinitatem totam refertur, nihil „ addi; quum ad secundam Personam propter assum„ ptam carnem, nativitatem, crucifixionem, & mor„ tem, interponi.

4. „ Purgatorium locum esse, ideoque plurimas „ pro mortuorum animabus eleemosynas fieri, preces „ fundi, Missas celebrari; ut citius inde liberentur.

5. „ Ab Adam omnes originale peccatum contra„ here, eamque ob caussam parvulos sine Baptismo sa„ lutem non consequi.

6. „ Animas ex hac vita migrantes, aut in cœ„ lum ad fruendum Deo statim evolare, aut ad sempi„ ternas Inferni, temporariasve Purgatorii pœnas de„ trudi.

7. „ Fidem ore negari non licere, Evangelicum „ illud satis superque testari: Qui negaverit me coram „ hominibus, & ego negabo eum coram Patre meo qui „ in cœlis est.

8. „ Confirmationis Sacramentum a Baptismo pe„ nitus distinctum, illiusque Ordinarium ministrum Epi„ scopum esse, atque in eo Spiritum Sanctum, gratiæ„ que plenitudinem dari, qua ad fidem profitendam „ constantes reddimur.

9. „ In Chrismatis confectione præter oleum & bal„ samum, quibus duplex Christi natura significatur, ni„ hil admiscendum esse..

10. „ In pane Azymo temporibus omnibus eos „ consecrasse.

11. „ Oleo ab Episcopo feria Quinta Cœnæ Do„ mini consecrato morientes ungi oportere.

12. „ Sacramentorum formas, quibus utuntur, ab „ Ecclesiæ Romanæ consuetudinibus minime discrepare; „ easque ministri actionem indicare: Ego te baptizo &c.

13. „ Etsi quoad thorum & habitationem divor„ tium interdum permittatur; Matrimonii tamen vincu-

„ lum

„ lum nisi morte, non solvi: atque apertam extare „ sententiam: Quicumque dimiserit uxorem suam, & „ aliam duxerit; moechatur, & qui dimissam duxerit, „ moechatur.

„ Quæ omnia legitimi & proprii eorum libri te„ stantur, nec uspiam secus in illis reperisse Hierony„ mus Dandinus affirmavit.„

SECTIO XXIX.

Notantur, qui eos Ritus, a quibus Maronitæ idcirco recesserunt ut Latino adhærerent, tamquam erroneos aut hæreticos perperam traducunt. Item qui Sacramenta Confirmationis & Extremæ Unctionis apud Maronitas & alios Orientales extitisse negant.

UT igitur Patriarcha & Maronitarum Præsules Innocentio III. Pio IV. & Gregorio XIII. Romanis Pontificibus morem gererent, relicto Orientali Ritu Latinum in multis amplexati sunt, ac potissimum in iis, quæ sunt illis disertim ab Apostolica Sede, ut supra, præscripta. Porro egregie fallitur Elianus Gregorii XIII. Papæ Nuncius; dum eos Ritus, a quibus Maronitæ idcirco recesserant, ut Latino adhærerent, tamquam erroneos aut hæreticos traducit. Quis enim nescit, extra omnem reprehensionem esse hosce antiquos Ecclesiarum Orientalium Ritus, videlicet, ut post Baptismum Parvulis immediate conferantur Sacramenta Confirmationis & Eucharistiæ: ut Ordines Sacri pro materia habeant Impositionem manus Episcopi, & pro Forma Verba quæ ab eodem Episcopo tunc temporis proferuntur, absque ulla Epistolæ, Evangelii, aut aliorum vasorum traditione: ut in confectione Chrismatis præter oleum & balsamum aliæ species admisceantur: ut menstruatis fas sit ab Ecclesiæ ingressu abstinere; ut Presbyteri, Patriarcharum permissu, ac tacito Romanorum Pontificum consensu, sint extraordinarii Sacramenti

menti Confirmationis Ministri: ut oleo a Presbyteris benedicto Infirmi inungantur: ut demum alia hujusmodi ab Orientalibus serventur, quæ aliter in Sancta Romana Ecclesia usurpantur. Quis autem eundem Elianum crassæ ignorantiæ non arguat, dum in Epistola autographa, quæ penes me exstat, ad Antonium Carafam Cardinalem die 4. Junii anni 1581. e Monasterio Canubinensi scripta, negat, Sacramenta Confirmationis & Extremæ Unctionis apud Maronitas, & apud reliquos Orientales unquam extitisse. Verba ejus recito. *Si sono publicati i duoi Sacramenti della Cresima, & Estrema Untione, de' quali non vi era memoria in questa Natione, come anco in tutti i Cristiani Orientali*. Atqui ex antiquis Syriacis, Græcis, Copticis, Armenicis Ritualibus discere poterat, debueratque, utriusque Sacramenti administrationem contineri, tam scilicet Confirmamationis in Ritu Baptismi, quam Extremæ Unctionis separatim in eo Ritu, quem Græci apud Jacobum Goar in Euchologio pag. 332. vocant: *Officium Sancti Olei decantatum a septem Sacerdotibus congregatis in Ecclesia, aut in domo*. Syri autem tam Maronitæ, quam Jacobitæ appellant ܛܟܣܐ ܕܩܢܕܝܠܐ *Ordinem Lampadis*, seu *Olei Sancti, pro pœnitentibus Infirmis*. In eo quippe Græci recentiores apud Arcudium, lib. 5. de Sacramen. cap. 4. & Armeni apud Galanum Tom 3. pag. 645. jure merito reprehenduntur, *quod Græci quidem pœnitentes, quamvis benevalentes in omnibus iis corporis partibus, adhibita quoque forma Sacramenti, non aliter, atque Infirmos inungunt*; & quod Armeni hæretici pro materia hujus Sacramenti non oleo simplici olivæ, sed unguento Chrismatis utuntur, eoque non Infirmos inungunt, *sed juxta Gregorii Dattievensis hæretici impiam traditionem, hanc unctionem perficiunt supra defunctos Sacerdotes*: ungunt enim illos (*ut verba Dattievensis proferam*) quasi luctatores, *ut cum pravis spiritibus hujus aëris viriliter decertare valeant, ac dum eos ungunt, dicunt: Benedicatur, ungatur & sanctificetur manus, vel frons, aut vertex hujus Sacerdotis, per signum istius San-*

Sanctæ Crucis, per hoc Evangelium, & hoc Sanctum Chrisma, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Cæterum tam Armeni Catholici, quam Copti ab antiqua hujus Sacramenti administrandi ratione, qua Græci utuntur, non recedunt; tametsi Armeni a Concilio Florentino edocti, Latinum Ritum multis ab hinc annis imitari cœperunt. Sola Nestorianorum gens, quantum ex Ritualibus eorum libris colligitur, utroque Sacramento, Confirmationis scilicet & Extremæ Unctionis carent, idque ab eo usque tempore, quo Jesujabus aliique illius sectæ Magistri, pro antiquo Syriaco Rituali, novum cudere aggressi sunt. Vide Tom. 4. Biblioth. Orient. pag. 271. & seqq.

LIBRI QUINTI

Bibliothecæ Juris Canonici & Civilis Ecclesiæ Græcæ

FINIS.



I N D E X

LIBRI QUINTI

Bibliothecæ Juris Canonici & Civilis Ecclesiæ Orientalis

LIBER QUINTUS

Appendix ad Codicem Juris Canonici & Civilis Ecclesiæ Græcæ.

PARS TERTIA.

Aper-

unus

CAPUT

CA-

Seden-

Aquæ

SECTIO

SECTIO

quum

F I N I S.





ERRATA TYPOGRAPHICA.

Pagina 6. linea 13.hæreticorum. 12.l.34.Eminentissimi. 15.l.4. esse. 19.l.34.quasi. 43.l.23.cognomento.54.l.17. [illegible]. 63.l.26.annos. 107.l.1.Patriarchali.130.l.19.ordinationem.131.l.27.sacerdotio.134.l.21. exauthorationem.142.l.24.Interrogatio.143.l.22.non.148.l.1.Actuum.l.2. adaptassemus.160.l.7.Epist.161.l.31.coronam.165.l.18.hercle. l.33.barbaris.179.l.3.collaterali.187.l.11.supputationem.201.l.4.fine. l.22.germine. 206.l.30.vivis. 208.l.27.Galanus. 213.l.1.Radix fidei. l.25.dele, *infundat*. 218.l.2.annos.l.14.nefario.223.l.18.in.227.l.4.[illegible]. l.12.[illegible].231.l.30. Omaris.l.35.DLXXXVIII.Pag.233.l.8.Clementem VI.234.l.13.verba.238. l,37.Euphratesiæ.248.l.ult.comedere.268.l.18.Jejunii.l.23.præstantissime. 269.l.2.Bethgarmæ.277.l.ult. وانما. 289.l.3.Armenjæ. 306.l.12.sal.311. l.30.ejusdem.318.l.28.reordinaverunt.l.34.cordibus,319.l.33.inveniuntur. 320.l.6.solvisset.340.l.penult.peperit.348.l.26.controversia. 350.l.penult. Atqui.361.l.29.sectator.367.l.31.hoc.369.l.11.Antiochiæ. 379.l.24.anno. 386.l.21.Dominus.389.l.ult.sed.398.l.3.tum. 396.l.ult.additamento. 410. l.11.essent. 414.l.18.exemplaria. 421.l,32.suspectam. 424.l.1.retrocedas. 430.l.19.essentiæ. 435.l.16.Ter sanctum. 436.l.18.Cnaphei. 437.l.14.videor.438.l.23.Patriarchæ. 443.l.28.anno 632. 450.l.25.Abbate. 452.l.11. sollicitassent.454.l.16.Patritrcha. 460.l.1.unquam.469.l.22.fuisse. 470.l.4. Evangelio. 4 9.l.2.Annunciationis. 485.l.7. Ἅγιος. 487.l.37.Malabarica. 488.l.2. qui. 489.l.4.quo te. l.15.*σαυρωθεὶς*. 491.l.22.Trisagium.493.l.15. convenimus.494.l.19.Christo. 504.l.7.a Simone Mago.511.l.22.Latinorum.

Siqua hujusmodi occurrunt, tute corrigito, ut puta; c, f, n, r, pro, e, ſ, u, t, & viceversa, item c, pro o, i, pro l.



